ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN II
CONSILIA ET VOTA
EPISCOPORUM AC PRAELATORUM

PARS VIII
SUPERIORES GENERALES RELIGIOSORUM

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXI

1

EXC.MI P. D. LUDOVICI S. HALLER

Episcopi tit. Bethleemitani, Abbatis nullius S. Mauritii Agaunensis Abbatis Primatis Sacri et Apostolici Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini [1]

2

REV.MI P. D. ANGELINI-MAURITII LOVEY

Abbatis et Praepositi Generalis Congregationis Ss. Nicolai et Bernardi Montis Jovis

Octoduri in Helvetia, die 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

De futuro Oecumenico Concilio praeparando Litteras ab Eminentia Tua Reverendissima die 18 iunii c. a. exaratas magno cum gaudio accepi, de quibus nunc et in primis Eminentiae Tuae gratias maximas agere cupio.

Non solum gaudii sensus invasit animum meum sed etiam aliquis timor, quia Eminentia Tua tenuitatem meam rogare dignata est quales res in futuro Oecumenico Concilio tractandas esse meo iudicio viderentur.

Itaque, divino implorato auxilio, haec sequentia Eminentiae Tuae Reverendissimae venerabundo animo submittere audeo:

Cum Iesus Christus Unicus sit Servator hominum et Ipse Ecclesiae a Se conditae Suas in terris commiserit vices, hanc Ecclesiam Unicam esse Matrem viventium iure creditur. Christus vero Suam Ecclesiam, non sicut lucem sub modio sed sicut civitatem supra montem positam collocavit, ita ut ab omnibus videri possit, Eique certas et indubitabiles dotes seu notas attribuit, ut omne anxietatis dubium ab animis sinceris removi possit.

Cum, ex altera parte, in hodierno mundo indubia sint signa maioris

---

[1] Cf. vol. II, part. II, pp. 46-47.

in dies propensionis ad unitatem inter christianos promovendam, ante omnia futurum Oecumenicum Concilium genuinam Ecclesiae naturam oculis omnium populorum delineare et primatum Petri denuo fortiter asseverare deberet. Scimus autem Ecclesiam Christi esse Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam. Ne de aliis Eius dotibus hic loquar, supra catholicitatem Ecclesiae multum insistendum esse mihi necessarium videtur.

A) *De catholicitate Ecclesiae Christi.*

Meo sensu, hic agitur non tam de aliqua veritate theoretice definienda quam de dogmate ab omnibus admisso ad praxim plene deducendo. Ecclesia Christi est catholica i. e. universalis; ideo, non Graeca haec esse debet, nec Latina, nec Occidentalis; multo minus haec Italica apparere populorum oculis debet. Non tam de personis quam de certo spiritu, de certis consuetudinibus mihi sermo, quibus circumdata Ecclesia catholica saepe extero et Occidentali vultu, vestituque apparet populis.

Ne querimoniae huiusmodi cum fundamento amplius fieri possint:

1) omnes conatus adhibendi sunt ut quam citissime, ubicumque fuerit possibile et sine detrimento operis Missionum, clerus indigena cum propria Hierarchia instituatur;

2) prudentiae provincialium seu plenariorum Conciliorum, seu etiam Episcoporum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, relinquatur delectus liturgicae linguae magis accommodatae populorum necessitatibus. Lingua vernacula communior, cultiorque in quacumque regione seu regno semper adhiberi poterit pro omnibus caeremoniis seu functionibus sacris, Missa lecta non excepta. Haec praesertim valebunt pro non Latinis populis et speciatim pro « Missionum » regionibus;

3) pariter, ut supra, relinquatur delectus musicae sacrae seu instrumentorum musicorum in caerimoniis sacris seu in processionibus, etc. adhibendorum. Sic permittendo, Ecclesia catholica, pro populorum ingenio et navitate, sicut Filia Regis omni varietate ornata apparebit.

B) *Errores damnandi et repellendi*

Praeprimis sollemniter damnetur « Communismus atheisticus » et prohibeatur omne genus liberae et voluntariae cooperationis cum eo. Ex altera parte, fortiter insistendum est ut ad praxim deducatur doctrina socialis Ecclesiae, ut christianae plebes, desiderio socialis iustitiae actae, non amplius in diversa iactentur, sed in propria domo i. e. in Ecclesiae ambitu plenam satisfactionem invenire possint.

Prorsus damnentur et repellantur sic dicti « Nationalismus », « Ra-

cismus » seu « Apartheid », qui semina sunt tantorum malorum et atrocissimorum bellorum. Pariter damnentur « Campi concentrationis », « Deportationes populorum », « Genocidium » et alia permulta nostri temporis mala, quae probra sunt humano generi, sicut abortus provocatus, inseminatio artificialis, infanticidium, etc.

C) *De dissidentibus christianis reducendis ad sinum Ecclesiae*

Ad reducendos sic dictos « Orthodoxos », « Anglicanos » et alios Dissidentes ad sinum Ecclesiae catholicae, prae oculis habeantur mens et dispositiones primi Oecumenici Concilii, Iesusalem sub Sanctis Apostolis congregati. Mens fuit: non compellere ad iudaizandum Fratres qui ex gentilitate venerant, neque imponere cervicibus ipsorum onera importabilia. Nunc vero, erga omnes supradictos Dissidentes (a fortiori erga populos neoconversos seu adhuc convertendos!) Ecclesia catholica mentem vere maternam exhibere deberet, solum eis imponendo:

1) Unitatem fidei et cultus;

2) Necessariam subiectionem erga Apostolicam Sedem.

Ipsis autem libertatem relinquendo:

1) proprios ritus seu traditiones retinendi quoad linguam et caeremonias liturgicas, ieiunium et abstinentiam, paramenta seu aedificia sacra et quoad vestitum sacerdotum in vita civili, etc;

2) quoad matrimonium clericorum iam in sacris constitutorum seu ad cautelam reordinandorum;

3) suas traditiones sequendi etiam quoad matrimonium clericorum in futuro ordinandorum, si uxorem ducendi consuetudo iam invaluit inter clerum propriae regionis v. g. in Graecia et Russia.

D) *De clero sufficienti providendo pro exteris regionibus.*

Cum clerus manifeste sit insufficiens in permultis regionibus etiam catholicis v. g. in America meridionali, in Insulis Philippinis, et in iis regionibus v. g. in Sinis, ubi Communistarum persecutio clerum indigenam quasi ad nihilum reduxerit, nonne opportunum erit extraordinarias statuere regulas ad clerum sufficientem providendum? nonne procedendum erit ad ordinationem virorum probissimae et optimae existimationis, etiam si tantum propriae regionis linguam vernaculam noverint? nonne parandum erit aliquem cursum abbreviatum philosophiae et theologiae, in linguis vernaculis, pro Seminaristis illorum regionum? Meminisse fas esto exempla Apostolorum, qui post brevem praedicationem ubique presbyteros et episcopos constituere solebant.

Generatim, in instituendo clero alterius culturae regionum, v. g. Sinarum, Indiarum, Iaponiae, etc., maiorem rationem humanitatis cul-

tus et localium traditionum habere oporteret, nec manuales libros, neque discipulorum memoriam implere barbaris nominibus, sicut essent pro nobis tam multa nomina cultorum hominum ex Sinensibus, etc., quae penitus et sine detrimento ullo ignorantur in nostris regionibus.

E) *De dogmate B. M. V. Omnium gratiarum Mediatricis definiendo.*

Peropportunum mihi videtur in his Marianis temporibus ut Oecumenicum Concilium Beatae Mariae Virginis Mediationem universalem ad gratias obtinendas definiat.

F) *De Ecclesiae in universum genus humanum iuridictione declaranda.*

Cum homo, uti multi scientiarum cultores autumant, iamiam sit in lunam sive in alios planetas migraturus, necessarium mihi videtur quod sine mora S. Sedes seu Oecumenicum Concilium declaret Ecclesiae catholicae in humanum genus universalem iuridictionem, quocumque id migraret, etiam si planetas seu alium interplanetarium locum incolet.

G) *De Kalendario stabiliendo.*

Cum in plurimorum voto esse videtur quod Festum Paschae die fixa assignetur, ad novum Kalendarium elaborandum aliqua Commissio mixta statim instituenda opportunum mihi videtur, ne Ecclesia catholica aliquod Kalendarium, suo spiritui alienum et forsan a civili Potestate (v. g. ab O. N. U). populis impositum, de improviso acceptare compellatur. Potius esset si Oecumenicum Concilium aliquod Kalendarium a peritis bene digestum adoptet sibi et illud orbi universo proponat. Non desunt optima schemata ad aequam solutionem inveniendam ad Kalendarium stabiliendum.

Haec sunt igitur quaestiones quae proximo Oecumenico Concilio proponendae mihi videntur, si res placuerit Commissioni Antepraeparatoriae et Sanctissimo.

Interim, dum in parva nostra Congregatione quotidie ad mentem Summi Pontificis preces effundimus pro felici successu futuri Oecumenici Concilii, Eminentiae Tuae Reverendissimae inutilem sed addictissimum servum me profiteor.

ANGELINUS-MAURITIUS LOVEY, Can. Reg.
Abbas et Praepositus generalis Ss. Nicolai et Bernardi M. J.

3

REV.MI P. D. BENNONIS GUT
Abbatis Primatis Ordinis S. Benedicti

15 gennaio 1960

Eminentissime Princeps,

Mutatio in munere Abbatis Primatis, mense Sept. anni elapsi, responsiones ad quaestionarium Commissionis antipraeparatoriae S. Concilii aliquatenus retardabat. Collatis consiliis cum Professoribus Pontif. Athenaei S. Anselmi et post maturam deliberationem quaedam argumenta liceat mihi proponere:

A) *Circa petitiones in genere S. Sedi oblatas per sic dictas « subscriptiones » populares et in specie pro novis dogmatibus proclamandis, pro novis Doctoribus Ecclesiae et pro novis festis.*

In genere dicendum est: Subscriptiones quae ad hunc finem petitionum faciendarum S. Sedi praesentantur, hodie saepe colliguntur *modo abusivo* et saepe non vere exprimunt desideria, utilitates et necessitates Ecclesiae universalis sicut specietenus apparent exprimere. Sunt enim saepe fructus alicuius immoderatae instantiae et quasi-coactionis moralis quia petuntur et dantur saepe non titulo verae persuasionis et mature gravitate rei perpensa, sed potius titulo amicitiae vel intuitu reciproci servitii in iisdem casibus recipiendi aut tandem ne quis appareat minus facere aut minori zelo laborare quam alii.

Dicta incommoda circa petitiones S. Sedi faciendas in sequentibus casibus in specie apparet:

1. Quoad « petitiones » de *novis definitionibus dogmaticis* faciendis:

Proclamatio solemnis a magisterio extraordinario facta alicuius doctrinae uti dogmatis de fide divina et catholica credendi, ne consideretur regula generalis, cui omnis doctrina, etiam nullis erroribus in Ecclesia oppugnata, substare debeat. In traditione ecclesiastica usque ad saec. XIX (Immaculata Conceptio) huiusmodi proclamationes factae sunt solummodo de doctrinis, de quibus necessitas aderat errores refellendi. In ordinariis adiunctis, quando doctrina est in pacifico possessu in Ecclesia, sufficit pietati fidelium eius propositio a magisterio ordinario facta. « Petitiones » quae hodie saepe fiunt circa huiusmodi doctrinas a magisterio extraordinario proclamandas, inconvenientiis non paucis, sicut dictum est superius, quandoque laborant, uti quando in eis sese immi-

scet immoderatum desiderium honoris alicuius coetus vel quorumdam virorum particularium.

2. In « petitionibus » circa *proclamationem novorum doctorum.*

Titulus Doctoris Ecclesiae videtur nunc minoris momenti et valoris factus fuisse (« svalutazione di titolo »). Titulus conceditur etiam sanctis non vere praeclaris in re doctrinali et qui magistri totius Ecclesiae universalis ratione influxus dici vere nequeunt. « Petitio » huiusmodi tituli alicui sancto praebendi fit hodie saepe res de honore et aemulatione diversorum coetuum praesertim religiosorum in Ecclesia.

3. De introductione *novorum festorum* in universali Ecclesia.

Ne introducantur huiusmodi festa ex simplici instantia facta a quodam vel a quibusdam coetibus particularibus qui non vere exprimunt de facto utilitates vel necessitates Ecclesiae generalis. Etiam in his casibus quando huiusmodi « petitiones » fiunt, non raro agitur de honore et aemulatione coetuum particularium vel saltem de eorum sola et non de universalis Ecclesiae utilitate. Facilius concedatur in his adiunctis festa et officia propria pro his coetibus particularibus, quin universali Ecclesiae imponantur. Non introducantur nova festa quorum obiectum iam sufficienter in cyclo liturgico celebratur, ne celebratio mysterii Christi sicut proponitur ab Ecclesia in sacra liturgia, nimis particularibus adiunctis obnubiletur et inefficax psychologice reddatur.

B) *De corpore Christi mystico*

Principia Encyclicae *Mediator Dei* tam liturgica quam pastoralia et spiritualia codificentur, ut in praxim deducantur. Illustretur membrorum in Ecclesia connexio eorumque locus in corpore Christi mystico.

C) *De Curia Romana*

1. Congregationum activitas videtur semper magis « *centralizzata* » et causae quas sibi reservant semper numerosiores fiunt. Nimis distant ab humanis relationibus cum personis quarum interest.

2. « *Taxae* » saepe sunt exaggeratae ex. gr. pro « Sacramentalibus » (Benedictiones, Indulgentiae etc.), quae sacerdos « gratis » debet dare. Si fideles scirent, scandalum non parvum exoriretur.

D) *De vita religiosa*

1. Valor peculiaris vitae monasticae et *votorum religiosorum* ad sanctificationem tum ea profitentium tum totius corporis Christi mystici ostendatur.

2. Defendatur a S. Concilio legitimitas et *momentum sacerdotii*

etiam pro monachis praesertim inspectis necessitatibus hodiernis S. Ecclesiae.

3. Etiamsi maxime exoptemus et faveamus intimam collaborationem Ordinum cum Hierarchia in re pastorali, defendenda est *exemptio* religiosorum in ipsum bonum curae pastoralis.

4. Traditio sana monastica Ordinum antiquorum respectetur in legislatione et documentis SS. Congregationum.

5. Lex *clausurae monialium,* quae hodie omnino est unificata et directa iuxta mentem Ordinum poenitentialium exeuntis medii aevi (Carmelitanarum, Recollectarum etc.) sit prudenter adaptata necessitatibus vitae actualis et ad mentem et saecularem traditionem diversorum Ordinum antiquorum, iuxta quam ex. gr. opera manualia in propriis fundis semper admittebatur.

6. *Sorores externae* monasteriorum monialium tempore novitiatus intra clausuram admittantur et post professionem facilius et regulariter clausuram intrare possint.

7. Potestas *dispensandi a clausura* iuxta omnes casus praevisos in Instructione « Inter cetera » detur Ordinario loci vel Superiori religioso (cum obligatione reddendi rationem ad S. Congregationem de Religiosis).

8. Providendum est magis saluti et statui *psychologico* plurium religiosarum v. gr. per tempus relaxationis modo generali statutum vel per domos ad « feriandum », ubi vera necessitas adsit.

E) *De re liturgica*

1. Quando S. Communio intra Missam distribuitur, dispensetur ab iterata recitatione « Confiteor » etc.

2. *Dies Paschatis* quotannis eodem die celebretur.

3. *S. Missa incipiat* cum « Introitu » et concludatur cum Benedictione sacerdotis.

4. S. Missa omni tempore possit celebrari (ieiunio eucharistico debito praemisso).

5. S. Concilium indicet, quando et sub quibus condicionibus, etiam in Ecclesia occidentali *Concelebratio* permitti possit.

6. *Lingua vernacula* permittatur in administratione Sacramentorum et in parte didactica quando S. Missa celebratur coram populo.

7. Revisio Breviarii, Lectionarii et Martyrologii committatur diversis commissionibus competentibus. Ne nimia uniformitas imponatur, respiciantur in revisione principia historica, theologico-spiritualia et pastoralia-practica in diversis regionibus et coetibus.

F) *De variis*

1. Normae *de censuris* et excommunicationibus revideantur.

2. *Formulae de iuramento* et « contra modernismum » novis condicionibus adaptentur, fiant magis positivae et rarius praescribantur.

3. *Index librorum prohibitorum* indiget revisione; saltem dentur confessoribus facultates dispensandi in casu.

4. *Processus Beatificationis et Canonizationis* reformentur; in concurrentia 1200 causarum hodie parva spes adest causam ad finem perducendi. Nonne pro multis Servis Dei aliquis titulus Ecclesiae possit permittere cultum et venerationem in certis regionibus?

5. *Dies abstinentiae* reducantur ad ferias VI per annum; dies *ieiunii* ad ferias VI per Quadragesimam et feriam Cinerum.

6. De *Oecumenismo*:

Studia et remedia quae favent unionem cum fratribus separatis, sub vigilantia Episcoporum magis magisque foveantur.

Eminentiae V. Reverendissimae
addictissimus in Domino

BENNO GUT
Abbas Primas O. S. B.

4

EXC.MI P. D. CAESARII D'AMATO

Episcopi tit. Sebasteni in Cilicia, Abbatis nullius Sancti Pauli de Urbe Praesidis Congregationis Casinensis O. S. B.[1]

[1] Cf. vol. II, part. III, pp. 768-770.

5

Rev.mi P. D. HERBERTI BYRNE
Abbatis Praesidis Congregationis Angliae O. S. B.

26 augusti 1959

Eminentia,

Litteris quas Eminentia Tua curavit ad me mittendas ea cura studui quam debebam in tanta re expendere.

Humiliter et reverenter velim haec suggerere in futuro Concilio tractanda:

1) de Ecclesiae natura;
2) de notis Unitatis et Catholicitatis;
3) de statu et auctoritate episcoporum.

Nihil aliud quod definitum est et praecisum volo proponere; sed liceat precari ne quid decernatur in Concilio quod faveat illi tendentiae ad « centralizationem » quae his recentibus annis magis ac magis in regimine Ecclesiae apparet: e contra, toleretur aliqua diversitas in diversis terris et diversis Religionibus, et reddatur, non solum episcopis, sed cuilibet in auctoritate posito, debita libertas qua, sua quisque usus discretione, muneribus propriis fungatur.

Haec ausus scribere veniam peto si quid indignum (per imperitiam) sit scriptum.

Osculatus sacram purpuram profiteor me servum E. T. obsequentissimum.

Herbertus Byrne
Abbas Praeses Congregationis Angliae O. S. B.

6

REV.MI P. D. IOANNIS RUHLAND

Abbatis Praesidis Congregationis Bavaricae O. S. B.

Augustae Vindelicorum, die 5 septembris 1959

Eminentissime et Rev.me Domine,

Litteris Vestris de die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-1580) invitatus sequentia consilia et vota in futuro Concilio tractanda proponere audeo:

1) ut in nominatione vel electione episcoporum audiantur et delegati tam cleri quam laicorum dioeceseos,

2) ut ius matrimonii simplificetur,

3) ut censurae et reservationes aut tollantur aut simplificentur earumque absolutio in confessionali facilitetur,

4) ut iuramentum contra modernismum aboleatur,

5) ut benedictiones singulis personis, sodalitatibus, congregationibus vel ordinibus reservatae (uti Viae Crucis, rosariorum, signi S. Mauri etc.) ad omnes sacerdotes extendantur,

6) ut privilegia odiosa revocentur (ex. gr. privilegium una Missa 30 missis Gregorianis satisfaciendi vel dispensationes ab abstinentia pecunia acquirendae et similia),

7) ut in Missa catechumenorum et in administratione sacramentorum largior linguae vernaculae usus permittatur,

8) ut sollicitanti operositati novarum sectarum (ex. gr. ecclesiae neoapostolicae, testium Jehovae sive adventistarum, « Christian science » etc.) intenta advertatur vigilantia,

9) ut de cetero cum christianis acatholicis irenice agatur eorumque non solum errores sed etiam merita videantur et agnoscantur,

10) ut Index librorum prohibitorum funditus revideatur vel etiam ex integro tollatur.

Quae dum infallibili Ecclesiae magisterio submitto eiusque Summo auctori Spiritui Sancto enixis precibus commendo, remaneo

Eminentissimae
et Rev.mae Paternitati Vestrae
add.mus

IOANNES RUHLAND
Abbas Praeses Congregationis Bavaricae O. S. B.

7

Rev.mi P. D. PLACIDI STAEB

Archiabbatis Congregationis Brasiliensis O. S. B.

26 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Eminentiam Tuam in Domino reverenter salutans certiorem reddere intendo de acceptis litteris n. 1 C/59-1518, quibus nomine Augusti Pontificis regnantis de proximo Concilio Oecumenico agebas.

Omnia fausta laboribus exoptans quibus nunc incumbit Eminentia Tua ad huiusmodi certamen praeparandum, petitioni Tuae occurrere vellem suggerendo quae ex praxi pastorali in natione Brasiliensi, et per Americam Latinam, ad considerationem Concilii Oecumenici apta et utilia videntur.

Primo de presbyteris in officiis et muneribus diversis laborantibus, deinde de ipsis in senectute degentibus, ultimo de quibusdam rebus ad ipsorum conscientias pertinentibus.

De primis, eis mihi videtur non semper adaequatam remunerationem reddi ita ut propter curam rerum temporalium a fructuoso apostolatu amoveantur.

De senibus, eos saepe media ad dignam et iustam senectutem non habere.

De presbyteris in laboribus pastoralibus necessariis et excessivis agentibus, clare statuatur eos sine recursu ad confessorem seipsos a breviario dispensare posse ut plura scrupula et dubia evitentur.

His provisis, censeo iter suavius et quietem conscientiae presbyteris adhiberi, ita ut curam animarum cum maiori provectu et incremento exerceant.

Gratum animum Eminentiae Tuae impendo pro benevolentia qua huiusmodi votis prospicies.

Sacram Purpuram obsequiose osculans Eminentiae Tuae in Domino addictissimus maneo

Placidus Staeb
Archiabbas Congregationis Brasiliensis O. S. B.

8

Rev.mi P. D. IOANNIS PROU

Abbatis Superioris Generalis Congregationis Gallicae (Solesmensis) O. S. B.

Solesmes, le 8 septembre 1959

Eminentissime Seigneur,

Le Révérendissime Père Dom Germain Cozien ayant donné sa démission d'Abbé de Solesmes et de Supérieur Général de la Congrégation Bénédictine de France, le Chapitre Général de la dite Congrégation m'a élu pour lui succéder. Et c'est pour cette raison que j'ai l'honneur aujourd'hui de répondre à la lettre par laquelle Votre Eminence demandait que fût envoyé à la Commission Antépréparatoire du Concile Œcuménique un rapport sur les points qu'il semblerait désirable de voir étudier par le Concile.

Votre Eminence voudra bien trouver sous ce pli les quelques suggestions qu'il m'a paru utile de Lui soumettre.

En baisant Votre pourpre sacrée, je Vous prie d'agréer, Eminentissime Seigneur, l'hommage de la profonde vénération avec laquelle j'ai l'honneur de me dire, de Votre Eminence Révérendissime, le très humble et obéissant serviteur.

Jean Prou
Supérieur Général de la Congr. de France O. S. B.

Vota Commissioni Pontificiae humiliter proponuntur quae utilitatem quamdam afferunt pro faciliori redditu dissidentium, praesertim orientalium, ad plenam unitatem Ecclesiae Catholicae. Ad hunc finem promovendum maxime interest ipsa unitas interna Ecclesiae cui opponuntur quaedam deviationes ex quibus defluunt dissidia inter ipsos catholicos. Optandum est ut Sacro Concilio tales deviationes reprobante et veritates oppositas definiente, magis ac magis coalescat perfecta unitas mentium et cordium inter membra Corporis mystici.

Causa praecipua harum divisionum tribuenda videtur cuidam propensioni ad evolutionismum rationalisticum, hodiernis philosophis et scientiarum viris valde placitum, quo confunduntur ordines tam bonorum ipsius naturae creatae quam donorum supernaturalium eis divinitus

adiunctorum. Ultimus terminus huius evolutionis esset constitutio cuiusdam ecclesiae universalis in unum congregantis omnes sic dictas confessiones religiosas inter quas computeretur ipsa romana Ecclesia. Sic efficeretur aliqua forma unitatis valde extensa, maxime tamen elongata a proposito divino et ab illa intentione expetita a Summo Pontifice gloriose regnante dum Concilium mox habiturum praenuntiavit.

* * *

Claritatis gratia iuxtaponuntur in duplici columna sequentis tabulae, ex una parte errores praecipui hunc evolutionismum naturalisticum constituentes vel consequentes, ex alia vero parte vota in eorum remedium Commissioni proposita.

I. *Circa doctrinam de Deo, de creatione et de ordine supernaturali*

1. Intuitionismus, parvipendens demonstrationem existentiae Dei super principium causalitatis innixam, huius argumenti valorem subiiciens cuidam praeviae certitudini de eadem existentia Dei aliis modis, non tamen rationalibus, comparatae.	1. Efficacia argumentorum quibus a creaturis mundi rite demonstratur existentia Dei.
2. Fideismus, reiiciens valorem proprium fundamentorum rationalium fidei christianae nec non signorum externorum praesertim miraculorum, quibus origo divina revelationis christianae hominibus manifestatur.	2. Valor obiectivus fundamentorum rationalium fidei christianae: in primis illius probationis quae ex miraculis eruitur.
3. Propensio quaedam pantheistica subruens notionem traditionalem creationis ex nihilo: res a se distinctas condidisset Deus non ex nihilo, sed ex propriis perfectionibus quarum creaturae essent participationes non tantum	3. Affirmatio expressa creationis totius mundi ex nihilo sui et subiecti.

ut effectus a causa extrinseca, sed ut compositum a realitate ipsius intrinseca constitutiva.

4. Evolutionismus integralis negans uniuscuiusque hominis animam spiritualem ab ipso Deo ex nihilo creari: haec efficeretur potius ex ipsamet evolutione virium creatarum, cooperante tantum concursu ordinario Causae Primae quae, ex hoc solo concursu, diceretur permanere in actu creationis.

4. Declaratur peculiaris creatio cuiuslibet animae humanae in quantum est actio divina transcendens merum concursum naturalem cuilibet agenti creato collatum.

5. Evolutionismus adhuc universalior complectens ipsum ordinem supernaturalem, asserens ipsam Dei visionem, in ordine finalitatis, terminare appetitum innatum creaturae spiritualis: supernaturalitate huius visionis ad solum ordinem efficientiae coarctata, in quantum vires naturae sibi derelictae impares invenieuntur ad talem finem assequendum. Forma extrema huius evolutionis terminum adhuc altius viribus naturae assignat quatenus integer progressus humanitatis tenderet ad quandam formam « super-hominis » cuius Christus ipse fuerat velut prototypus (cf. Teilhard de Chardin).

5. Denuo enuntiatur transcendentia et gratuitas omnium bonorum ordinis supernaturalis, tam in ordine finalitatis, quam in ordine efficientiae.

6. Explicatio sic dictae « Dialecticae Hegelianae » (ex qua fluunt errores socialismi et marxismi) ad doctrinam et praxim Ecclesiae genuit falsum conceptum

6. Valor absolutus et independens magisterii ecclesiastici quod semper exerceri potest sine « mediatione » sive theologorum, sive laicorum. Extensio huius ma-

sive auctoritatis ecclesiasticae, sive obedientiae ipsi debitae. Statuitur, prout conditio permanens et connaturalis Ecclesiae terrestris, conflictus seu tensio inter caput vel centrum (Hierarchia) et membra seu peripheriam (fideles). Auctoritas magisterii vim practicam obtinet ex necessaria mediatione, ut aiunt, laicorum vel theologorum.

gisterii non tantum ad veritates divinitus revelatas sed ad veritates naturales sive cum fide, sive cum moribus christianis connexas.

7. Laicismus politicus, falso innitens conceptu libertatis fidei ex errore fideistico deprompto. Ex hoc enim quod Deus sola fide certe cognoscitur, inferunt ethicam naturalem officia erga creaturas, non vero erga Deum, praescribere. Nulla ergo moralis obligatio fidei assensum antecedit, qui assensus ipse liberrimus evadit non tantum ab omni coactione physica vel morali, sed ab omni praecepto legis naturalis. Quo pacto iterum inferunt societatem politicam ad bonum temporale tantum naturaleque ordinatam, nullum quid positivum statuere posse circa Deum, fidem et religionem. Auctoritati politicae vetatur ne non tantum ad fidei assensum vi subditos cogat (quod omnes concedunt) sed ne etiam ullum privilegium agnoscat in favorem veritatem divinam profitentium nec in bonum verae religionis a Deo fundatae.

Laicista constitutio statuitur

7. Assensus fidei ex ipsa lege naturali Deo revelanti debetur.

Perfecta constitutio civitatis christianae nequit abstrahere ab explicita Dei recognitione nec a lege divina sive naturaliter, sive supernaturaliter proposita. Conceptus sic dictae Christianitatis non sacralis, quae ipsi coherentiae verborum adversari videtur, cum principiis veritatis catholicae et ipsius fidei exigentiis minime concordat quinimmo directe ipsis opponitur.

velut optima civitatis conditio etiam apud populos unanimiter confitentes fidem catholicam. Evolutio historica, quam irreversibilem putant, necessario induceret in hunc neutralismum religiosum societatis politicae. Immo ad hunc tendunt ipsae nationes usquemodo publice adhaerentes verae fidei, prout iam aetatem adultam assecutae sunt et materna Ecclesiae tutela emancipatae. Ideoque, iam desinit Christianitas, quae medio aevo adunata in communi agnitione doctrinae legisque ecclesiasticae, « sacralis » dicenda erat, in favorem alterius Christianitatis « non sacralis », ut aiunt, cuius neutralitas religiosa, prout maxime libertati fidei consona, ab omnibus etiam Catholicis optanda et sustinenda esset.

II. *De virtutibus et mediis sanctificationis*

1. Naturalismus practicus corrumpens naturam et vim propriam virtutum supernaturalium, praesertim theologalium, fides ex subconscientiae tendentiis oriretur, spes in humanis et temporalibus mediis fulciretur, caritas vero vix a mera naturali philanthropia vel a motu sensibilitatis distingueretur.

1. Declaratur valor primarius virtutum theologalium prout sunt intrinsece supernaturales.

2. Activismus valorem proprium orationis et contemplationis subiicit externae activitati, praesertim sociali.

2. Ostendatur necessitas universalis orationis et contemplationis in quolibet statu vitae christianae, etiam apostolicae.

Corollaria de disciplina liturgica:

a) Obligatio gravis recitandi horas canonicas a religiosis solemniter professis et a clericis in sacris ordinibus constitutis denuo urgetur.

b) Hac occasione proponi potest confectio novae versionis psalmorum in lingua magis locutionibus SS. Scripturarum, Patrum et ipsius sacrae liturgiae accommodata.

3. Media supernaturalia a Christo instituta, praesertim sacramenta et sacrificium eucharisticum postponuntur industriis et conatibus ordinis pure naturalis.

3. Asseratur valor proprius sacramentorum in ministerio pastorali.

Efficacia praesertim sacrificii Missae in quo consistit primarium opus cuiusvis sacerdotis, etiam quando celebratur cum unico ministro sine assistentia aliorum fidelium, iterum declaretur.

Corollaria de disciplina liturgica et sacramentali:

a) Ad augendam tamen significationem unitatis, ad facilius extirpandam praxim postponentem celebrationem individuam plurium sacerdotum participationi collectivae ad unicam Missam unius celebrantis, ad instaurandum usum iam in Orientalibus receptum et olim ab ipso Romano Pontifice una cum Cardinalibus usurpatum, concedi posset etiam in liturgiis latinis, servatis servandis, usus concelebrationis eucharisticae stricte sacramentalis, sive in domibus saecularibus vel religiosis ubi quotidie litant plures sacerdotes, sive in

maioribus ecclesiasticis adunationibus quae nunc passim tenentur in diversis Ecclesiae provinciis.

b) Statuatur etiam maxima utilitas confessionis sacramentalis pro iis etiam qui venialiter tantum peccaverunt et commendetur usus frequens talis confessionis non tantum ad remittenda peccata, sed etiam ad procurandam gratiam sacramentalem proportionatam peccatorum confessioni, contritioni et satisfactioni.

III. *De statu perfectionis et de diversitate vocationum vel officiorum*

1. Personalismus a nonnullis ita hodie proponitur ut matrimonium praeferatur statui virginitatis perpetuae. Caelibatus clericorum in sacris constitutorum parum opportunus iudicatur. Asseritur insuper votum castitatis ab Ecclesia receptum nihil addere mero proposito servandi virginitatem.

1. Declaretur praeeminentia sacrae virginitatis relate ad matrimonium christianum. Renovetur lex caelibatus pro clericis in sacris ritus latini, prout est maxime opportunus ad vitam sacerdolalem digne fructuoseque ducendam. Ostendatur valor peculiaris votorum religiosorum ad sanctificationem tam ea profitentium quam totius corporis mystici.

2. Ex eodem personalismo defluit minor aestimatio religiosae obedientiae voto perpetuo superiori promissae. Talis subiecto voluntatis impedimentum afferret pleno incremento vitae humanae.

2. Definiantur natura et utilitas obedientiae religiosae, praesertim voto perpetuo consecratae, qua non tantum actus externi sed etiam aestimatio propria superioris iudicio subiicitur.

Corollaria de disciplina liturgica:

a) Declaratio peculiaris renovetur circa obedientiam ab omnibus clericis debitam legibus ac decretis

Apostolicae Sedis circa cultum liturgicum.

b) Repellatur falsa notio obedientiae sic « iuxta spiritum » concepta quod omnis observatio litterae praeceptorum evanescit.

3. A nonnullis vocatio religiosa vocationi sacerdotali opponitur quasi incompossibiles essent, vel quasi vita religiosa fuisset pura diminutio vitae sacerdotalis.

3. Statuatur natura propria vocationis sive sacerdotalis, sive religiosae, quae vocationes certe diversificantur sed nullo modo opponuntur. Vita religiosa omnibus, tam laicis quam clericis, proponi potest et nedum sacerdotio impedimentum diminutionemve afferret, illud e contra ad perfectum suimet exercitium conducit.

4. Apud multos sive laicos sive etiam clericos invenitur perniciosa confusio functionum apostolicarum quarum aliae sacerdotibus clericisve proprie competunt, aliae vero laicis omnibus christianis. Ex qua confusione saepissime oriuntur deviationes et perturbationes saluti animarum valde damnosae.

4. Statuatur natura propria functionum apostolicarum quae vel solis sacerdotibus et clericis, vel etiam (forsan, praesertim) laicis conveniunt, ita ut numquam attribuatur laicis functiones propriae clericorum.

5. In ipso apostolatu tum clericorum, tum laicorum, saepissime minuitur, nisi penitus omittatur, munus proprium orationis contemplativae: animae vero ad solam vitam contemplationis dicatae ut inutiles et alienae ab apostolatu computantur.

Etsi talem opinionem maxime maxime iuvat crescens invasio atheismi seu materialismi: mani-

5. Vindicatur vera notio contemplationis supernaturalis quae ab universa traditione catholica professa est et ex fontibus evangelicis legitime concepta est.

Asseratur aspectus formaliter etsi eminenter apostolicus vitae contemplativae, prout ab Ecclesia canonice instituta est: inquantum, scilicet, testimonium publicum reddit transcen-

festatur tamen, non tantum apud permultos fideles, sed etiam apud nonnullos clericos, quibus, proh dolor! videntur favere perpauca Hierarchiae membra. Immo a nonnullis theologis ipsa supernaturalis contemplatio qualis a Patribus et mysticis theologis proponitur, prout deviatio quaedam evangelicae doctrinae sub influxu platonicae philosophiae excogitata aestimatur.

dentiae Dei, valori primario virtutum theologalium et cultus divini, prout efficacius opponitur hodiernis erroribus atheismi, progressismi et cuiusvis generis materialismi.

Brevis haec orationis paenitentiaeque praeeminentiae in ipso apostolatu recordatio, frequentius recenterque a Pontificibus iterata, cui publicum iugeque testimonium afferunt ordines religiosi contemplationi dicati, viam latissimam securioremque aperiet ad concordiam instaurandam cum schismaticis orientalibus, apud quos praesertim coluntur traditiones monasticae de vita contemplativa.

Corollaria de disciplina ecclesiastica:

a) Affirmatur proinde ius omnium, etiam sacerdotum, amplectendi vitam religiosam pure contemplativam quotiescumque, gratia permoti, petierint et dispositiones requisitas exhibuerint.

b) In ipsis seminariis vocationes contemplativae nedum extinguantur, sedulo evigilantur vel ad felicem progressum et ad effectivam adimpletionem adiuventur.

c) Ad plenius servandum in Ecclesia exercitium vitae contemplativae, retinendum videtur, saltem pro ordinibus ipsi contemplationi dicatis, privilegium exemptionis quo, directe et exclusive Sedi Apostolicae, universalioribus spiritualibusque Ecclesiae necessitatibus magis intentae subduntur.

6. Clerici vel regulares lege civili ad arma vocati saepissime imbuuntur exaggerata aestimatione conditionis sibi impositae. Officia militaria aliusve generis ad solos laicos convenientia eis proponuntur ut quid in praesenti magis excolendum quam officia sacra proprio statu sive religioso sive clericali stricte necessaria. Quo fit ut nonnulli ipsorum vel a pio proposito vocationis suae avellantur, vel saltem ab ipsius genuino spiritu notabiliter deflectant.

6. Recolatur lex ecclesiastica, iuri naturae maxime consona, eximens clericos vel regulares a militari servitio. Qui, licet inviti, militiae adscribuntur, permittente non tamen volente Deo, diligentissime intenti permaneant ad ea quae vocationem propriam foveant ac tueantur, postpositis aliis negotiis, vitatisque, in quantum fieri potest, omnibus eidem vocationi adversantibus.

IOANNES PROU
Abbas Superior Generalis Congregationis Gallicae O. S. B.

9

REV.MI P. D. DIONYSII STRITTMATTER
Archiabbatis Praesidis Congregationis Americanae Casinensis O. S. B.

1 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Grato cum animo litteras tuas recepi, statimque intentionem Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae in orationes meas inclusi.

Communicatione accepta die 18 augusti, nuntium quattuor abbatibus, viris prudentibus et in re ecclesiastica peritis, immediate transmisi quorum et consilium imploravi.

Re igitur mature perpensa, orationibusque effusis, sequentia vestrae considerationi humillime submittam sinite:

1. Cum duae quintae partes sacerdotum sint religiosi, cumque vi canonis 608, § 1, religiosi ministerium ad consulendum populi necessitati praestare teneantur, valde optandum est ut religiosi maiorem in hierarchia ecclesiastica repraesentationem habeant, non necessario quoad iurisdictionem sed saltem « ut audiatur et altera pars ».

2. In variis orbis terrarum partibus, particulariter in nostra ditione,

ministri acatholici, iudaei, aliique qui veram amplecti fidem velint, difficultatibus obnoxii manent propter conversionem. Parati sunt enim populo suo religiose ministrare, conciones habere, etc., et ita sibi familiisque honestam providere sustentationem. Cum vero post conversionem ab his operibus cessare debeant, deest modus sustentationem providendi, nam « fodere non possunt ... » Concilium forsan possit officium aliquod speciale instituere, quod exerceri possit in apostolatu saeculari, sub vigilantia tamen Episcoporum.

3. Citissima desideratur communicatio curias dioecesanas inter et Sanctam Sedem. Maxima enim confusio oritur quando radio et televisio annuntiant aliquid, v. g. dispensationem a lege abstinentiae, quod curia dioecesana nec affirmare nec confirmare officialiter valet.

Cuncta fausta a Domino adprecor et Eminentiae Tuae Reverendissimae permaneo

addictissimus servus

DIONYSIUS STRITTMATTER
Archiabbas Praeses
Congregationis Americanae Casinensis O. S. B.

10

REV.MI P. D. BERNARDI DURST

Abbatis Praesidis Congregationis Beuronensis O. S. B.

31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras tuas (Prot. N. 1 C/59-1584), quibus Eminentia Vestra me invitavit, ut argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda proponerem, accepi. Cui invitationi obsecutus sequentia duo vota transmitto, nempe: 1. Ut Concilium Oecumenicum quasdam normas statuat, quibus episcopi in suis dioecesibus internam fidelium participationem ad sacrificium eucharisticum promovere possint; 2. De obligatione sacerdotum cura animarum occupatorum divinum officium recitandi indigentiis nostrae aetatis accommodanda.

Sacram Purpuram osculando me profiteor Eminentiae Vestrae

devotissimum servum in Domino

BERNARDUS DURST
Abbas Praeses Congregationis Beuronensis O. S. B.

A) *De obligatione sacerdotum cura animarum occupatorum divinum officium recitandi indigentiis nostrae aetatis accommodanda.*

Cum nostris temporibus in quibusdam regionibus, velut in Germania, numerus sacerdotum magis aequo deficiat, non raro accidit, ut clerus curae animarum deditus tanto labore opprimatur, qui vix ullum eis tempus relinquat ad quotidianam meditationem, lectionem Sacrae Scripturae faciendam, divinum officium digne recitandum quod saepe saepius non iam est oratio, sed lectio praecipitata ac socors textuum. Nam sacerdotes intra tempus quam brevissimum totum pensum precationum praescriptarum persolvere student, ita ut, indigne recitando tot preces, vere orare fere dediscant.

Quae cum ita sint, serio quaerendum esse videtur, an non expediat episcopis dare facultatem, ut obligationem orandi sacerdotum nimio labore in cura animarum occupatorum pro casu et casu ita mutare possint, ut illi *sub gravi* teneantur omni mane per dimidiam horam meditationi seu orationi mentali et per alteram dimidiam horam recitationi divini officii — et quidem tantae eius partis, quantam digno modo intra hoc spatium persolvere possunt — incumbere. In recitatione vero officii divini oporteret maiorem locum dare lectioni Scripturae Sacrae; ad quam faciendam iuvaret permittere usum alicuius bonae in linguam patriam versionis, quia textus Vulgatae saepenumero textum originalem nonnisi male reddit. Vespere vero sacerdotes tenerentur ad recitandum Vesperas et Completorium.

B) *Ut futurum Concilium Oecumenicum normas statuat, quomodo episcopi in suis dioecesibus internam fidelium participationem sacrificii eucharistici promovere possint ac debeant.*

Hodiernae animarum curae cum haec praeprimis cordi sint, 1. ut vita fidelium religiosa renovetur ac profundior reddatur; 2. ut fideles ab atheismo practico et theoretico defendantur, modus perquam efficax ad id attingendum in eo consistit, ut fideles ad *participationem internam* sacrificii eucharistici deducantur.

Pius Papa XII in suis Litteris Encyclicis *Mediator Dei* anno 1947 editis (*A.A.S.* 39 [1947] 521 ss) ac Sacra Congregatio Rituum in Intructione *De Musica sacra et sacra Liturgia* anno 1958 edita (*A.A.S.* 50 [1958] 630) paucis exposuerunt, quanam in re illa participatio interna collocanda sit.

In dictis Litteris Encyclicis haec docentur: « Externus sacrificii ritus suapte natura cultum *internum* manifestet necesse est; Novae autem Legis sacrificium supremum illud obsequium significat, quo ipse principalis offerens, qui Christus est, et una cum eo et per eum omnia eius

mystica membra debito Deum honore prosequantur ac venerentur » (l. c., p. 556).

Interna ergo christifidelium participatio sacrificii eucharistici habetur eo, quod fideles Deo exhibent illum cultum internum, qui manifestatur et significatur per ritum externum sacrificii eucharistici i. e. per verba consecrationis a sacerdote super panem et vinum prolata, quem ritum in sequentibus breviter consecrationem eucharisticam nominabimus.

Unus autem idemque ritus externus consecrationis eucharisticae cultum internum manifestat et significat, quem praestant et ipse Christus glorificatus, qui est principalis offerens, et christifideles, et hi quidem una cum Christo et per Ipsum.

Aliis Encyclicarum Litterarum locis dicitur, cultum internum a fidelibus Deo exhibendum consistere in hoc, quod christifideles una cum Christo se Deo devovent et semetipsos quasi hostiam immolant, et veluti hostia una cum Christo efficiuntur ad augendam aeterni Patris gloriam; vel in hoc, quod fideles altari adstantes ita animum transformant, ut una cum immaculata hostia efficiantur victima aeterno Patri accepta (cf. l. c., pp. 552, 557, 558, 559).

Quam Litterarum Encyclicarum doctrinam S. Rituum Congregatio n. 22 citatae Instructionis ita comprehendit: « Missa natura sua postulat, ut omnes adstantes secundum modum sibi proprium eidem participent. Quae quidem participatio praeprimis *interna* esse debet, nimirum pia animi attentione et cordis affectibus exercitata, qua fideles una cum Summo Sacerdote arctissime coniungentur... atque una cum Ipso et per Ipsum [Sacrificium] offerant, unaque cum Eo se devoveant ».

A participatione interna citata Instructio S. Rituum Congregationis distinguit participationem *externam,* quae n. 22 sic describitur: « Adstantium vero participatio plenior evadit, si internae attestationi *externa* accedat participatio, actibus scilicet externis manifestata, uti corporis positione (genuflectendo, stando, sedendo), gestibus ritualibus, maxime responsionibus, precationibus et cantu ». Numeris sequentibus (24-34) fusius determinatur, quomodo et quibus gradibus externa fidelium participatio in Missa cantata et lecta fieri debeat.

E contra S. Sedes hucusque nondum accuratius exposuit, quomodo interna fidelium participatio sacrificii eucharistici promovenda sit, quamvis haec « praeprimis » promovenda esset. Ideo proponitur hoc votum, ut futurum Concilium Oecumenicum normas statuat, quomodo episcopi in suis dioecesibus internam fidelium participationem sacrificii eucharistici promovere possint ac debeant.

Practice utique christifideles iam primis Ecclesiae saeculis instrue-

bantur ad eliciendos illos actus spirituales, quibus praestabant cultum internum consecratione eucharistica manifestatum et significatum, quia iam illis primaevis temporibus, ut ex Apologia S. Iustini Martyris anno 150 Romae scripta apparet, consecratio eucharistica circumdabatur multis orationibus, ab episcopo lingua fidelibus nota et clara voce prolatis, quae cultum internum a fidelibus praestandum exprimebant ad eumque excitabant, ad quas orationes fideles alta voce respondebant: Amen.

Romae primis saeculis lingua in Liturgia adhibita erat Graeca. Quam vero linguam cum fideles iam nescirent, in eius locum lingua Latina successit. Cum autem ne haec quidem lingua a fidelibus amplius sciretur, lingua Latina nihilominus retinebatur. Praeterea inde a saeculo octavo Canon Missae non iam clara voce recitabatur, quo factum est, ut illae preces, quibus Ecclesia consecrationem eucharisticam circumdat, a fidelibus amplius neque audirentur neque intellegerentur, ita ut, fini suo non iam satisfacientes, fideles ad cultum internum consecratione eucharistica significatum movere desisterent.

Modus igitur aptus, quo etiam nostris temporibus fideles ad internam sacrificii eucharistici participationem incitarentur, videtur in eo esse, ut preces consecrationem eucharisticam circumdantes a quadam persona idonea — si fieri potest, ut in Ecclesia orientali, ab ipso Diacono — lingua vernacula et alta voce recitentur, dum sacerdos suas preces Latinas dicit.

Quod tamen ne fiat simpliciter vertendo preces hodiernas Liturgiae Romanae, quae ab Offertorio incipiunt et ad Agnus Dei usque progrediuntur, in linguam vulgarem. Nam illae preces, uti nunc sunt, adhuc ea claritate, quae desideraretur, ex parte carent; ortae enim sunt saeculis remotissimis — preces illae quae strictius ad Canonem Missae pertinent saeculis quinto vel sexto, preces ante Praefationem, oblationem circumdantes, saeculis undecimo vel duodecimo —, quibus problema, in quibusnam actibus spiritualibus cultus a fidelibus una cum Christo et per Christum praestandus, quem nunc internum vocamus, consistat, scientifice nondum solutum erat; nostra autem theologia catholica istos actus optime explicavit.

Cultus igitur internus a fidelibus « *una cum Christo* » praestandus in eo stat, quod fideles spiritualiter Christo conformes facti Deum Creatorem et Dominum suum agnoscunt, totos se illi devoventes et ad mandata eius exsequenda parati. Cultus autem internus, qui « *per Christum* » exhibendus est, in eo stat, quod fideles illum internum cultum, quem ipse Christus Dominus in sua gloria caelesti Patri exhibet et per consecrationem eucharisticam fidelibus « mystico modo » (Litt.

Encycl. *Mediator Dei*, p. 563) ob oculos ponit atque in manus tradit, spiritualiter apprehendunt eumque una cum Christo Patri offerunt.

Cultus vero Patri ab ipso Christo glorioso exhibitus sequentes actus comprehendit:

1. Adorationem et obsequium a Christo Iesu, summo sacerdote, Deo Patri oblatum (cf. *Apoc.* 5. 6; *Haebr.* 8, 2 s.); Iesus Christus enim etiam in sua gloria caelesti Patrem uti Creatorem et Dominum suae naturae humanae singularibus gratiis et dignitatibus exornatae agnoscit.

2. Gratiarum actionem pro omnibus donis ac datis ipsi Christo homini et hominibus propter Christum collatis.

3. Iugem interpellationem pro hominibus (« semper vivens ad interpellandum pro nobis » *Hebr.* 7, 25 collat. cum 9, 24; 1 *Io.* 2, 1); quae interpellatio in eo consistit, quod Iesus Christus in sua gloria caelesti cultum sacrificio Crucis praestitum Patri offert, ut nobis veniam peccatorum et quamlibet gratiam obtineat; cultus enim in Cruce exhibitus erat pretium magnum redemptionis nostrae (1 *Cor.* 6. 10; *Eph.* 1, 3; *Rom.* 3, 24) ac satisfactio superabundans omnium peccatorum (*Mt.* 26, 28; *Eph.* 1, 3; *Rom.* 5, 9. 10; *Hebr.* 9, 13. 14. 28; 10, 42; 1 *Pt.* 3, 18). Cultus proinde a Christo in caelo Patri exhibitus quadruplicem habet valorem: est enim adoratio, gratiarum actio, deprecatio, expiatio.

Hunc cultum ergo a semetipso Patri praestitum cum suo quadruplici valore Christus in sacrificio eucharistico tradit non solum sacerdoti, verum etiam christifidelibus, ut illum comprehendant et Deo Patri offerant (cf. orationem quae consecrationem sequitur: « Unde et memores, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, sanctam, immaculatam »). Iste est cultus internus a fidelibus « per Christum » Deo exhibendus.

Totus igitur cultus internus, quem fideles in sacrificio eucharistico « cum Christo » et « per Christum » Deo praestare oportet, quique per externum consecrationis eucharisticae ritum manifestatur ac significatur, *quinque* complectitur actus; dicit nempe:

1. Fideles semetipsos una cum Christo Deo devovere (hic est cultus « una cum Christo» exhibendus).

2. Fideles adorationem ab ipso Christo Patri exhibitam spirituali modo comprehendere atque una cum Christo Patri offerre.

3. Fideles gratiarum actionem ab ipso Christo Patri relatam spirituali modo comprehendere atque una cum Christo Patri offerre.

4. Fideles cultum a Christo sacrificio Crucis praestitum una cum Christo Patri offerre tamquam cuiusvis gratiae pretium.

5. Fideles cultum a Christo sacrificio Crucis praestitum una cum Christo Patri offerre tamquam dignam pro vivorum ac defunctorum peccatis satisfactionem (in nn. 2-5 agitur de cultu a fidelibus « per Christum » exhibito).

Quos quinque actus spirituales vel affectus reapse reperimus in hodierna Liturgia Missalis Romani, nempe in illis precibus quae ab Offertorio incipiunt et ad Agnus Dei usque progrediuntur, at non semper cum illa claritate, quae desideraretur.

Clare enuntiantur illi quattuor affectus, quibus fideles « per Christum » Deo exhibent cultum Patri ab ipso Christo exhibitum eumque Deo offerunt, nempe:

1. Obsequium et adorationem, quam ipse Christus Patri exhibet; haec oblatio fit duabus orationibus, quae consecrationem sequuntur: « Unde et memores » etc. (ut supra), et: « *Per ipsum* est tibi, Deo Patri omnipotenti, omnis honor et gloria ».

2. Gratiarum actionem ipsius Christi; haec oblatio fit his Praefationis verbis: « Vere dignum et iustum est nos tibi semper et ubique gratias agere *per Christum,* Dominum nostrum.

3. Cultum a Christo in Cruce praestitum et nunc in sacrificio eucharistico Patri oblatum, inquantum est pretium omnis gratiae et superabundans pro peccatis vivorum ac defunctorum satisfactio; haec oblatio fit illis multis precibus, in quibus fideles una cum Christo pro universa Ecclesia, pro Papa, pro Episcopo et pro quibusdam fidelibus, pro aeterna salute et prosperitate temporali, pro pace in diebus nostris, pro praeservatione ab aeterna damnatione, pro insertione in caterva electorum, pro « omni benedictione caelesti », pro redemptione ab omni malo supplicant, vel satisfactionem a Christo praestitam Deo offerunt « pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis » et pro animabus in Purgatorio detentis; quae preces iterum atque iterum concluduntur formula: « *per Christum* Dominum nostrum », i. e. Christus ipse sub speciebus sacramentalibus in altari praesens has supplicationes Patri profert, et fideles idem faciunt una cum Christo et per Christum.

Non clare et explicite enuntiatur spirituale illud sacrificium, quo, ut Pius XII suis in Litteris Encyclicis enixe monet, fideles una cum Christo se ipsos Deo offerunt. Hoc nonnisi implicite fit in illis precibus, quae cum formula saepius repetita incipiunt: « Suscipe, sancte Pater », vel: « Offerimus tibi », et quibus fideles panem ac vinum et, consecratione peracta, corpus et sanguinem Christi Deo offerunt, quin clare dicatur fideles in illis donis se ipsos Deo offerre. Sicut vero oblatio victimarum in Vetere Testamento ostendebat pium Israëlitam in animali-

bus, quae sacerdos eius nomine Deo porrigebat, se ipsum Deo offerre, sic dona panis et vini, vel corporis et sanguinis Christi, quae fideles per sacerdotem Deo porrigunt, ostendunt fideles in his donis Deo semetipsos integre offerre ac devovere. In primis ergo illae preces, quae, dum panis et vinum porriguntur, recitandae sunt, talem in lingua vernacula formam recipere deberent, ut spirituale quo fideles se ipsos Deo devovent sacrificium eorumque promptitudinem ad exsequendam in omnibus Dei voluntatem perspicue enuntient. Hoc modo fideles efficaciter incitabuntur, ut reapse in sacrificio eucharistico semetipsos una cum Christo Patri devoveant.

Episcoporum ergo esset operam dare, ut orationes Latinae Missalis Romani, quae illos quinque affectus, in quibus constat cultus internus a fidelibus una cum Christo et per Christum Deo praestandus, saltem implicite enuntiant, in linguam patriam translatae talem formam induant, quae conditioni fidelium intellectuali conveniat eosque ad hos affectus eliciendos efficaciter moveant; certe enim textus aliquomodo differre debent in nationibus Europaeis et in missionibus Africae, Asiae, Australiae; et, si fieri potest, commendaretur, ut in regionibus eiusdem linguae concordent.

Praeterea vero episcopos oportet statuere, quoties et a quo Missis paroecialibus dierum Dominicarum hae preces clara voce recitandae sint; non requiritur, ut in omni Missa hoc fiat; si enim saepius fiet, fideles assuescent illos actus elicere, prout partibus Missae respondeant, ita ut hoc facturi censendi sint vel in illis Missis, in quibus illae preces non publice recitentur.

In dictis quinque actibus, qui certo certius non ligantur ad aliquem fixum textum, consistit interna fidelium participatio sacrificii eucharistici seu cultus internus, quem fideles una cum Christo et per Christum, dum sacrificium eucharisticum celebratur, Deo praestare debent, quique per externum consecrationis eucharisticae ritum manifestatur ac significatur.

Tandem notetur, etiam in Missa catechumenorum, quam vocant, actuosam fidelium participationem postulare, ut omnia lingua vernacula proferantur.

Ea, quae hic breviter tantum proposita sunt, fusius tractabuntur in libro auctoris, qui proximis mensibus publici iuris fiet, in quo etiam exemplar praebebitur, quomodo forte preces lingua vulgari efformari possint; insuper indicabuntur quaedam mutationes minoris momenti, quae in textu Latino Missalis Romani desiderantur.

BERNARDUS DURST
Abbas Praeses Congregationis Beuronensis O. S. B.

11

Rev.mi P. D. STEPHANI SCHAPPLER

Abbatis Praesidis Congregationis Helveto-Americanae O. S. B.

Die 19 augusti 1959

A)

De mundi consecratione ad Sanctum Ioseph

1. Die 11 iunii 1899 (Dominica infra Octavam Sacri Cordis) Sanctitas Sua Leo XIII totum consecravit mundum Cordi Divino Iesu, humani generis Redemptoris.

2. Die 31 octobris 1942, per verbum radiophonicum ad honorandas Dominae Nostrae primas in Fatima apparitiones, Sanctitas Sua Pius XII totum consecravit mundum Cordi Immaculatae Mariae, Matris Redemptoris.

3. Quaestio: Dua istae consecrationes, nonne ipsa natura sua tertiam urgent Consecrationem? Consecratio mundi ad cor Ioseph, Virginis-Patris Iesu, nonne digna esset corona huius Secundi Concilii Vaticani?

4. Talis Consecratio esset acceptisima Sancto Pio X, qui die 11 octobris 1906, per rescriptum manu propria approbavit orationem (Preces et Pia Opera, N. 349) quae Sancto Ioseph dat titulum: « Virgopater Iesu ».

5. Sanctitas Sua, Ioannes XXIII qui inter patronos suos baptismales Sanctum Ioseph maxime amat, nonne providentialiter videtur destinatus ad istam perficiendam consecrationem? Giuseppe Roncalli complens Giuseppe Sarto!

B)

1. In Ecclesia hodierna adsunt Episcoporum duae categoriae:

a) Illi quorum iurisdictio est territorialis, e. g. episcopi diocesani,

b) Illi quorum iurisdictio est personalis, e. g. episcopi militum, episcopi collegii, e. g., Collegii Americani Romae, Maryknoll in Statibus Unitis, Lovaniensis in Belgio.

2. Quaestio: Nonne deberet esse maior numerus episcoporum cum iurisdictione personali? Crescit semper in Statibus Unitis numerus sacerdotum religiosorum. Nonne condecet ipsos in coetibus episcoporum representari? Ad honoranda maiora religiosa instituta episcopus per-

sonalis dari posset, qui in coetibus nationalibus istorum institutorum partes ageret.

3. Omnes iuris pontificii religiosi debent habere religiosos confessores, cappellanos, exercitiorum magistros.

4. Monialibus iurisdictionis pontificiae dari debent (in quantum sit possibile) Visitatores, Confessores, magistri exercitiorum, qui monialium regulam sequuntur.

STEPHANUS SCHAPPLER
Abbas Praeses
Congregationis Helveto-Americanae O. S. B.

12

REV.MI P. D. MAURI RIHA

Abbatis Praesidis Congregationis Austriacae O. S. B.

30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Obsecundans invitationibus Vestrae Eminentiae, ut participantes futuri Concilii Oecumenici suas aperiant sententias de causis in eo tractandis, has quae infra sequentur propositiones, suggestiones, animadversiones Pontificiae Antepraeparatoriae intimare constitui.

Cunctas res, quae mihi ad gloriam Dei et salutem animarum augendam respiciendae et discutiendae videntur, secundum illum probatum ordinem adducam, qui in dispositione capitum et sectionum Codicis Iuris Canonici patet.

Antea nonnullae quaestiones formales Concilium tangentes moveantur:

1. In Commissionibus et Sectionibus ad discutiendum etiam principaliores linguae modernae (english, français, deutsch, español) admittantur.

2. Colloquia cum fratribus schismate vel haeresi ab Ecclesia separatis praeprimis fiant per viros ecclesiasticos eiusdem nationis, qui experientiam suam in hac re probaverunt et fratribus separatis acceptabiliores sunt quam e. gr. officiales Curiae Romanae vel clerici nationum, in quibus schisma vel haeresis populum non dissecat.

3. Respectu difficultatum non-catholicorum definitio cuiusvis novi dogmatis Mariologiae (e. gr. Mediatricis omnium gratiarum) mihi hoc tempore et sub nunc vigentibus circumstantiis inopportunum videtur.

Liber primus C.I.C.:

1) Omnes extra Ecclesiam baptizati, qui non-catholici manserunt, ab omnibus legibus ecclesiasticis mere onerosis eximantur.

2) Ordinariis locorum ampliores limites potestatis dispensandi committantur.

Liber secundus C.I.C.: a) *De Clericis*:

1) Praxis S.S. Pii XII qui sic dictis « pastoribus protestanticis » Germaniae paucis ad fidem se convertentibus non obstante sacro presbyteratus ordine recepto, continuationem matrimonii concesserat, generaliter in conversione Protestantium et praesertim Anglicanorum, si presbyteratum adspirant, adhibeatur.

2) Quae in Concilio Vaticano de munere Episcopali praeparata sunt canonum schemata, de novo redigantur et definiantur, ut hoc modo condicio Apostolica et potestas propria Episcoporum melius elucescat et doctrina de Romano Pontifice suum habeat naturale aequilibrium.

3) Quae igitur in facultatibus quinquennaliis episcopis mandantur, in ordinarium et commune ius (potestatem propriam) episcoporum recipiantur.

4) Episcoporum persona generaliter designetur electione per canonicos ecclesiae cathedralis facta ex propositis candidatorum tribus nominibus, quos S. Congregatio Consistorialis delegerat propria informatione praehabita.

5) Facultates dispensandi parochorum etiam simplicibus confessariis concedantur.

6) Omnibus ad Breviarium quovis modo adstrictis in certis circumstantiis detur generalis licentia recitandi officium pro libitu in lingua vernacula (praesertim Litanias omnium Sanctorum) vel mutandi officium divinum in 15 decades Rosarii.

Liber secundus C.I.C.: b) *De religiosis*:

1) Ius Benedictinum nunc vigens compiletur et pro adaptatione his temporibus discussionibus in unaquaque Congregatione monastica submittatur.

2) Administratio oeconomica in singulis congregationibus centralizetur, efficaces canones mutui auxilii instituantur.

3) Ratio studiorum philosophico-theologicorum revideatur.

Liber secundus C.I.C.: c) *De laicis*:

1) Doctrina de communi dignitate sacerdotali omnium baptizatorum orta ex assimilatione ad Christum summum sacerdotem per characterem indelebilem praecise definiatur et congeratur.

2) In iure communi laicorum affixentur quae laicis christianis committuntur ut membris Consilii dioecesani adiuvando episcopum, ut membris Consilii paroecialis adiuvando parochum. Etiam officia gravioris momenti parentum catholicorum declarentur, inquantum spectent ad educationem prolis religiosam, manuductionem ad Missam dominicalem, frequentationem sacramentorum praeparationem ad illa, orationem communem in familia. Nupturientibus praecipiatur, ut per complures menses ante celebrationem matrimonii cursum praeparatorium in loco decanali vel in maiore paroecia a sacerdote, matrefamilias, medico, iudice civili instituendum frequentent, ut sanctitati et indissolubilitati sacramentalis ligaminis quam nervose consulatur.

3) Viva, audax et efficax Actionis Catholicae directio et fiducia in zelum laicorum Ordinariis locorum commendatur. Conditio actionis catholicae eiusque organizatio in lege ecclesiastica inseratur.

Liber tertius C.I.C.:

1) Pro parochis detur extensio facultatis confirmandi, si extra tempus suetae confirmationis episcopalis, nuptirientes ante matrimonium celebrandum confirmandi sunt.

2) Character missionarius et doctrinalis sacrae liturgiae ita fiat efficax, ut ea pars sanctae Missae, quae ab initio usque ad symbolum se extendit, in lingua vernacula celebrari possit, si adstantium conditio exigat. Eadem valeant in amplissima extensione pro omnibus sacramentis administrandis et rebus sacramentalibus adhibendis.

3) In cursu studiorum s. Theologiae et philosophiae tempus non prolongetur: sed saepissime alumni et neosacerdotes in praxi curae animarum exerceantur: in excursionibus hebdomadariis adiuvando parochos diebus maioris frequentationis sacramentorum, in cursibus specialibus pro diversis classibus fidelium, e. gr. pueris, iuvenibus, in instituendis discussionibus, ludis, horis catecheticis, in aedificanda communitate iuvenum operariorum (JOC).

Connexus inter philosophiam christianam et novas scientiarum conclusiones, doctrina socialis christiana et eius vigor invincibilis inculcetur, materialismus dialecticus et philosophia existentialistica neosacerdotibus non celentur.

Maioris momenti quam scientia linguae Hebraicae pro futuro esset scientia linguae Russicae vel alterius Asiaticae.

Res oecumenicae et « Una Sancta » alumnis et fidelibus in suo maximo momento inculcentur.

4) Praescripta de prohibitione librorum et Index eorumdem de novo praecisentur et partim aboleantur.

Liber quintus C.I.C.:

1) De novo et strictissime praecipiatur, ut omnia bona temporalia Ecclesiae ita administrentur, ut ad salutem animarum applicentur et quaecumque scandala frequentissimis inspectionibus et probationibus personarum administrantium devitentur. Praeprimis classi operariorum tollatur praeiudicium pervetustum Ecclesiam cum parte capitalista sociatam esse.

2) In constitutione de crematione cadaverum non tam stricte negatio sacramentorum postuletur, solummodo si haec crematio fieret in odium fidei et Ecclesiae. Modernis nostris temporibus multa praeiudicia, causaeque irrationales in animos influunt et a sepultura terrestri deterrent, imprimis in magnis urbibus. Tamen multi homines huius generis plane liberi sunt ab omni contemptu fidei et praxeos Ecclesiae.

3) Excommunicationes hodie magnam partem sui momenti amiserunt. Ideo numerum earum restringendum et modum recursus simplificandum puto.

In fine enumerationis suggestionum mearum Eminentiam Vestram certiorem facere non omittam, quod ego et monachi abbatiae meae Michaelburanae et membra totius Congregationis Austriaco-Benedictinae quotidie in Officio divino et in Precibus specialibus suppliciter rogare solemus Deum et Dominum, ut Spiritu Paraclito afflante tribuat successum omnibus, qui in praeparando et perficiendo hoc Oecumenico Concilio summopere desudant, ante omnes ut Suam Sanctitatem in eius admirabili fortitudine, fiducia, vigore conservet.

Et nunc sum Vobis, Eminentissime Domine Cardinalis,

in Domino Iesu addictissimus

MAURUS RIHA

Abbas Praeses Congregationis Austriacae O. S. B.

13

Rev.mi P. D. GODEFRIDI DAYEZ

Abbatis Praesidis Congregationis Belgicae O. S. B.

Excellentissime Domine,

Cum mense octobri anni elapsi ad munus Praesidis Congregationis belgicae O. S. B. a capitulo generali electus sim, mihi quoque respondendum litteris videtur quae ad decessorem meum Reverendissimum D. Theodorum Nève a commissione ante-praeparatoria missae sunt.

Utens ergo ea quae suadetur veritate ac sinceritate rogare velim:

1. Ut futurum Concilium mediis studeat quomodo relaxetur administratio sanctae Ecclesiae ne amplius oporteat a summa auctoritate licentias et dispensationes minimi momenti flagitare, quae de cetero semper conceduntur, sed ab inferiori potestate sufficiat. Multae relationes ad Sanctam Sedem mittendae absque detrimento omitterentur.

2. Ut sacra liturgia, qua parte praesertim « catechesis » est, ab omnibus populis et linguis adiri et intelligi possit.

3. Ut, servata obligatione Missae vel pro uno fideli legendae, pluribus sacerdotibus liceat, qui vel simul vivant vel ex occasione convenerint, communem Missam legere vel cantare, ne ad unum celebrandum unitatis sacramentum disgregentur.

4. Ut novis in Codice Iuris insertis canonibus distinctio melius inter diversas religiones innotescat: monachis enim aliud regimen convenit ac modernis societatibus.

Haec omnia ut invitationi tuae benevolae responderem scripsi.

Iam subscribo Paternitatis Tuae Excellentissimae

humillimus in Domino servus

Godefridus Dayez

Abbas Praeses Congregationis Belgicae O. S. B.

14

Rev.mi P. D. ALFONSI SALVINI

Abbatis Generalis Congregationis Vallis Umbrosae Ordinis S. Benedicti

Idibus martiis 1960

Eminentissime Pater,

Capituli Generalis auctoritate, paucos ante menses, Abbas Generalis Congregationis Vallis Umbrosae O. S. B. electus, nuper inveni Praedecessorem meum Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico vota et consilia quae postulaveras nondum misisse. Huic quoque officio, prout meum exigit munus, consulens, quae Ecclesiae animarumque bono profutura mihi videntur humiliter propono.

Ecclesia, Spiritus Sancti lumine et ductu, quae fidei bonisque moribus adversantur quin refelleret numquam destitit, quaeque vero actuosae et altiori caritati favent materno iugiter promovit interventu; hisce autem temporibus divinum eius ministerium ad vitam individuam, domesticam et politicam secundum Dei mandata componendam, ad veritatem tuendam et conlustrandam luculentius enituit; attamen Oecumenicum Concilium, utpote extraordinarium Ecclesiae documentum, praecipua corde credenda moribusque exprimenda apertius exponere pressiusque imponere peropportune valebit.

Inter alia, haec, meo iudicio, quae Patres decernant digna habentur.

Quoad doctrinam

1. Humanae rationis, debito modo excultae, valor ad veritatem assequendam apertissime tueatur et quodvis commentum valori ratiocinii metaphysici adversans, praesertim quod vel « immanentismum » vocant, vel « idealismum », vel « materialismum » sive historicum sive dialecticum, vel « historicismum » ac vel etiam « existentialismum », nulla compositione cum dogmate catholico admissa, definite damnetur.

2. Mundi supernaturalis praestantia, utpote summum bonum, Domini largitate et misericordia omnibus gratuito patefactum, contra omnia quae hodierna cultura et progrediens aetas in dies hominibus felicitatem sitientibus protulerunt et proferent, in tuto collocetur oportet.

3. Doctrinam de Ecclesia, vel ut Christi Sponsa eiusque mystico Corpore deque eiusdem cum Ecclesia Catholica Romana identitate, vel de

necessitate ad eam pertinendi ut sempiterna attingatur salus, vel de sacra Hierarchia eiusque membrorum peculiari potestate, vel etiam de sacro Magisterio, expolitius Patres Concilii exponant, molimina quaeque « relativismi », quem vocant, dogmatici damnantes, Ecclesiae filios commonentes, ut imprudens « irenismum » devitent, actuosam vero caritatem numquam a veritate seiunctam impensissime sectentur.

4. De Sacerdotii catholici natura et muneribus, praesertim de eiusdem cum Sacrosancto Altaris Sacrificio relationibus, deque communi fidelium, uti dicitur, sacerdotio, ne damnati errores fomitem denuo inveniant, aperte agi peropportunum videtur.

5. Ne plura in posterum in divinae S. Scripturae auctoritate detrimentum proferatur et in ipsa S. Scriptura interpretanda ad Ecclesiae mentem tuto omnes procedant, omnia quae praesertim elabentis saeculi decursu Summi Pontifices de S. Scriptura statuere, pleno et concinno schemate proponantur.

Mores quod attinet

1. Una cum dogmatum agnitione et legis naturalis legumque positivarum scientia, peccati notio, prout est Dei offensa, maximeque peccati conscientia aberrantibus mentibus enixe inculcanda est.

2. Nativum proinde praeceptum, saepe saepius neglectum, ea quae religionem spectant, pro cuiusque captu, perdiscendi, forsan aliqua positiva lege esset imponendum; nempe: « Sacram catechesim semel in hebdomada intra vel extra Missarum sollemnia, graviter onerata conscientia, Christifideles adeant ».

3. Ne vitae commoda in dies progredientia « hedonismum », quem vocant, domesticos mores pessumdantem, augeant, neve incommoda quae nullo modo vitari possunt ad inconsulta miseros impellant, christiana mortificatio, utpote ad vitam secundum Christi documenta instituendam necessaria, omnibus, maxime vero clericis et religiosis sodalibus, sedulo commendetur.

4. Cum individui tum societatis iura et officia, secundum naturae leges et Ecclesiae doctrinam, summatim sed apertissime omnibus proponantur, ut Ecclesia in « re sociali », nulli hominum fallaci opinioni nullique civium parti obnoxia, revera omnium mater et magistra appareat.

5. In tam lamentabili sacri connubii dissolutione, doctrina de Matrimonii natura, coniugum, parentum filiorumque onera et munera apertis verbis in fidelium mentes tot erroribus infectas denuo imprimantur.

Quae ad ius ecclesiasticum pertinent

1. Secundum Dioecesium et praesertim Paroeciarum conformationem et necessitates, aptior ad pastoralia munia clericorum distributio valde suadetur: ipsaque clericorum intellectualis et religiosa institutio, praeter ea quae communiter exiguntur, futuras cuiusque loci exigentias, quantum fieri potest, praevideat.

2. Frequentior civium commigratio regionum praesertim finitimarum differentias valde minuit, faciliusque et Sacerdotes itinera adgrediuntur, quaedam proinde facultates, v. g. confessiones audiendi et verbi Dei praedicandi, potius quam Dioeceseos finibus ecclesiasticae saltem provinciae finibus determinentur.

3. Pressius enucleandae sunt normae quae clericorum relationes cum societate civili, Civitatum auctoritatibus et administris, praecipue cum civium consociationibus vel partibus moderentur, ne eorum apostolatus imprudenti rerum confusione minuatur neve debilitetur.

4. Ius commune individuam cuiusque Religiosae Familiae naturam commendet et adiuvet, decernens ut affinia Instituta Confoederationes inter se foveant et ineant, omnesque Religiosi commune Ecclesiae bonum viribus unitis promoveant, in pastoralibus muniis, salva religiosa disciplina tutisque Religiosorum iuribus, Locorum Ordinariis subditi.

5. Moniales, saltem in spirituali institutione et disciplina, Superioribus regularibus subdantur.

6. De laicorum apostolatus natura mutuisque cum coeteris religiosis associationibus relationibus opportunae novis necessitatibus obsecumdantes normae proponantur.

De sacra Liturgia et Pastorali

1. Salva quae venerandis traditionibus exhibenda est reverentia, ad pastoralis muneris efficaciam, peculiaribus locorum conditionibus, nonnulla quae sacram quoque spectant Liturgiam prudenter aptanda videntur, quae cuiusque ecclesiasticae provinciae Ordinariis, Apostolica Sede adprobante, decernenda sunt.

2. Christifidelium pietatis exercitia sacram catechesim sacramque Liturgiam comitentur foveantque oportet, unde et veram devotionem hauriant.

3. Ad fidei unitatem quam maxime fovendam, Liturgia, cui ex iure fideles adsunt, quacum Catechesis apte et ordinate tradetur, excepta principali cuiusque Ecclesiae solemnitate, etiam in locis proprium Kalendarium habentibus, diebus festis, saltem in unaquaque dioecesi vel eccle-

siastica regione uniformis celebretur, ut, ubicumque fideles Sacro intersint una resonet precum vox unaque veritatis schola habeatur.

4. In s. Liturgiae formulis, praesertim in Divini Officii dispositione, opportuna videtur distinctio inter Sacra quae sollemniter vel adstante fidelium coetu celebrantur et ea quae Sacerdotes aliique, quibus haec committuntur, singulatim agunt.

5. Vita, ut aiunt, paroecialis quam maxime commendanda est; paroecia vero in Ecclesia et pro Ecclesia universa vivit, ideoque et maiores fidelium conventus ad pietatem alendam, ad christianam doctrinam conlustrandam, vel etiam ad apostolatus et caritatis opera exercenda non minus commendandi sunt.

Pauca quae exponere mihi visum est, si quid valent, Patrum votis, Virorum Ecclesiasticorum prudentissimis consiliis emendata, inserantur, dum Eminentiae Tuae una cum sodalibus mihi commissis fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humil.mus add.mus

P. Alfonsus Salvini
Abbas Generalis Congregatio Vallis Umbrosae
Ordinis S. Benedicti

15

Rev.mi P. D. ROMUALDI M. ZILIANTI
Abbatis Generalis Ordinis S. Benedicti Montis Oliveti [1]

[1] Cf. vol. II, part. II, pp. 765-767.

16

Rev.mi P. D. SERAPIONIS ULUHOGIAN

Abbatis Generalis Ordinis Mechitaristarum Venetiarum Monachorum sub Regula S. Benedicti

Venetiis, ab Insula S. Lazari, die 20 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Magno cum gaudio die 21 iulii accepi litteras ab Eminentia Tua Reverendissima scriptas die 18 iunii currentis anni (Prot. N. 1 C/59-1595), quibus nomine Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae ab Augusto Pontifice Ioanne XXIII institutae pro Concilio Oecumenico, animadversiones quaerebas consilia votaque circa res et argumenta quae tractari in futuro Concilio poterunt.

Gratias ante omnia ex corde ago propter magnam Eminentiae Tuae Rev.mae benevolentiam, qua humilis etiam mea opinio et vox quaeritur ad huiusmodi sessiones antepraeparatorias, a quibus, ut puto, multo dependet incrementum Universae Ecclesiae omniumque Orientalium ad Petri Cathedram reditus.

Serietas autem et momentum argumenti, quod revera quaestiones implicat valde delicatas atque complexas, longius quam designatum erat exiguit tempus, quo varii aspectus quaestionum melius matureque examinarentur. Quare, indulgentiae Tuae, Eminentissime Domine, confido, in folio separato puncta quaedam principalia exponens, adhibitis etiam consiliis Patrum nostri Ordinis hac in re peritorum.

Humiliter osculans sanctum Eminentiae Tuae Reverendissimae anulum, purpuramque sacram, benedictionem Tuam peto instanter paternam super Ordinem nostrum, atque cum impensis animi sensibus

me profiteor
Eminentiae Tuae Reverendissimae
humilem et oboedientem

P. Serapio Uluhogian
Abbas Generalis Ordinis Mechitaristarum Venetiarum

1. Ad promovendam unionem Orientalium dissidentium cum catholica Ecclesia opportunum immo necessarium videtur ut Ordinarii Occidentales libenter acceptent clerum orientalis ritus, curam animarum in Occidente habentem apud fideles migratos eiusdem ritus, gaudere iisdem facultatibus atque iuribus quibus gaudent Latini in Oriente. *Paritas rituum* tunc enim realis erit et non tantum theorica. Eadem scilicet libertas, eaedemque facultates atque iura concedantur Orientalibus in Occidente, in administrandis sacramentis in proprio ritu, sicut Occidentales habent in Oriente. Sic igitur quod vocatur ab ipsis dissidentibus « scandalum latinizationis » evanescit.

2. Eodem intentu, in territoriis catholicis, ut in Gallia et in America (U.S.A. et America latina) opportunum esse videtur concedere quasdam elargitiones in praescriptis ecclesiasticis circa *communicationem in divinis,* ita ut:

a) clerus orientalis catholicus possit officia sacra celebrare in ecclesiis aut aedificiis sacris dissidentium, ubi isti carent proprio parocho et nemo est qui curam habeat eorum spiritualem.

b) Missionarius aut parochus catholicus orientalis, iisdem in territoriis, ubi deest sacerdos dissidens, habeat facultatem largiorem administrandi sacramenta et sacramentalia ipsis dissidentibus, quandoquidem adsunt seria motiva unionis et animarum utilitatis.

3. Orientales qui iniuria temporum elementa latina acceperunt in propriis liturgicis actibus vel precibus, a traditione antiqua aliena, ad epurationem quandam rationalem rituum procedant oportet. Hic autem *processus epurationis rituum orientalium* indispensabilis est ad debellanda omnia illa ferrea impedimenta unionis quae adhuc adsunt inter catholicos et dissidentes eiusdem ritus, eiusdem scilicet communitatis ritualis. Tunc enim contactus inter duas huiusmodi communitates vivus et realis erit, cum identitas liturgica et ritualis restauretur plene; nam ex historia ipsa patet quomodo huiusmodi « ibridismi » sint in damnum unionis et non serviant nisi ad multiplicandas dissensiones et divisiones.

4. In « Motu proprio » *Cleri Sanctitati,* die 2 iunii 1957 promulgato, in can. 11, terminis canonicis aperte permittitur acatholico ritus orientalis qui ad unionem revertitur, *libertas eligendi proprium ritum.* Quamvis theologice non sit disputandum de ista libertate, quum obvium sit principium morale primatus fidei supra ritum, non tamen videtur opportunitas enuntiandi ita ufficialiter in codice orientalium, cum similis canon non existit in Codice latino pro protestantibus qui religionem catholicam recipiunt. Aliqua discriminatio forsitan rituum ita signatur, quae videtur in damnum fidelium ritus orientalis.

5. Item in canone 215, § 2, *praecedentia Legatorum Pontificiorum*

etiam simpliciter Delegatorum aut Nuntiorum carentium ordine episcopatus prae Patriarchis in Oriente, speciatim in territoriis horum, non videtur esse consona cum illa veneratione quae traditio catholica tribuit his Patriarchis. Nequit non causare dubia in spiritu dissidentium et cleri orthodoxi.

6. Iterum necessaria videtur quaedam *revisio canonis de forma matrimonii* in Codice Orientali; hic enim canon videtur plurimis in casibus contrahentium mixtae religionis non observari; et novae illae dispositiones quae ad sanandum incommodum habitae sunt, creaverunt conditionem aliquam minoratam pro parte catholica. Nam in antiquo et traditionali legis regimine, quod acceptabat valida omnia matrimonia contracta secundum ritum traditionalem orientalem, etiam in praesentia sacerdotis dissidentis, pars catholica facilius imponebat proprias condiciones et nova aliqua familia catholica nascebat. Hodie vero pars catholica in perditionem continuo traditur.

7. Hodiernis in circumstantiis conditio illa « sine qua non » pro institutionibus monachorum in Oriente, quae excludit professionem religiosam temporariam et exigit triennalem novitiatum, videtur non alium effectum immediatum habere nisi totalem quasi cessationem Monachorum in Oriente, Monachismi Patria. Opportunum igitur videtur iterum examinare quaestionem psychologice et paedagogice sat arduam *de triennio novitiatus monachorum orientalium* in relatione ad quaestionem temporariae professionis triennalis.

P. SERAPIO ULUHOGIAN
Abbas Generalis Ordinis Mechitaristarum Venetiarum

17

EXC.MI P. D. MESROP HABOZIAN
Archiepiscopi tit. Camacheni
Abbatis Generalis Ordinis Mechitaristarum Vindobonensis

Vindobonae, die 17 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Imprimis gratias ago pro litteris encyclicis quibus desiderat Commissio Antepraeparatoria sententias ac consilia colligere pro futuro Concilio Oecumenico.

Quum hierarchia armena catholica in mente habeat vota sua Pontificiae Commissioni proponere, Congregationi nostrae non est de quo specialiter mentionem facere velit.

Eminentiae Tuae
addictissimus

MESROP HABOZIAN
Archiepiscopus tit. Camachenus
Abbas Generalis Ordinis Mechitaristarum Vindobonensis

18

REV.MI P. D. SIGHARDI KLEINER
Abbatis Generalis Sacri Ordinis Cisterciensis

Romae, die 30 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Infrascriptus Abbas Generalis S. Ordinis Cisterciensis, ab Eminentia Vestra monitus, sequentia tractanda sive notanda pro futuro Concilio Oecumenico, salvo iudicio meliore eorum quibus onus iudicandi incumbit, humiliter exponit:

I. Quoad *doctrinam* quod attinet, infrascriptus humiliter devotissimeque petit, ut Beatissima Virgo Maria a Suprema Magisterii Cathedra sollemniter declaretur *Omnium Gratiarum Mediatrix.* Ex plurimis argumentis unum tantum brevissime afferre liceat testimonium: S. Bernardus, Ecclesiae Doctor, et Ordinis nostri quondam animator et propagator, qui absque dubio in proponendis doctrinis cautissimus fuit, hanc tamen sententiam egregie et firmiter tenuit defenditque.

II. Quoad *disciplinam* vota:

1) Desiderandum videtur quam maxime, ut Ecclesia occasione Concilii dilucide declaret, monachos a vitae ratione propria, scilicet intraclaustrali, detrahendos non esse, iuxta spiritum fundatorum vel legislatorum eos vivere et opera eorum apostolica praecipue intra claustrorum moenia, salvis iustis exceptionibus, devolvi debere, Ecclesiae eos servire debere suo proprio non alieno modo, ad administrationem paroeciarum, excepta forsan in ecclesia monasterii existente, vocandos non esse, immo qui in paroeciis vel similibus officiis extra claustra data opera commorantur, discreta ratione revocandos esse. Hoc modo absque dubio multorum monachorum conscientiae, ubi ancipites haerent inter propriae Regulae

praescripta et ministerii pastoralis exigentias et ita non raro a propria vocatione alienantur, illuminabuntur et pacificabuntur.

2) Desideratur, ut in ordinationibus S. Sedis amplior teneatur ratio diversitatum essentialium inter Ordines monasticos ex una et alia Instituta religiosa ex alia parte, diversitates quae in ipso coetu « religiosorum » — notio quidem iuridica et communis, quae vero quandoque obnubilat existentiam dictarum differentiarum — unos ab aliis separant.

3) Desideratur, ut monialibus Ordinis monastici restituatur clausura « regularis » olim eis propria, quae videtur rationi vitae earum exigentiisque vitae actualis, saltem in regionibus septemtrionalibus, magis consentanea.

Haec supra dicta, cum ea pro bono Ecclesiae vere in Domino utilia credamus, benignae considerationi Eminentiae Vestrae Eiusque iudicio omni qua par est reverentia submittimus et proponimus,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
obsequent.mus, dev.mus, humillimus
servus in Christo

FR. SIGHARDUS KLEINER
Abbas Generalis S. Ordinis Cisterciensis

19

REV.MI P. D. THEOBALDI MOSCATELLI

Abbatis Praesidis Generalis Congregationis Cisterciensis S. Bernardi in Italia

Eminentissime Domine,

Respondens litteris diei 18 iunii 1959 Prot. 1 C/59-1598, haec pro modulo meo consilia et vota suggerere et exprimere possum:

1. Cum versio Psalmorum elapsis annis ab Instituto Biblico peracta haud multis arriserit et ansam praebuerit murmurationibus et plurimorum exturbaverit animos, haud abs re esset si Concilium ediceret in hoc negotio attendendum esse textum quem suo tempore publici iuris faciet Commissio Revisionis Vulgatae cui munus incumbit genuinum textum S. Hieronymi recuperare vel erudire.

2. Hodiedum in re biblica quaedam opiniones et hypotheses resuscitantur quae absoletae apparent et repudiatae quoque a doctoribus protestanticis. Exinde sane bonum esset si Concilium prohiberet doctoribus

et professoribus quominus has opiniones et hypotheses profiteantur et defendant eosque adhortaretur ad sequendam his in rebus doctrinam traditionalem et novitates vitandas.

3. Quod attinet quinque Ecclesiae praecepta, Concilium secundum et quartum emendet vel pressius determinet necesse est, cum simplices fideles practice nunc dubii existant super abstinentia et ieiunii observatione, saltem quoad dies, et praecipue in magnis civitatibus facillime concedatur sollemnis nuptiarum celebratio temporibus clausis, quod cedit in fidelium scandalum, vel sin minus deperdere facit sensum poenitentiae agendae in Quadragesima et Domini Adventu.

4. Contra deprecabilem abusum, prohibeatur quominus immediate post celebrationem Missae, aliae celebrentur eucharisticae supplicationes.

5. Compertum est, saltem in Italia, curam pastoralem multis in locis praepediri vel difficultates invenire ob non bonam circumscriptionem paroeciarum et dioecesium. Evenit enim quod fines territoriales alicuius paroeciae vel dioeceseos perveniant ad proximitatem alterius ecclesiae paroecialis vel cathedralis cum magno incommodo fidelium et quandoque conflictu iurium. Bonum certe foret si Concilium praescriberet novam territoriorum distributionem seu circumscriptionem, ubi haec est necessaria, prae oculis habita cura fidelium et posthabita consideratione iurium historicorum et immutationis honoris cuiuscumque ecclesiae.

6. Cum in multis regionibus vocationes sacerdotales haud sufficiant necessitatibus locorum, in aliis vero abundent, Concilium imponere posset, vel enixe commendare Ordinariis, quibus non deest copia Sacerdotum, ut quos disponibiles habent cedant aliis dioecesibus sufficienti Clero carentibus.

7. Non desunt qui cleri imminutionem hodiedum existentem tribuant insufficienti remunerationi qua plurimi Sacerdotes donantur qua cum non valent propriae vitae providere, praecipue cum ad senectutem pervenerint.

Nonne Concilium imponere posset ut in quavis dioecesi redditus beneficiorum, congruarum et praecipue supplementorum congruae, sive ex integro, sive ex parte cedant capsae dioecesanae quae distribuat omnibus Sacerdotibus congruum stipendium congruamque pensionem Sacerdotibus senectute vel morbo labefactatis?

Alii alia consilia et vota saniora praestent, faxit Deus.

Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor

humillimum in Domino

THEOBALDUS MOSCATELLI

Abbas Praeses Generalis Congregationis Cisterciensis S. Bernardi in Italia

20

Rev.mi P. D. GABRIELIS SORTAIS

Abbatis Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum seu Strictioris Observantiae

Die 30 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Cum per epistolam datam Romae die 18 iunii huius anni (Prot. N. 1 C/59-1600) Eminentia Vestra infrascriptum non dedignavit praemonere ut ad Commissionem Antepraeparatoriam transmittat quaestiones quae ei videantur in futuro generali Concilio tractandae, tenore praesentium, adnexis foliis, huic mandato satisfacere duxi.

Deosculando Sacrae Purpurae limbum humilis et devotus Eminentiae Vestrae in Christo servus

P. Gabriel Sortais
Abbas Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum

De provecta Praelatorum aetate

Cum nostris temporibus ars medicinae mirabiliter processerit vitaque humana ad extremam senectutem, pharmacorum ope, protrahatur, non raro accidit ut praelati ecclesiastici, Abbates nempe, Episcopi, necnon ipsi Domini Cardinales, ad mortem usque in officiis et dignitatibus perseverantes, etsi longiore experientia et maiore auctoritate praedicti, impares tamen se exhibent audaciae, strenuo labori, ingentique solertiae quae in arduis negotiis tractandis requiruntur et cum decrepita aetate vix componi possunt. Seniores, ex alia parte, iuniorum menti et rebus velociter volventibus haud facile sese accomodant unde si auxiliares, coadiutores et alii huiusmodi viri eis concedatur, aegro animo eos ferunt nec eorum adiutorio et industria multum iuvantur, cum peractis temporibus remaneant addicti. Hoc in Ecclesiae praeiudicium, absque dubio, vergit.

De nimia dissensione inter locorum Ordinarios praesertim in rebus maioris momenti

Inter Episcopos unius eiusdemque nationis frequenter deest et consensus mentium et unitas actionum. In Gallia, verbi gratia, ubi publice disputatur et de iure et de aptitudine Ecclesiae in iuventutem educandam, viri magnae auctoritatis, civiles magistratus, quos ipse

audivi, aperte dolent Episcopos, in re tam gravi, inter se dissentire, nec unam Ecclesiae sententiam audiri posse, cum tot sint capita, fere tot opiniones. Qui ex proposito Ecclesiae adversantur, his dissensionibus nacti, acrius in eam irruunt nec iustam libertatem ei concedere dignantur. Calvinistae et Lutherani, ut audivi, minime dicuntur in fide concordes, maxime tamen in operibus moliendis, Catholici e contra, in fide quidem unanimes, in rebus vero politicis et socialibus in vias diversas abire soliti, cum Ecclesiae dedecore et detrimento.

Quod S. Congregatio Religiosorum negotiis praeposita facilius relaxat votorum obligationem

Mihi religiosum Ordinem ab annis moderanti, dispensatio votorum a S. Congregatione videtur ita concedi ut nonnulli religiosi obedientiam Deo usque ad mortem in Ordine promissam parvi facere audeant cum per meram chartam, post quindecim dies a S. Congregatione transmissam, sine ullo processu et ulteriore inquisitione, licentiam ab Ordine discedendi se accipere confidant. Ex alia parte, Ordinarii locorum, quorum clerus in dies desideratur, benevole amplectuntur sacerdotes Ordinem, etiam sine gravi ratione, relinquere cupientes. Enixe ergo exopto ne indulta exclaustrationis vel saecularizationis citius cunctis petentibus concedantur.

Quod inter Curiae Romanae Officiales maxime desunt monachi proprii nominis

Plerique Curiae Romanae Officiales pertinent, ut par est, tam ad clerum saecularem quam ad religiones vitae activae addictas, cum monachi vitam contemplativam in claustro deducant, secundum eorum regulam et vocationem. Unde, ubi de rebus monasticis agitur, Sacris Congregationibus esset consulere praesertim Curias Generalitias Ordinum quae, de mandato Sanctae Sedis, Romae adsunt cum respectis Officialibus.

De Codicis Iuris innovatione in quantum ad religiones monasticas attinet

Si Ius Canonicum de novo elaboretur, optandum est valde ut ampliores partes in corpore Iuris obtineant religiones monasticae quae ab Ecclesia publice agnoscantur cum propriis iuribus et privilegiis. Hodiernus Codex enim nisi ad recentiora Instituta religiosa videtur, data opera, attendere.

P. Gabriel Sortais
Abbas Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum

21

REV.MI P. D. FERDINANDI VIDAL

Ministri Generalis Ordinis Cartusiensis

12 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Vestrae Reverendissimae, die 18 iunii datas, laetantes accepimus, et coram Deo Omnipotenti orationes imprimis fundimus, ut afflatu Spiritus Sancti omnia ad Suum placitum perducere dignetur, quae sapienter a Summo Pontifice decreta et inchoata sunt.

Quoad vota de tractandis in Sacro Oecumenico Concilio, quae a Praelatis expetuntur, non censemus quidem partium nostrarum esse, ut res novas, quamvis opportunas, proponamus, nec ut corrigendas indicemus, qui de negotiis externis parum audimus; sed potius ut soli Deo adhaerentes, gratias eius super deliberationes Sacri Concilii toto corde imploremus.

Cum invitemur tamen ab Eminentia Vestra Reverendissima sincera voce declarare, si quid in regimine S. R. Ecclesiae animadversione dignum nobis videatur, humiliter confitebimur aliquid in voto esse.

Optamus scilicet ut Sacra Dicasteria Sanctae Sedis, quae de vita monastica iudicare debent, non solum competentibus muniantur Officialibus, sed talibus semper, qui speciale propositum vocationis contemplativae bene exploratum habeant et attente in omnibus adiunctis considerent, iuxta mentem Summorum Pontificum et Conciliorum, qui tam constanter illud commendarunt et optimae parti Mariae saepe comparaverunt, ita ut Monachi praeceptis quae sibi a S. R. Ecclesia proponuntur liberiori ac ferventiori obsequio parere valeant.

Quae dum Eminentiae Vestrae Reverendissimae communicamus, nos semper Eiusdem et S. R. Ecclesiae obedientes in Christo filios profitemur.

P. FERDINANDUS VIDAL

Minister Generalis Ordinis Cartusiensis

22

REV.MI P. D. LUDOVICI NOWAK

Prioris Generalis Ordinis Fratrum S. Pauli Primi Eremitae

Czestochoviae in Claro Monte, 27 ianuarii 1960

Eminentissime princeps,

Respondendo litteris Eminentiae Vestrae Reverendissimae de die 18 iunii a. 1959 (Prot. N. 1 C/59-1602) transmitto humiliter quasdam animadversiones, insimul indulgentiam benignissimam precor ratione retardationis, quae tamen in defectu opportunae occasionis causam habet. Profundam pariter laetitiam totius nostrae familiae religiosae exprimere cupio ob Sacrum Concilium convocandum, Deum Optimum adprecamur, ut omnia proposita adimpleantur, quae in corde habet Beatissimus Pater Concilium hoc coadunaturus.

Sacram Purpuram et manus Eminentiae Vestrae deosculans, peto benedictionem pro nostra familia religiosa.

P. LUDOVICUS NOWAK
Prior Generalis Ordinis S. Pauli Primi Eremitae

1. *Doctrinae Catholicae capita*

Infallibilis definitio veritatis de B. Maria Virgine omnium gratiarum Mediatrice postulatur. Doctrina haec in forma universaliori concepta, prout dispensationem omnium gratiarum continet et exprimit, sine dubio ad thesaurum divinae revelationis pertinet et ab Ecclesia Catholica sat clare proponitur. Proclamatio huius dogmatis ad augendum cultum B. Mariae Virginis et devotionem exardescendam fidelium multum conferet. Omnia per Mariam daemonis Victricem — idea haec cum indole nostrae aetatis optime consonat.

2. *Disciplina Cleri*

Defectio populorum a fide catholica saepe in vita cleri habet causam. Quilibet enim homo sive fidelis sive atheista consonantiam Evangelium inter et praxim cotidianam videre vult, praeprimis apud Evangelii praecones. Proinde:

1) Reformari debet methodus educandi alumnorum in Seminariis. Plus nempe vitae spiritualis, plus pietatis et asceseos promovendae.

Populus enim fidelis hodie magis sanctos quam doctos sacerdotes postulat.

2) In Seminariis idea sacrificii vitae sacerdotalis pro Dei gloria et animarum salute clare et indesinenter proponatur. Sacerdotes enim nostri temporis commodis vitae nimis insistunt, luxui avide inhiant, spiritu laicismi plane imbuuntur cum detrimento suae vocationis.

3) Stipendia Missarum et oblata pro sacris ministeriis tandem aliquando stricte determinari debent in quavis dioecesi, maxime ratione matrimonii benedicendi et sepulturae ecclesiasticae celebrandae. Enormes enim « taxae », quae a permultis sacerdotibus postulantur scandalo sunt fidelibus, ab Ecclesia persaepe deterrent et adversariis argumenta suppeditant.

4) Expellantur mulieres in oeconomicis negotiis apud sacerdotes occupatae, iuxta praescripta Iuris Canonici. Hoc enim causa est, cur tam per longum et latum peccata etiam publica sacerdotum multiplicentur.

5) Leges sacri coelibatus severissime custodiantur absque ulla spe disciplinae relaxandae. Potius Ecclesia sacerdotibus careat, quam ut scandala animas fidelium veneno inficiant et inimici Ecclesiae Christi insultent.

3. *Vita religiosa Fidelium*

1) Vita Eucharistica omni modo omnique conatu promoveatur. Confessio annua et Sacra Communio Paschalis ita reformetur ut fideles obligentur pluries in anno sacra Dape refici. Ad formam enim Ecclesiae primaevae pedetentim redire oportet.

2) Apostolatus laicorum sapienti disciplina determinetur ita ut quilibet fidelium suam responsabilitatem pro Ecclesia sentiat, ex altera vero parte ut excessus quorumdam coarceantur.

3) Instructio religiosa laicorum perdurare oportet et quidem modo systematico ab infantia ad maturam aetatem, uti pericula praesentis temporis expostulant. Curatores animarum praeter contiones et expositiones infra Missas, speciales cursus doctrinae fidei et morum instituant — extra scholas — pro adultis.

4) Praeprimis desideratur ut Concilium Oecumenicum efficacia remedia familiae christianae sanandae in spiritu Evangelii indicet atque inculcet praesertim quae ad abusum matrimonii attinent nec non id quod est maxima calamitas temporis nostri: procurationem abortus.

4. *De Ordinibus et Congregationibus religiosis*

1) Visitatio canonica religiosarum et Apostolica religiosorum solummodo a viris religiosis perficiatur, qui difficultates et indigentias vitae religiosae optime cognoscunt.

2) Privilegium exemptionis Ordinum et Congregationum ulterius conservetur necesse est. Historia enim sat eloquenter testatur disciplinam religiosam multum relaxari sub dependentia Ordinum ab Episcopis locorum.

P. LUDOVICUS NOVAK
Prior Generalis Ordinis S. Pauli Primi Eremitae

23

REV.MI P. D. ISIDORI CROCE

Archimandritae Superioris Generalis Ordinis Basiliani Italiae Abbatis nullius B. Mariae Criptaeferratae [1]

24

REV.MI P. D. PAULI MYSKIW

Protoarchimandritae Superioris Generalis Ordinis Basiliani S. Iosaphat

Roma, 1 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

In riferimento al venerato foglio N. 1 C/59-1607 del 18 giugno 1959, mi onoro di trasmettere all'Eminenza Vostra Rev.ma il qui unito « Pro memoria », contenente le osservazioni ed i voti che in Domino credo possano essere presentati all'esame della Pontificia Commissione Antepreparatoria per il futuro Concilio Ecumenico.

Inchinandomi al bacio della S. Porpora con i sensi della più profonda venerazione, mi professo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo e devotissimo nel Signore
P. PAOLO MYSKIW
Protoarchimandrita Superiore Generale dei Basiliani di S. Giosafat

---

[1] Cf. vol. II, part. II, pp. 771-772.

I. Dogmatico - Moralia

1. Tamquam pestis aetatis hodiernae damnandus est materialismus uti falsa doctrina in genere et praesertim eius applicatio ad solvendam quaestionem socialem, cum omnibus eius consectariis, et quidem: in campo moralitatis liberalismus infrenatus; in campo politico suprematia statalis absoluta quoad internam relationem cives inter et Statum atque despectus iuris internationalis quoad relationem inter respublicas. Nec res publicae communismo non subiectae liberae sunt ab influxu materialismi.

2. Clandestina societas, s. d. « liberorum muratorum seu massonorum », quae fidem christianam subvertere Ecclesiamque Christi evertere conatur, damnanda est.

3. Declaret Sancta Synodus Oecumenica — omnes homines liberos filios et creaturas Dei esse omnesque tum in individuo tum in societate populorum et communitate gentium iisdem gaudere debere iuribus, privilegiis, bonis naturae et humanae industriae, omnemque privationem iniustam libertatis hominis populorumque ab aliis hominibus populisque christianae imo D. N. I. Christi adversari doctrinae.

Damnanda est proinde omnis oppressio tum singulorum hominum, tum classium hominum tum populorum.

4. Opportunum esset statuere — propagationem fidei catholicae nulli nocere homini, populo populorumque generi, hancque propagationem nulli subiacere debere restrictioni civili, rituali, territoriali, traditionali, omnemque Ecclesiam cuiuscumque ritus in unione cum Romano Pontifice manentem ius et obligationem habere propagationi fidei ubique locorum incumbere, secundum doctrinam D. N. I. Christi in evangeliis expressam.

5. Speciali studio subicienda est quaestio conversionis clericorum protestantium, qui secum ad Ecclesiam Catholicam magnam partem suae gregis conducere possent. Cum iidem clerici uxorati sint, disciplina coelibatus in Ecclesia Latina impedit eorum conversionem, ideoque invenienda est alia solutio huius gravissimae quaestionis.

6. Doctrina circa sanctitatem matrimonii, indissolubilitatem, educationem prolis, fidelitatem matrimonialem ab ultimis Summis Pontificibus fortiter inculcata iterum synodaliter sublineanda est et christifideles admonendi circa pericula imminentia pro societate christiana ex eiusdem non observantia. Iidem admonendi circa nefastum influxum iudaeorum, qui sub pretextu corporis curae introducunt in societatem christianam praxim circumcisionis infantium, multum divulgatam in USA.

II. Unionistica

1. Declaret Sancta Synodus Oecumenica Romanum Pontificem, qua Vicarium Christi in terris Caputque Ecclesiae Universalis, iure universali Ecclesiae ad nullum pertinere ritum canonicum particularem; in ritu vero sacro exercendo quemcumque ritum sequi posse, secundum circumstantias locorum et personarum.

2. Declaretur item omnes ritus tum canonicos tum sacros in Ecclesia Catholica esse aequalis iuris dignitatisque.

3. Prohibeatur transitus et promiscuitas rituum: omnisque Ecclesia particularis numerum suum augere conetur propagatione fidei catholicae apud infideles, non vero per transitum fidelium ex uno ritum ad alium omnisque facultas transeundi unice a Sancta Sede concedatur.

4. Forsitan opportunum esset revidere praescriptiones Romanae Curiae de relationibus cum acatholicis, de communicatione in Sacris cum orthodoxis orientalibus, de modo et forma conversionis tum singulorum tum communitatum.

5. Opportunum videtur commendare omnibus clericis et Christi fidelibus quam maximam scientiam tum theoreticam tum practicam rituum in Ecclesia vigentium, ut fidei catholicae necessariam, ad eius universalitatem et unitatem stabiliendam tuendamque.

III. Iuridico - Liturgica

1. Opportunum videtur commendare, ut quaedam normae iuris canonici revideantur magisque circumstantiis temporum locorumque aptentur, praesertim quoad disciplinam clericorum et regularium:

a) tollenda est clausula can. 11 de qua in Motu Propro « Cleri Sanctitati », vi cuius « baptizati acatholici ritus orientalis, qui in catholicam Ecclesiam admittuntur, *ritum quem maluerint amplecti* possunt »,

b) modificandus est can. *C.I.C.* 823 in hunc sensum paragraphi secundae, ut licitum sit sacerdotibus ritus latini celebrare « *super Graecorum antimensiis* », in eorundem ecclesiis et oratoriis, etiamsi altare non sit consecratum,

c) modificandus est can. *C.I.C.* 816 analogice ad can. 851, ut liceat sacerdoti in Missae celebratione adhibere panem alterius ritus, ob defectum panis proprii ritus, etiamsi devotionis causa tantum Sacrum litet,

d) ius poenale *C.I.C.* ad simpliciorem reducatur formam, praesertim quoad censuras latae sententiae quoad confessarios; item quoad peccata reservata. Provincia haec relinquatur iurisperitis pro foro externo sive iudiciali sive administrativo,

e) iurisdictio ad audiendas confessiones religiosarum in simplicio-

rem reducatur formam, ut restrictiones iurisdictionis quoad earum confessiones ad solam liceitatem, non autem validitatem absolutionis reducantur, prout in Codice orientali,

f) severiores normae in constituendis novis Congregationibus religiosarum eiusdem speciei emanandae sunt,

g) aetas canonica requisita ad episcopatum non minor quam 40 annorum praescribatur,

h) ut taxae clero et paroeciis ab Ordinariis impositae vel imponendae normis quibusdam generalibus practicis circumscribantur, ne ecclesiastica administratio quadam quasi simonia laborare praesumatur.

2. Statuat Sancta Synodus Oecumenica, ut saltem omni quinquennio instituatur a Delegatis specialibus Sanctae Sedis, vel a Delegatis in Congressibus Episcoporum uniuscuiusque ecclesiasticae Provinciae selectis, visitatio canonica eparchiarum, Ordinariorum eorumque Cancellariarum tam in spiritualibus quam in temporalibus, nec non totius cleri in dioecesi laborantis, pro maiori bono Ecclesiae, Ordinariorum ipsiusque cleri et fidelium.

3. Maior autonomia administrativa ecclesiasticis provinciis orbis terrarum concedatur in quaestionibus minoris momenti, v. gr. dispensatio Sororis Sacristae lavandi purificatoria, reconfermatio PP. Confessorum religiosarum, dispensationes quaedam matrimoniales, etc. Concilia provincialia et dioecesana magis frequentiora fiant maioreque vi gaudeant.

4. In votis orientalium esset, ut ius canonicum occidentale orientaleque in unum redigatur codicem (cf. MP *Cleri Sanctitati, A.A.S.* 1957, pag. 434).

5. Opportunum esset permittere Episcopis maiorem curam et facultatem in rebus liturgicis nostris temporibus et animis magis et aptius accommodandis; propagatio fidei catholicae locorum et populorum vitae, spiritui,arti, linguae, etc. magis adaptetur in Asiae Africaeque vastissimis regionibus. Introductio tamen linguarum vernacularum soli Sanctae Sedi sit reservata, praecautis praecavendis.

6. Opportunum esset, ut maior unio animorum et operum inter catholicos promoveatur: inter eos qui libertate gaudent et eos, qui propter fidem persecutionem patiuntur, inter Ecclesias, dioeceses, paroecias divitiores et pauperes, inter eas quae clericis abundant et eas quae penuriam sacerdotum patiuntur; maior cooperatio desideratur in operibus caritatis, propagationis et defensionis fidei ubicumque locorum, in ephemeridibus, libris edendis, in bona radiophonia, cinematographia bonaque arte televisifica promovenda etc.

P. Paulus Myskiw
Protoarchimandrita Superior Generalis
Ordinis Basiliani S. Iosaphat

25

Rev.mi P. D. IOACHIM SABA

Archimandritae Superioris Generalis Ordinis Basiliani
Ss.mi Salvatoris Melkitarum

Qui responsum dedit una cum B. P. D. Patriarcha Antiocheno Melkitarum.[1]

26

Rev.mi P. D. AUGUSTINI FARAH

Archimandritae Superioris Generalis Ordinis Basiliani
S. Ioannis Baptistae, seu Baladitarum vel Soaritarum Melkitarum

Qui responsum dedit una cum B. P. D. Patriarcha Antiocheno Melkitarum.[2]

27

Rev.mi P. D. AMBROSII KASSIS

Archimandritae Superioris Generalis Ordinis Basiliani
Aleppensis Melkitarum

Qui responsum dedit una cum B. P. D. Patriarcha Antiocheno Melkitarum.[2]

---

[1] Cf. vol. II, part. IV, pp. 451-462.
[2] *Loc. cit.*

ORDINES MENDICANTES

1

Rev.mi P. MICHAËLIS BROWNE

Magistri Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum

Romae, 16 maii 1960

I - *De longiori ministerio diaconali presbyteratui praemittendo*

Summi momenti est ut coelibatus sacerdotalis in Ecclesia perfecte et absolute custodiatur. Ex alia parte, minus prudens videtur esse ut iuvenes in fine cursus ordinarii studiorum ecclesiasticorum ad onus tam graviter obligans sine probatione ulteriori admittantur. Virtus enim eorum non est adhuc satis probata, ad hoc ut aestimari posset eos, in vita et ministerio communi sacerdotali, superaturos esse pericula et difficultates quae ab eisdem inseparabilia sunt. Hic non agitur unice de capacitate eorum, sub divina gratia, resistendi passionum motibus ab intrinseco, praecise consideratis. Supponendum enim est eos sub vigilantia eorum Superiorum et eorum Confessariorum, seminarii cursu durante, talem capacitatem demonstrasse. Agitur potius de demonstratione capacitatis se prudenter gerendi et gubernandi in relationibus cum personis saecularibus, et etiam sacris, maxime alterius sexus; item in delectu lecturae, in delectu recreationum et similibus. Imprudentia in his omnibus facile ducit ad ruinam. Haec demonstratio indiget experientia et temporis decursu ut de ipsa constet.

Ut haec demonstratio, moraliter loquendo, habeatur, proponitur ut in fine cursus communis studiorum ecclesiasticorum iuvenes promoveantur non ad presbyteratum, sed ad summum, ad diaconatum.

Diaconus, ut constat, *sub presbyteri commissione* potest: 1) praedicare, 2) baptizare, 3) Sacram Communionem distribuere, 4) sacerdoti ad altare adsistere, 5) ad Sacram Confirmationem candidatos praeparare, 6) catechizare, 7) convertendos instruere, 8) operibus caritatis in paroecia prospicere, 9) archivum paroeciae custodire, 10) secretariatum paroeciae gerere, 11) plura quae respiciunt gestionem rerum oeconomicarum paroeciae, ecclesiae paroecialis, sacristiae et coemeterii curare, 12) parochum, quoad quaedam saltem, in vita communi civili et sociali repraesentare.

Diaconus, dum haec munia exercet, experientiam valde pretiosam

vitae clericalis acquirit, itemque experientiam suimetipsius in relationibus exterioribus. Parocho auxilium valde pretiosum praestat. Populo servitia sacra varia summi momenti reddit. Parochus — et alii clerici ad paroeciam pertinentes — iuvenis diaconi spiritum et prudentiam observare possunt et de eisdem Episcopo referre. Vox quoque quaedam populi christiani ordinarie profertur de iuvenis diaconi qualitatibus. Episcopus, in fine, his omnibus perpensis, securius manus ipsi imponet. Diaconus ipse tranquillius, tempore opportuno, presbyteratum suscipiet. Quidam diaconi, propria sponte, ad vota saecularia transibunt; quidam forte in solo diaconatu manere eligent.

Quae supra proponuntur pro clero saeculari, clero quoque regulari applicabilia pro magna parte sunt. Diaconus enim regularis multa munia in propria ecclesia et communitate exercere potest. Potest quoque studiis superioribus vacare necnon munus docendi in gymnasiis, lycaeis et aliis collegiis suae familiae religiosae gerere.

Ob gravitatem munerum quae sacerdotio coniunguntur, requiritur saltem hodie, ut videtur, ut candidatus ad ipsum habeat circiter triginta annos.

Periodus ministerii diaconalis, ante susceptionem presbyteratus, utiliter esset, ut aestimo duorum, trium vel, forte, quinque annorum.

Suppono diaconos, etiam cleri saecularis, immo et subdiaconos, lege coelibatus ligari. Talis autem lex dispensabilis esset, si ad vota saecularia, sive voluntarie sive constricte, redeant.

Casu quo Concilium aestimet ea quae hic exponuntur approbabilia esse, quaecumque modificatio disciplinae nunc existentis gradatim tantum esset introducenda, v. g. ut pro aliquo periodo post novam dispositionem forte faciendam, periodus ministerii diaconalis sit unius anni tantum, pro aliquo subsequente periodo sit duorum annorum et ita porro, si Concilium aestimet plus quam biennium utile esse. In omni casu opportunum erit ut Ordinarii Sanctam Sedem edoctam reddant de experientia novae disciplinae.

II. *De amplioribus facultatibus Episcopatui tribuendis*

Opportunum hodie videtur ut aliqua amplior auctoritas relinquatur Episcopatui in singulis nationibus, maxime in nationibus maioribus et in quibus habetur clerus insignis et bene praeparatus. Haec dispositio faceret ad decongestionandum dicasteria S. Sedis quae negotiorum numero saepe opprimuntur. Esset signum quoque fiduciae ex parte S. Sedis erga Episcopatum localem. Hoc fieri posset 1) iura quaedam ampliora tribuenda Metropolitis et Primatibus quantum ad casus in quibus Tribunalia eorum possunt sententias proferre in rebus non maioribus. Posset

2) quoque fieri, eisdem tribuendo ampliores facultates quoad dispensationem a legibus ecclesiasticis in negotiis quoque non maioribus. Primates quoque 3) in singulis nationibus possent considerari ut fiduciarii nati S. Sedis pro consilio et informatione circa negotia bonum Ecclesiae spectantia in illa natione.

III. *De Patriarchis Orientalibus*

Ut Sanctissimus a Concilio supplicetur ut *aliqui* Patriarchae maiores Ecclesiarum Orientalium sint eo ipso Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et quidem in Ordine Episcoporum.

Hoc signo fiduciae magis vincientur Sanctae Sedi, roborabitur exercitium iurium Summi Pontificis quoad eorum designationem, augebitur auctoritas S. Sedis quoad clerum et populos fideles Orientales.

(Istud propositum fit sub dubio aliquo).

IV. *De promotione Sacrorum Studiorum*

Ut Sanctissimus a Concilio supplicetur quatenus in Curia Romana instituatur Sacra Congregatio Studiorum — distincta a S. Congr. Seminariorum — cuius munus esset 1) Universitates Catholicas gubernare; 2) studiis sacris altioribus in Ecclesia prospicere eaque animare, vigilare et promovere. Eius munus aliud esset ab eo S. Officii, cuius est prospicere his quae respiciunt fidem ipsam vel quae cum fide proxime connectuntur. Consultores huius S. Congr. possent esse viri eminentes per totam Ecclesiam dispersi.

V. *De paroeciis*

Mens et spiritus Ecclesiae est ut paroeciae non sint nimis magnae seu constantes nimio numero personarum seu familiarum. Oportet enim ut quaelibet anima christiana sit cognita a suo pastore. Oportet quoque ut paroeciani eiusdem paroeciae se invicem cognoscant ad hoc ut se invicem ament et sibi invicem adiutorium ferant in variis vitae necessitatibus. Paroecia enim, ut ecclesia localis, est non solum societas ordinata sub pastore in ordine ad cultum divinum, sed etiam, et quam maxime, est congregatio fraternae caritatis. Omnibus modis conandum esset ut paroeciae nimis magnae dividantur.

VI. *De ecclesiis paroecialibus*

In pluribus urbibus hodie construuntur magna aedificia in quorum singulis habitat notabilis numerus familiarum. Sat frequenter quoque plura aedificia huius generis in eadem urbis regione prope ad invicem inveniuntur. Valde difficile et dispendiosum est ut ecclesiae paroeciales

construantur numero sufficiente pro necessitatibus populi christiani in his urbis regionibus habitantis. Commendandum exinde videtur ut auctoritas ecclesiastica, paroeciis apte divisis, agat apud illam civilem et apud proprietarios talium aedificiorum ut, in singulis paroeciis, pars alicuius eorumdem aedificiorum destinetur, pretio soluto, ad cultum divinum et ad officia paroecialia in bonum populi christiani.

P. Michaël Browne
Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum

2

Rev.mi P. AUGUSTINI SÉPINSKI
Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum

Romae, die 30 septembris 1959

Eminentissime Domine,

honori mihi duco vota et consilia, quae Concilio Oecumenico proponenda esse censui, Eminentiae Vestrae Reverendissimae, prout litteris diei 18 mensis iunii c. a., Prot. N. 1 C/59-1612, postulabatur, ea qua par est reverentia transmittere.

Quae mihi visa sunt utiliter in Concilio pertractari posse, summarie exposui; ea tamen iudicio Eminentiae Vestrae et Commissionis Praeparatoriae humiliter subiicio, et interim Deum precor ut superno lumine Augusto Pontifici cunctisque Patribus Conciliaribus adsit, ut, Eo adiuvante, uberrimi fructus in Ecclesiae et animarum utilitatem percipi valeant.

Hanc occasionem libenter nactus, cuncta prospera Eminentiae Vestrae exopto et s. Purpuram deosculor, manens

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addict.mus in Domino
Fr. Augustinus Sépinski
Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum

I. Quoad doctrinam

Inter negotia in Concilio pertractanda, Ecclesiarum dissidentium reditus ad unicum Christi ovile maximi sane momenti apparet et procul dubio res adeo gravis a Patribus Conciliaribus examini et studio subiicie-

tur. Ad optatum autem finem securius et facilius consequendum, expedire videtur:

1) ut accurate evolvatur et proponatur doctrinae catholicae substantia, quin nimium tribuatur opinionibus disputabilibus, singulis Auctoribus aut Scholis theologicis peculiaribus;

2) ut temperetur immoderatus fervor quorumdam Theologorum in proponenda definitione dogmatica novarum veritatum, quae ceterum iam pacifice acceptantur a fidelibus;

3) ut, occasione sumpta celebrationis Concilii, in Urbe constituatur stabilis « Coetus Oecumenicus », seu peritorum virorum consociatio, qui studia et incoepta ad promovendum reditum fratrum dissidentium in sinum Ecclesiae Catholicae promoveant atque coordinent.

II. Quoad disciplinam cleri et populi christiani

1. *De cultu divino et sacra Liturgia.*

Optandum est:

a) ut incoepta reformatio liturgica, seu redactio rubricarum ad simpliciorem formam, cito et universim in actum deducatur, tum quod attinet ad Officium divinum et Missae Sacrificium, tum relate ad Sacramentorum et Sacramentalium administrationem, inclusis etiam sollemnioribus functionibus pontificalibus;

b) ut, in celebratione S. Missae et in Sacramentorum administratione, quaedam partes seu orationes, lingua vulgari singularum nationum, iuxta ordinem presse determinandum et rigorose servandum, recitari possint;

c) ut textus psalmorum in Horarum canonicarum recitatione adhibendus definitive stabiliatur, sublata libertate uno vel alio textu utendi, ita ut uniformitas ubique restauretur. Detur tamen facultas sacerdotibus provectioris aetatis, qui difficilius Officium recitare valerent iuxta psalterium emendatum, vel adhibendi veterem textum, vel Horarum recitationem aliis piis precibus (e. g. recitatione tertiae partis Rosarii B. M. V.) supplendi;

d) ne facilius et frequentius introducantur in kalendarium liturgicum nova festa in universa Ecclesia celebranda;

e) ut sacerdotes, qui sacri ministerii officiis addicti sunt, quique frequenter, ex multiplicibus occupationibus quibus detinentur, Officii recitationem negligere aut omittere coguntur, iusta et rationabili de causa Horas canonicas commutare valeant cum recitatione tertiae partis Rosarii B. M. V. vel alia aequivalenti oratione.

2. *De Ordinibus minoribus et maioribus.*

Suadendum esse videtur:

a) Ut Ordinibus minoribus et maioribus, i. e. Subdiaconatui et Diaconatui, pristina munera, in adiutorium ordinis sacerdotalis, iuxta veterem Ecclesiae disciplinam, restituantur;

b) Ut onera perpetua, quae nunc adnectuntur omnibus ordinibus maioribus, praesertim obligatio servandi sacrum coelibatum, reserventur sacro ordini presbyteratus. Relate ad coelibatum: *pro sacerdotibus,* assumptio irrevocabilis obligationis illum perpetuo custodiendi, in quantum possibile, ad maturiorem aetatem differatur; *pro ceteris ordinibus maioribus,* introducatur promissio servandi perfectam castitatem, ad annum valitura et annuatim renovanda, donec per susceptionem sacerdotii perpetua fiat.

Praeterea examinari posset quaestio de opportunitate habendi Diaconos et Subdiaconos perpetuos, qui possint matrimonio copulari.

c) Ut benigne consideretur tristis eorum sacerdotum, saecularium et regularium, condicio, qui a sua vocatione defecerunt, et, quantum possibile, a miserrimo statu spirituali in quo reperiuntur, aliquo adhibito opportuno remedio, subleventur.

3. *De Ordinibus et Congregationibus religiosis.*

a) Plura sane emolumenta, ut experientia docet, obvenire possunt Christi Ecclesiae ex mutua cooperatione sodalium Institutorum religiosorum cum clero saeculari in iis quae pertinent ad sacrum ministerium exercendum. Quare maxime praestat regulares, praesertim sacerdotes, suam conferre operam in adiutorium Episcoporum et parochorum ad animarum curam gerendam et ad multimoda munera, quae cum eadem cura conectuntur, exsolvenda. Quae propterea cooperatio, sincera, hodiernis necessitatibus accommodata atque divinae gloriae animarumque salutis imprimis studiosa, maxime inculcanda est.

b) Nihilominus, ne religiosae vitae et disciplinae vigor extenuetur, videtur omnino necessarium ut exemptionis iura et privilegia adhuc vigentia in suo robore permaneant; idque:

1) ad sartam tectamque custodiendam in domibus et in provinciis regularitatem vitae communis, quae difficilius sustineri posset in casu contrario;

2) ad possibilem reddendam bonam institutionem iuniorum sodalium et adspirantium, iuxta indolem et spiritum uniuscuiusque Instituti: Religionis enim vitalitas spiritualis et sodalium aptitudo ad efficacem apostolatum exercendum valde periclitarent, si Superiores destitue-

rentur libera facultate praeficiendi institutioni adspirantium et iuniorum sodalium quos magis idoneos reputarent;

3) ne imminuantur contributa religiosorum ad scientiarum, praesertim sacrarum, profectum;

4) ut actuositas missionaria, cum inter fideles tum inter infideles, cui potissimum operam navant religiosarum societatum sodales, florere pergat et pro posse augeatur v. g. in America latina.

c) Religiosorum Institutorum prosperitati, uti videtur, valde conferret, si Supremi Moderatores, cum respectivo Consilio, amplioribus ditarentur facultatibus quoad dimissionem sodalium, a votis perpetuis aut sollemnibus professorum, qui sua prava agendi ratione religioni officiunt.

Desideratur in specie:

1) ut possit Supremus Instituti Moderator, de consensu sui Consilii, ad saeculum dimittere sodales a votis sollemnibus professos, votis eo ipso solutis, quoties satis constet, ex eorum agendi ratione, ex patratis delictis aut ex vitae consuetudine, eos esse indignos et incorrigibiles, quin in casu forma processualis in iure statuta servanda sit;

2) ut apostatae ab Ordine vel Congregatione, qui, bis moniti, ad oboedientiam redire renuerint, possint ipso facto a religione dimissi declarari.

4. *De abstinentia et ieiunio.*

Desideratur ut lex de abstinentia et ieiunio ita ordinetur ut, ex una parte antiqua et veneranda praxis paenitentialis non omnino obsolescat, et ex alia parte eadem praxis aptius concilietur cum hodierni temporis necessitatibus, magisque uniformis in tota Ecclesia reddatur.

III. Quoad Sacri Apostolatus Ministerium

Res maximi momenti, praesentibus in adiunctis, reputatur opus praeservationis fidei in coetu hominum tenuioris condicionis, seu inter eos quos proletarios vocant, et conversionis eorum qui a consuetudine vitae christianae catervatim defecerunt.

Proponitur ut revisioni subiiciantur viae hactenus sequutae, novaeque excogitentur ad fidei depositum in hominum conscientiis servandum et ad errantes in viam salutis revocandos.

1. Praestat ad hoc, ut videtur:

a) candidatos ad sacerdotium, cum saeculares tum regulares, non modo animarum zelo et spiritu deditionis in proximorum salute spiri-

tuali procuranda quam studiosissime imbui, verum etiam de novis methodis in ministerii sacri exercitio adhibendis accurate institui;

d) delectos laicos, viros scilicet et mulieres, praesertim militantes in diversis coetibus « Actionis catholicae », in auxilium sacrae Hierarchiae advocari eosdemque diligenter institui circa ea omnia quae ad apostolatum, verbo, exemplo et opere exercendum, pertinent, ita tamen ut semper sub omnimoda dependentia Superiorum ecclesiasticorum operentur;

c) Tertios Ordines, Congregationes seu Instituta saecularia, pias cuiuscumque nominis societates, confraternitates, aliasque id generis consociationes, studiose foveri et, non modo dirigi ad vitam christianam individualem perfectius profitendam, verum etiam concitari ad operam dandam, prout facultas aderit, Christi regno dilatando firmandoque seu proximorum saluti procurandae.

2. Ceterum instandum quoque est ne laici, qui apostolatui operibus deduntur, disiunctim operentur a Superioribus ecclesiasticis, Episcopis scilicet et aliis pastoribus animarum, neve praesumant sese extollere supra eos « quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei », sed e contra ab eis exquiratur ut summo studio eosdem Superiores revereantur nihilque agant citra eorum beneplacitum.

IV. Quoad nonnulla peculiaris momenti negotia

1. *De festo Paschatis stata die celebrando.*

Tempus fortasse maturum esse videtur ad festum Paschatis assignandum alicui determinatae diei, ita ut non amplius inter festa mobilia eadem Sollemnitas computetur. Quodsi nondum sumi possit tanti momenti decisio, opportunum existimatur Concilium de re agere et saltem declarare ex parte Ecclesiae catholicae nihil obiciendum exstare, positis ponendis, contra consilia et proposita de praedicto festo stata anni die semper celebrando.

2. *De armis atomicis proscribendis.*

Cum inventa, ut aiunt, « atomica », nisi ad fines pacificos adhibeantur, magnum constituant periculum pro omnibus hominibus, valde expedire videtur ut Concilium populorum Rectores hortetur ne permittant eadem inventa in usus bellicos converti neve pergant eundem in finem experimenta peragere.

P. Augustinus Sépinski
Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum

3

Rev.mi P. VICTORII M. COSTANTINI
Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium

Roma, 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Diuturna per exteras nationes itinera hucusque impedierunt quominus citius ad Rev.mam Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico responsionem mitterem.

Nunc ergo quae ad animarum salutem et ad S. Catholicae Ecclesiae incrementum in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt humiliter at sincere et aperte Eminentiae Vestrae in adiectis foliis submitto.

Enixe Eminentiam Vestram rogo ut velit S. Pontificem certiorem reddere integrum Ordinem Fratrum Minorum Conventualium assiduas perlibenter effundere atque effusurum esse precationes ad Summi Pontificis mentem, praesertim ut Concilium Oecumenicum praestitutos a Vicario Christi fines plene consequatur intercedente Beatissima Virgine Immaculata.

Interim, qua per est reverentia et obsequio, Eminentiae Vestrae me profiteor

Addictissimum in Christo servum
P. Victorius M. Costantini
Minister Generalis
Ordinis Fratrum Minorum Conventualium

I. *Quoad Doctrinam*

Ut definiatur Universalis Mediatio Beatae Virginis in gratiarum distributione.

II. *Quoad relationes cum fratribus separatis*

In recentioribus itineribus, praesertim proximi Orientis, quaedam colloquia cum aliquibus sacerdotibus schismaticis et cum christianis habui. Ex his quae audivi quaeque consideravi, haec mihi, caute et modeste, videntur proponi posse.

1. Non videtur mentem dissidentium Orientalium, attentis eorum

praeiudiciis saecularibus erga Romanam Ecclesiam et Fidem Catholicam, derepente posse mutari.

2. Etsi in discussionibus ipsi admittere possunt sub theoretica quadam ratione veritatem catholicam — quod tamen de facto vix expectari potest — manebunt tamen conditiones politicae et vitae practicae, relationes cum propriis fidelibus, quae multas difficultates parant; ideo, etiam cognita veritate, difficile erit pro ipsis superare realem conditionem rerum.

Ipsi dissidentes Orientales vocari possent ad quasdam particulares Concilii Sessiones ut differentias sereno animo examinare possint et suas opiniones et conclusiones fraterne communicare. Forsan hoc modo obtineri posset, saltem ex parte, ut dissidentes:

a) se abstineant ab impugnatione dogmatum Ecclesiae Catholicae;

b) ut ad unitatem praeparandam suis fidelibus illustrent multa illa dogmata in quibus Ecclesia Catholica eandem doctrinam quam ipsi docet;

c) ut ad istam unitatem parandam studium diligentius impendant, una cum Catholicis super scripta praesertim PP. Orientalium, super antiquos libros liturgicos et doctrinam ab illis traditam divulgent;

d) item ut Catholici magis illustrent doctrinam ac liturgiam Ecclesiarum Orientalium dissidentium, ita ut investigationes et disputationes cum fratribus separatis fraterno modo haberi possint;

e) hic modus agendi etiam quoad varias Protestantium sectas, debitis cum cautelis servari potest, praesertim ut veritates religiosae fundamentales communi opera contra atheismi impugnationes defendant: et haec erit via utique remota ad pleniorem intelligentiam doctrinae catholicae;

f) foveantur publicationes quae de unitate assequenda loquantur.

Ideo unio Ecclesiarum magis obtineri potest per fraternos contactus quam per disquisitiones theologicas.

Comprobatio evidens habetur per id quod factum est hisce temporibus in Germania, in diaspora ut aiunt, quando ipsi Protestantes suas ecclesias profugis catholicis concesserunt ad cultum catholicum exercendum: nemini detrimentum invexit, multas obiectiones et praeventiones contra catholicos evertit et nonnullas conversiones ab ipso Protestantismo obtinuit.

III. *Quoad liturgiam*

Dispositiones S. Sedis de maiori participatione fidelium ad liturgiam sacrificii Missae magis magisque ubique urgeantur.

Non recedatur a celebratione Missae in lingua latina, *pro latino ritu*: est enim potens vinculum unitatis ista uniformitas celebrationis Missae ritus in toto mundo.

Urgeri poterat Missae celebratio in lingua vernacula quando maior pars fidelium scribere et legere nesciebat. Hodie vero talis necessitas non amplius subsistit cum omnes fideles facile possint habere missale in qua Missae lingua tam latina quam vernacula referuntur.

Alia ratio stricte servandi linguam latinam desumitur a conditionibus hodiernis vitae civilis:

a) homines enim saepe et facile itinera instituunt;

b) Radiophoniae et televisionis ope saepe saepius sacras functiones quae in dissitis partibus orbis peraguntur, domi manentes, vident et audiunt: si lingua latina istae functiones peraguntur, omnes cuiusvis nationis facile sequi et intelligere queunt, cum ubique versiones in lingua vernacula inveniantur.

Ne ergo multiplicentur orationes in lingua vernacula, sed multiplicentur libri pro christifidelibus in quibus orationes in utraque lingua latina, scilicet, et vulgari, referantur.

Similes rationes etiam pro sacerdotibus valent cum hodie sacerdotes studiorum vel oblectationis causa facile ad una in aliam transeunt nationem: inconveniens esset linguam celebrationis Missae novam semper invenire.

IV. *Quoad ecclesiasticam disciplinam cleri*

1. Ut maior unio, caritas, fraterna concordia et collaboratio promoveatur inter Clerum saecularem et regularem; ad hoc valde conferre possunt:

a) in Seminariis accuratum studium iuridicum Tractatus « De Religiosis », prouti in iure canonico exstat, quod studium interdum omittitur in quibusdam Seminariis;

b) obsequiose loquantur in Seminariis de statu religioso, prouti praecipit ius canonicum, qui status perfectionis est, minimeque labefactatur in sua sancta institutione a defectibus quorundam religiosorum;

c) status religiosus in maxima veneratione habeatur; religiosi

incitentur ad spiritualitatem propriam cuiusque Instituti assequendam, quod maximum bonum erit pro universa Ecclesia.

d) ne impediatur, sicut in aliquibus nationibus (etiam catholicis!) erectio domuum et ecclesiarum religiosarum non paroecialium, praesertim in magnis civitatibus in quibus communitates religiosae per confessiones, praedicationes solemnesque celebrationes liturgicas magnum incrementum vitae christianae dare possunt.

Ideo attendatur praecipue aspectus « oeconomicus » cum incrementum vitae religiosae in civitatibus utrique Clero valde conferat, iuxta verba Evangelii: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis » (*Matth.* VI, 33).

e) Item ne obstacula ponantur in aliquibus dioecesibus quominus Collegia seu religiosa Seminaria aperiantur: cum potissimum Religiosi provideant ad incrementum Missionum in toto mundo et ad christianam iuvenum institutionem et ad alia opera caritatis.

Nec vocationes ad statum perfectionis possunt umquam detrimentum afferre ipsis Seminariis dioecesanis. Potius firmiter inculcetur « unitas » Cleri.

2. Officiales praesertim quarumdam Sacrarum Congregationum eligantur semper per concursum, et inter « puncta » computetur etiam exercitium sacri ministerii pastoralis, quod multum iuvat ad quaestiones plurimas solvendas et tractandas:

a) cum recursus contra personas ecclesiasticas, Congregationes Religiosas afferuntur, si sunt anonymi, facile ne audiantur; si sunt subscripti, exigatur a subscriptoribus formalis declaratio se rerum veritatem certo cognoscere et recte testari, ita ut si postea mendaces comperiantur, congruis poenis plectantur;

b) in quaestionibus Sacris Dicasteriis delatis, antequam sententia proferatur pluries una et altera pars audiatur, et consultorum vota seu conclusiones parti, cuius interest, praeventive communicentur, ut detur unicuique possibilitas et libertas iura sua tuendi;

c) Item caveatur ne propter amicitias vel protectionem maiorum Praelatorum iustitia aliquando damnum patiatur. Nec desunt aliquando Praelati vel Visitatores, qui in suis officiis obeundis abutantur nomine et auctoritate Summi Pontificis et Sedis Apostolicae;

d) Medioaevales quaedam formulae, interdum nimis diplomaticae in stylo Curiae Romanae reformentur, et modus loquendi introducatur magis aptus hodiernae vitae, resque aperte dicantur in plena perspicuitate et caritate.

3. Exigatur in omnibus Universitatibus catholicis et Seminariis

utriusque cleri usus linguae latinae saltem in philosophia scholastica et in theologia dogmatica, morali et in Sacra Scriptura. Item in Seminariis studium latinae linguae magis urgeatur. Minor numerus errorum exurgeret in philosophia et theologia si disciplinae in lingua latina docerentur.

In cursu pastorali sacerdotes se exerceant etiam ad exponendam in bona lingua vulgari veritates philosophicas et theologicas.

P. Victorius M. Costantini
Minister Generalis
Ordinis Fratrum Minorum Conventualium

4

Rev.mi P. CLEMENTIS A MILWAUKEE
Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum

Romae, 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Accepi venerandas Eminentiae Vestrae litteras die 18 iunii c. a. in Civitate Vaticana datas (Prot. N. 1 C/59-1614). Veniam peto si tarde et breviter respondeo. Tarde quidem, quia his ultimis mensibus fere continuo ab Urbe abfui; breviter autem eo quod parum supersit temporis ad rem longius profundiusque tractandam; legitur enim in praedictis Litteris responsiones mittendas esse, « si fieri potest, non ultra diem primam septembris currentis anni ». Unum igitur, et tantum per summa capita, tangam argumentum.

« Quaestionarium » non habui, quod libenter accepissem. Ideo nescio quae praecipua argumenta vel quaestiones proposita sint in proximo Concilio Oecumenico tractanda. Ex parte mea parvum indicem audeo praebere quaestionum quae mihi magni momenti videntur.

Omnia fausta ac prospera Eminentiae Vestrae adprecans atque Sacram Purpuram osculans, omni qua par est reverentia et obsequio,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus in Domino permaneo

Fr. Clemens a Milwaukee
Minister Generalis
Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum

De vocationibus ad vitam religiosam fovendis

(N. B. - Quae sequitur brevis commentatio etiam aliis religiosis Institutis applicari poterit, sed in concreto ad Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum refertur).

Dicimus ius esse et officium Religiosorum, potissimum Superiorum, vocationes ad vitam religiosam fovendi, i. e., candidatos quaerendi, excolendi, colligendi. Hoc evidens est, neque ulla eget probatione.

Fines qui in fovendis ad vitam religiosam vocationibus obtinendi proponuntur, hi sunt praecipui:

1. *Bonum spirituale candidatorum,* qui, cum in religionem ingrediuntur, in *statu perfectionis* collocantur, i. e., in eo statu in quo ante omnia perfectio, sanctificatio personalis intenditur.

2. *Bonum spirituale societatis,* nam, cum « bonum sit diffusivum sui », sanctificatio personalis necessario viam parat ad aliorum sanctificationem: manifeste quidem et specifice in religionibus « vitae mixtae »; non manifeste, sed efficaciter, in religionibus vitae contemplativae.

3. *Melius Ecclesiae servire.* Quo magis Ecclesiae necessitates crescunt, oportet ut pari passu et numerus sodalium religiosorum augeatur. Revera Ecclesia (i. e., Sancta Sedes, SS. Congregationes, Hierarchia Ecclesiastica) instantiore in dies modo postulat vel exigit nostram cooperationem, praesertim in Missionibus, inter gentes quae in terras migrant longinquas, in regendis paroeciis etc. Multus labor multos operarios requirit.

4. *Propriam formam servare,* i. e., quam vulgato nomine physionomiam vel characteristicam appellamus fideliter retinere. Multiplicato enim externo apostolatu ad quem cogimur et qui plures sacerdotes religiosos occupat, periculum est ne inde grave detrimentum vita nostra regularis et conventualis seu nostra vivendi forma patiatur. Unde urgens necessitas ut vocationes augeantur, quibus et externo apostolatui et vitae conventuali apte provideri possit. Ex quo incremento aliud magnum bonum oriretur, quod omnes Patres alternis vicibus et vitam externam et vitam conventualem agere possent.

Ideo, quantum possumus, in fovendis religiosis vocationibus laboramus, aliosque ad laborandum adhortamur.

Tamen numerus ad vitam religiosam candidatorum fere ubique decrescit. Huius deminutionis causae generales passim audiuntur: morum relaxatio in individuis, in familiis, in societate; hodiernae vitae commoda et oblectamenta..., uno verbo, naturalismus, qui omnes hominum coetus pervadit.

Sed et alia causa indicari potest, quae est (venia sit locutioni) *cleri saecularis oppositio.* Quae quidem oppositio non sic est intelligenda ut omnes sacerdotes saeculares comprehendat. Dantur profecto non paucae et praeclarae exceptiones. Hac praemissa animadversione, possumus dicere, experientia edocti, clerum saecularem vocationibus religiosis adversari. Multis in locis sacerdotes saeculares, parochi et ipsi Episcopi facultatem nobis coarctant vel adimunt candidatos quaerendi ac colligendi, eleemosynas a christifidelibus pro sustentatione nostrorum collegiorum petendi etc. Ipsi ad seminarium dioecesanum adducere contendunt quotquot iuvenes reperiunt ad vitam sacerdotalem vocatos, etiam quos sciunt iam ad vitam religiosam amplectendam paratos... Novimus Exc.mum Episcopum qui tribus nostris candidatis litteras testimoniales dare renuit ea sola causa, quod eos in seminarium dioecesanum cogere volebat ...

Numquid hoc est « *sentire cum Ecclesia* »?

Ergo libertatem petimus candidatos ad vitam religiosam quaerendi, excolendi atque in conventum invitandi, libertatem quam Ecclesiam concedit semperque concessit. Immo, fortasse melius dicerem obligationem quam libertatem, praesertim post conditum a Pio XII die 11 februarii 1955 « Pontificium Opus Religiosarum Vocationum », quod Opus (una cum Statutis et Normis) [1] est quasi « duplicatum » ab ipso Summo Pontifice Pio XII die 4 novembris 1941 fundati « Pontificii Operis Vocationum Sacerdotalium » (item cum Statutis et Normis).[2] Haec Documenta iisdem fere verbis constant, in eisque eadem omnino spiritualia privilegia et gratiae membris utriusque Operis conceduntur.

Pontificium Opus Religiosarum Vocationum sibi proponit « in christifidelibus ... voluntatem excitare fovendi, tuendi, iuvandique ad perfectionis christianae Status vocationes ... ».

In Normis autem ad Statuta exsequenda haec leguntur: « Pontificii Operis erit ... 2) suadere sacerdotibus ut ad hoc pertractandum argumentum (vocationes religiosas) omnes opportunitates nanciscantur (e. g. conciones quadragesimales, exercitia spiritualia, supplicationes novendiales, catecheses pro adultis etc.); 3) adhortari fideles ut studeant documentis (de vocationibus religiosis tractantibus) ...; 4) fovere in pueris et adolescentibus... vitae religiosae aestimationem et intimum perfectionis

---

[1] « Pontif. Opus Relig. Voc. », in *A.A.S.,* vol. 47, a. 1955, pag. 266. « Statuta » et « Normae » eodem die 11 februarii 1955 a S. Congregatione de Religiosis data, *ibidem,* pag. 298 ss.

[2] « Pontif. Opus Voc. Sacerd. », in *A.A.S.,* vol. 33, a. 1941, pag. 479. « Statuta » et « Normae » die 8 septembris 1943 a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus data, in *A.A.S.,* vol. 35, a. 1943, pag. 369 ss.

christianae desiderium in eisdem alere; 5) congressus convocare in quibus hoc argumentum tractabitur ... ».

Ergo mens est Ecclesiae et voluntas et mandatum, ut in religiosis vocationibus fovendis strenue laboremus. Si in hoc supernaturalibus ducti principiis agemus, certi sumus Deum et pro Religiosis et pro clero saeculari bonas abundantesque vocationes suscitaturum. Brachium Domini non est abbreviatum.

Sit equidem sancta ad vocationes procurandas aemulatio, studeat unusquisque quotquot potest candidatos quaerere, allicere, colligere ..., sed nemo unquam illicitis armis aut artibus utatur, cum iustitiae et caritatis detrimento, nemo metere quod ipse non seminavit audeat.

Sit sincera inter clerum saecularem et religiosum concordia, sit efficax collaboratio, omnes enim pro uno eodemque Rege Christo laboramus. Qua quidem concordia et collaboratione, ab Ecclesia enixe commendata, a Deoque confirmata ac fecundata, omnes gentes tandem aliquando Christo lucrari valebimus.

FR. CLEMENS A MILWAUKEE
Minister Generalis O. F. M. Cap.

QUAESTIONES

Infinitae prope sunt quae possent proponi in proximo Concilio Oecumenico tractandae quaestiones: de Sacra Scriptura, de Theologia Dogmatica et Fundamentali, de Theologia Morali, de Iure Canonico, de Iure Publico Ecclesiastico, de Liturgia, etc., quaestiones magni momenti quae solutionem, declarationem, decisionem... *auctoritative factam* exspectant.

Sunt et aliae quaestiones minoris quidem momenti, quae principia theologica vel moralia non tangunt, sed quarum conveniens tractatio ac solutio diversis Ecclesiae coetibus vel etiam universo populo christiano magnam afferrent utilitatem.

Liceat denique multorum *desideratum* exprimere, scilicet, ut *leges mere ecclesiasticae* in minorem numerum atque in formam breviorem, clariorem, simplicioremque reducantur.

QUAESTIONES SELECTAE

De Sacra Scriptura

1. Inspiratio.
2. Inerrantia.
3. Historicitas.
4. Validitas veterum Versionum, in primis *vulgatae*.

De Theologia Dogmatica

a) *De Theologia Fundamentali.*

5. Validitas argumentorum traditionalium Apologeticae.
6. Assensus internus decretis doctrinalibus S. Sedis praestandus.
7. Extra Ecclesiam nulla salus.
8. Independentia Ecclesiae et Status.

b) *De variis tractatibus dogmaticis.*

9. Evolutionismus et transformismus anthropologicus.
10. Finis primarius matrimonii.

De Theologia Morali

a) *De Theologia Morali Fundamentali.*

11. Libertas hominis.
12. Obligatio legum in conscientia.

b) *De Theologia Morali Speciali.*

13. Status aconfessionalis.
14. Tolerantia cultus.
15. Civium officia in electionibus.
16. Euthanasia.
17. Mutilatio membrorum.
18. Transplantatio membrorum.
19. Experimenta medica.
20. Operatio caesarea et similia.
21. Oginoismus.
22. Foecundatio artificialis.
23. Iustitia socialis.
24. Mendacium.

De Iure Canonico

a) *Lib. 2.*

25. Supplentia iurisdictionis (can. 209).
26. Reductio clericorum ad statum laicalem (can. 211 ss.).
27. Vicarii et Praefecti Apostolici (can. 293 ss.).
28. Parochi (can. 451 ss.).
29. Confessarii religiosorum et religiosarum (can. 518 ss.).
30. Dimissio religiosorum (can. 646 ss.).

b) *Lib. 3.*

31. Adimpletio praecepti paschalis (can. 859).
32. Iurisdictio delegata ad audiendas confessiones (can. 874).
33. Iurisdictio peculiaris ad audiendas confessiones religiosarum (can. 876).
34. Reservatio peccatorum (can. 893 ss.).
35. Impedimenta matrimonialia (can. 1035 ss.).
36. Abstinentia et ieiunium (can. 1250 ss.).
37. Opera servilia (can. 1248).
38. Prohibitio librorum (can. 1395 ss.).

c) *Lib. 4.*

39. Remotio parochorum (can. 2147 ss.).

d) *Lib. 5.*

40. Censurae.

FR. CLEMENS A MILWAUKEE
Minister Generalis
Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum

5

REV.MI P. IOANNIS BOCCELLA
Ministri Generalis Tertii Ordinis Regularis S. Francisci

Romae, die 8 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Reverendissimus Pater Minister Generalis Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci, audita sua Curia Generali, pergratum sibi habet Epistulae die 18 ianuarii 1959, Prot. N. 1 C/59-1615, ab Eminentia Vestra Reverendissìma missae, hoc responsum mittere.

1. Tertius Ordo Regularis S. Francisci, qui ut dissidentes ad Ecclesiae redeant unitatem, a pluribus annis operam navat, sive pium exercitium, quod « Ottava di Preghiere » vocant, in Italiam iuxta ipsius fundatoris Pauli Watson voluntatem diffundendo, sive piam Associationem fidelium qui per totum annum preces ad Deum effundant ad Christifidelium unitatem obtinendam, cui nomen « Pia Lega di Preghiere per il ritorno dei dissidenti all'unità della Chiesa », instituendo, sive tandem auxilium Associationi Internationali « Unitas » praestando, libentissimo ani-

mo nuntium proximi Concilii Oecumenici accepit ac ominatur ut quam citius unum ovile sub Romani Pontificis Auctoritate ex omnibus Christifidelibus fiat.

Quapropter quae ad unitatem efficiendam necessaria videantur experienda, et si casus ferat, fidei integritate servata, dissidentium petitiones ad desideria secundanda esse censet.

2. Attentis peculiaribus circumstantiis plurimarum Nationum ac generali sacerdotalis vocationis defectu, Diaconos ex saecularibus Associationibus selectos instituendos esse putat, quibus officia minora, exempli gratia SS. Eucharistiam fidelibus distribuere, in praedicationem Verbi Dei incumbere etc., in administratione quorumdam Sacramentorum committantur, ut sacerdotes data opera ministerio pastorali attendere possint.

3. Quaedam remedia ad salvandas animas plurium sacerdotum et religiosorum qui a recta via defecerunt inquirenda esse putat.

4. Religiosam fidelium eruditionem praecipue operariorum quam maxime promovendam esse existimat, eos spiritualiter adiuvando etiam in ipsorum officiniis.

5. Lingua Latina unice in Missae celebratione ac in divini Officii recitatione adhibeatur, vernacula vero in Sacramentorum administratione et in aliis divini cultus caerimoniis.

6. Ordines Mendicantes, quorum sodales apostolatus operibus sedulo incumbunt, gravi obligatione recitationis choralis divini Officii leventur, firma semper ea obligatione quae in eorum Constitutionibus statuitur.

7. Privilegium exemptionis Religiosorum ne immutetur, cum adhuc valeant rationes quibus Sacra Tridentina Synodus ad illud concedendum permota fuit.

Devotissimus servus Vester in Christo

P. Ioannes Boccella

Minister Generalis Tertii Ordinis Regularis S. Francisci

6

Rev.mi P. LUCIANI RUBIO

Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini

Die 13 martii a. 1960

Eminentissime Domine,

Ad munus Supremi Moderatoris Ordinis Eremitarum Sancti Augustini mense octobris a. 1959 evectus, inter res a solutione pendentes quae in Archivio Ordinis inveniebantur, Communicatio Eminentiae Vestrae Rev.mae relate ad celebrationem Concilii Oecumenici (Prot. N. 1 C/59-1896) aderat, cui prius respondere nobis impossibile evasit eo quod opportunum duxerimus, iuxta mentem Commissionis Antepraeparatoriae in eadem communicatione expressam, viros prudentes ex diversis Ordinis Provinciis consulere, quorum responsa paucis abhinc diebus ad nos pervenerunt.

Ex omnibus autem acceptis responsis quae nobis utiliora aptioraque visa sunt, ceteris reiectis, in foliis adnexis ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam mittimus. Faxit Deus ut ad bonum Ecclesiae quid conferre possint.

Summa qua par est reverentia permaneo obsequentissimus in Domino

Fr. Rubio Lucianus
Prior Generalis
Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini

I. Quaestiones dogmaticae

Errores praecipui, qui nostra aetate potissimum Ecclesiam Dei perturbant, duo videntur, nempe agnosticismus seu relativismus et naturalismus, quorum alter certam cognitionem veritatis in ordine tum philosophico cum theologico aut negat aut in dubium revocat, alter vero ita extollit naturam ut gratiam aut ignoret aut spernat.

Primo quidem reducendi mihi videntur homines, ut ait S. Augustinus, in spem reperiendae veritatis (*Epit.* 1, 1; *PL* 33, 61).

Multa igitur quae a S. Pio X in Encyclicis Litteris *Pascendi,* a Pio XII f. r. in Enc. Litt. *Humani generis* et a Summo Pontifice feliciter regnante in Enc. Litt. *Ad Petri Cathedram* de cognitione veritatis traditae sunt, sollemnius in Concilio urgenda videntur, praesertim de naturali intellectus humani capacitate certas et immutabiles veritates assequendi, de Evangeliorum veritate historica, de una Christi Ecclesia.

Quantum ad capacitatem intellectus humani, suprema perennis philosophiae principia, quae ad tuendam fidem sunt omnimodis necessaria, contra modernorum aberrantes opiniones in tuto ponenda sunt; simul tamen munus voluntatis et affectuum animi in ipsa veritate cognoscenda, quod Patres Ecclesiae tanti fecerunt, declarandum videtur, ut erroribus omni ex parte via claudatur et intellectus atque voluntatis mira in unum conspiratio eluceat.

Contra naturalismum ubique hodie grassantem, qui christianae religioni tantorum est causa malorum, necessarium videtur doctrinam de ordine supernaturali iterum proponere atque, ubi opus fuerit, clarius definire. Praesertim:

1. Donorum quibus primus homo ante peccatum ditatus est « gratuitas » quidem arcenda videtur, ita tamen ut eorumdem donorum magna cum natura humana convenientia clara luce versetur, ne contra alterum errorem, id est pseudo-supernaturalismum, pugnantes, sicut iam quattuor saecula theologia nostra facit, alterum, hoc est, naturalismum oblivisci videamur.

Sunt enim auctores qui ita hominis naturam describunt ut non relinquatur ratio unde bona supernaturalia, quae Deus primo homini contulit et Christus omnibus restituit, bona nobis, id est, nobis appetibilia dicantur.

Quidam enim, ut de ceteris taceam, id sentiunt de unione inter animam et corpus, quod omnem rationem poenae a morte et omnem rationem doni ab immortalitate vel a resurrectione auferre dicendum sit.

2. Ad peccati originalis existentiam tuendam, unitas generis humani contra polygenismum declaranda videtur et argumentum ex *Epistola ad Romanos,* 5. 12, de quo in Concilio Carthaginensi, urgendum.

3. Item peccati originalis natura et consectaria, sive in hac vita sive in altera, pressius definienda.

a) Concilium Tridentinum, post Arausicanum, docuit liberum arbitrium per Adae peccatum minime amissum esse vel exstinctum, licet viribus attenuatum et inclinatum: opportunum videtur declarare quo sensu liberum arbitrium attenuatum et inclinatum sit per peccatum, cum non parva hac de re vigeat inter theologos dissentio et quaestio grave momentum habeat ad gratiam Christi medicinalem intelligendam.

b) De sorte infantium absque baptismo morientium sententia, qua modernorum quorumdam opiniones de medio tollantur, ferenda omnino videtur. Non desunt enim ultimis hisce annis qui doceant, non sine fidelium stupore et scandalo, infantes absque baptismo morientes vitam aeternam seu caelestem beatitudinem esse consecuturos; quod quidem docent doctrina Concilii Carthaginensis, Florentini, et Tridentini,

Allocutione Pii XII f. r. diei 20 octobris a. 1951, declaratione Supremae S. Conregationis S. Officii diei 18 februarii anni 1958 perpetuoque Ecclesiae sensu non obstantibus.

4. Quid viribus naturae homo non possit quantum ad legem naturalem observandam, quod in Concilio Carthaginensi et Arausicano declaratum est, iterum urgendum, et quaestio de dilectione Dei super omnia, nempe utrum homo sine gratia Deum super omnia diligere possit, definienda videtur, ut instantius gratia medicinalis Christi fidelibus populis proponatur.

5. Circa altissimum praedestinationis mysterium, ne libera facultas erroribus praebeatur, definiendum videtur quid sit certo tenendum quidque theologorum inquisitioni relinquendum, potissimum de divinae praedestinationis « gratuitate ».

Aliae quaestiones dogmaticae

1. Iudicium explicitum feratur circa fratres separatos relate ad salutem aeternam et media ad eam adipiscendam ab ipsis possessa quorum mediorum curam Christus Ecclesiae suae commendavit.

2. Participatio et modus participationis christifidelium in Sacerdotio strictius definiatur ita ut clare appareat tum eorum positio in Ecclesia tum huius positionis ratio, videlicet, salus Ecclesiae.

Praeterea Sacerdotium proprie hierarchicum, ratione habita participationis christifidelium in Sacerdotio, presse definiatur, praesertim vero vis muneris episcopalis.

II. Quaestiones Sacrae Scripturae

1. Commissio Biblica die 30 iunii 1909 in responsione ad III quaesitum « Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt inter caetera... formatio primae mulieris ex primo homine... respondit: Negative (*Ench. Bibl.* 334). Quaeritur, an formatio mulieris ex primo homine pertineat ad « religionis christianae fundamenta »; an liceat docere evolutionem corporis mulieris eodem modo ac viri.

2. Quaeritur, utrum historia Patriarcharum necessario considerari debeat tamquam historia individuorum, an liceat eam considerare tamquam historiam collectivam, dummodo concedatur factum historicum revelationis positivae factae quibusdam individuis nobis utique nominibus ignotis. Nomina igitur Abraham, Isaac, Iacob, Lot, Edom, Moab,

Ammon, etc. esse nomina ut aiunt heroum eponymorum, vel his nominibus latere dynastias regnantes in variis populis...

III. Quaestiones Iuris Canonici

1. *De suppletione iurisdictionis* (can. 209). In dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno, et actus positus est licitus tam ex parte exercentis quam ex parte suscipientis; eodem modo supplet Ecclesia in casu bonae fidei saltem ex parte suscipientis, et actus positus est licitus quando et exercens et suscipiens sunt in bona fide; si autem tantum suscipiens est in bona fide, ipse non peccat.

2. Petitur ut opportunae immutationes inducantur in confessione et confessariis Religiosarum, cum nimis difficile evadit disciplinam praesentem adimplere; etenim, Religiosae crescunt de die in diem et etiam de die in diem decrescunt sacerdotes; unde fit quod ut Religiosae, et quidem in sua domo, suae hebdomadariae confessioni apud ordinarium confessarium satisfaciant, plurimi fideles, qui magis quam Religiosae confessione indigent, confessario careant, et alia opera instructionis, aeducationis, caritatis etc. directione assidua sint privata (cc. 520-527 et 876).

3. Moniales, quae ex instituto seu praescripto Constitutionum debent esse sub iurisdictione Superiorum Regularium Primi Ordinis, ad statum suum pristinum seu naturalem, id est, ad iurisdictionem Superiorum Regularium redeant, modo sit Primus Ordo qui eas recipere valeat (can. 615).

Ratio: Quia facilius et fructuosius consulitur unitati, tum disciplinari, in Regula et Constitutionibus interpretandis et observandis, tum spirituali, in doctrina ascetico-mystica Ordinis propria exponenda et profitenda, utriusque Ordinis, Primi et Secundi, a Fundatoribus et ab Ecclesia intentae.

Ut Ordinarii locorum magis liberi evadant ad curam Sororum seu Religiosarum votorum simplicium gerendam, quae quotidie magis ac magis in Dioecesibus multiplicantur.

4. Petitur ut Moniales quae de iure et de facto Superioribus Regularibus sunt subiectae, exemptae sint a potestate Ordinarii loci sicut viri regulares, id est, ut sint subiectae Ordinario loci in iis tantum rebus in quibus viri regulares Primi Ordinis Ordinario loci subiiciuntur (can. 500).

Ratio: Ut tum Ordinarii locorum tum sacerdotes saeculares et Congregationum plus temporis habeant et impensius sese consecrare possint gubernio et curae Sororum, quae quotidie numerosiores sunt, dum gu-

bernium et cura Monialium sunt Superioribus Regularibus exclusive demandata.

5. Suffragium Consilii seu Capituli pro professione perpetua, sollemni vel simplici, sit deliberativum (can. 575, § 2).

Ratio: Si pro professione temporanea requiritur examen et votum deliberativum Consilii seu Capituli, id est, plurium virorum prudentum, quia sine dubio consideratur uti res magni momenti, a fortiori debet requiri examen et votum deliberativum plurium virorum prudentium pro professione perpetua, quia haec est res adhuc maioris momenti quam prima, cum agatur de perpetua consecratione Deo ex parte profitentis et de perpetua receptione ex parte Religionis.

6. Facilior reddatur dimissio Religiosorum votorum perpetuorum in Religione clericali exempta (cc. 654 et seq.).

Processus actualis est difficilis, praesertim in sua prima parte; est parum efficax ad remedia pro inobservantia disciplinae religiosae procuranda; est nimis onerosus pro Religione quae videtur punita vel rem vere gravem sustinere, quando, processu absoluto, obligatur ad curam habendam et subsidium oeconomicum praebendum filio ingrato, qui potest quasi ludere cum sua matre (Religione) dum sub Ordinario loci vitam aliquo modo poenitentem agit, sed non tali intensitate ut post triennium, cum subsidio caritativo, ipsi loci Ordinario, qui non amplius acceptat eum uti episcopus benevolus, et multo minus Superioribus Religiosis, qui renuunt eum in sinu Religionis ulterior recipere, placeat; et dimissus alium episcopum benevolum quaerere non vult.

Revera consequentias graves dimissionis sustinet Religio.

Sufficiat pro ista dimissione processus sicut pro religioso votorum perpetuorum in religione clericali non exempta iuris pontificii, ad normam cc. 649-650, §§ 1-2, nn. 2-3.

Dimissus maneat autem liberatus a votis et a Religione totaliter separatus et, si sit in sacris, suspensus vel exercitio sacrorum privatus donec inveniat episcopum benevolum qui eum recipiat. Ita sentiet effectus dimissionis.

7. Lex de non celebrando Missam sine ministro qui eidem inserviat et respondeat, suavior reddatur, dando sacerdoti celebranti facultatem celebrandi sine ministro saltem quando ministrum, adhibita prudenti diligentia, invenire non potest (can. 813).

Inter omissionem Missae ob defectum ministri et celebrationem sine ministro, secundum debet praevalere.

Ita fit in tota America Statuum Foederatorum iam a multo tempore Ecclesia tacente.

8. Sacra communio ad infirmos, non per modum Viatici, in ma-

gnis civitatibus et oppidis sat populatis, deferatur semper *privatim* (cc. 847-849).

Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis cui custodia Sanctissimi Sacramenti commissa est.

Ratio: Dato magno concursu et personarum et curruum, qui est in praedictis civitatibus et oppidis, non est possibile deferre sacram communionem publice ad infirmos sine irreverentia et sine inordinatione vitae civicae; et multo minus si communiones seu infirmi sint plures et communionem frequenter seu quotidie petant.

Augeretur facilitas infirmis recipiendi communionem frequenter et etiam quotidie iuxta mentem Ecclesiae. De abusibus non committendis curabit Rector ecclesiae, ex qua Sanctissima Eucharistia sumitur.

9. Tempus ad praeceptum communionis annuae adimplendum, amplius ab ipso iure assignetur, v. gr. a die Cineris usque ad Dominicam SS. Trinitatis, vel a Quarta Dominica Quadragesimae usque ad Festum SS. Trinitatis (can. 859).

Quindecim dies non sunt sufficientes ut omnes fideles faciliter adimpleant praeceptum, praesertim in magnis paroeciis cum paucis sacerdotibus, forsan cum uno tantum; et quia praxis sat frequens est ut tempus a iure determinatum prorogetur, sed est diversa praxis apud diversa loca et haec diversitas temporis aliquam generat confusionem et lamentationes fidelium.

10. Petitur ut sacra communio possit fidelibus distribui durante toto die, id est, ab hora qua Missae sacrificium incipere potest usque ad horam qua in vesperis templa claudi solent, v. gr. hora 8 vel 9 p. m. (can. 867); modo fideles sint ieiuni secundum actualem disciplinam; et ut toto eiusdem diei spatio possit communio infirmis deferri, non uti Viaticum, et servatis servandis circa infirmorum ieiunium et alia secundum praesentem disciplinam.

Ratio: Facilior redditur receptio sacrae communionis, praesertim pro operariis qui a summo mane incipiunt laborare et non possunt mane communicare et vespere Missa non est, vel non est hora conveniente.

Etiam redditur facilior immo possibilis communio pro infirmis quia aliquando sunt plures qui petunt diebus festis et in primis feriis sextis mensis, et hora matutina, cum sacerdotes sint nimis occupati in ecclesia propter multitudinem confessionum, praedicationum etc., non est possibile sacram communionem omnibus infirmis petentibus deferre.

11. Petitur ut sacerdotes qui ad normam can. 877, § 1 idonei fuerint reperti ad confessiones audiendas et ab aliquo Ordinario loci obtinuerunt iurisdictionem et, si agatur de Religiosis, a suo Superiore licen-

tiam, non debeant subire novum examen cum ad aliam dioecesim transferuntur, sed novus Ordinarius loci possit tuta conscientia eisdem concedere facultatem ad audiendas confessiones, inspectis tantum litteris primaevae concessionis, nisi agatur de casu in § 2 eiusdem can. 877 excepto.

Ratio: *a*) Non videtur sufficiens motivum ad novum examen statuendum ob translationem, quia translatio non aufert scientiam.

b) Saepe saepius ab Ordinariis locorum ita fit; ergo praxis multorum Ordinariorum confirmat assertum: translatio non aufert scientiam. Si aliquae sunt in nova Dioecesi novitates, e. gr. casus ab Ordinario reservati, faciliter de his sacerdos moneri potest, etiam in ipsis litteris concessionis facultatis, sicut solet evenire.

c) Daretur maior facilitas ad audiendas confessiones et hoc tandem cederet in maius bonum fidelium.

d) Daretur fidelibus, qui non facile capiunt has limitationes, maior impressio unitatis sacerdotii catholici, administrationis sacramentorum et regiminis.

e) Augeretur fiducia mutua inter omnes Ordinarios locorum totius mundi dum unusquisque eorum iudicat sufficienter idoneum ad audiendas confessiones sacerdotem quem alius Ordinarius, socius suus in apostolatu et in regimine Ecclesiae, idoneum iudicavit. Magis splendet unitas Ecclesiae in suo regimine.

12. *a*) Dies abstinentiae et dies ieiunii saltem pro fidelibus minuantur et definitive redigantur ad dies in quibus nunc praescribitur (can. 1252).

b) Clare dicatur in lege quod fideles in die ieiunii possunt sumere, et mane in collatiuncula et vespere in collatione, eam cibi quantitatem qua indigent ut possint suas obligationes laboris quotidiani adimplere. Ratio patet.

13. Petitur ut confessio et communio, forte ad indulgentias lucrandas requisitae, peragi possint intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia est affixa vel si agatur de piis exercitiis in triduum, hebdomadam, etc. dictis, diem initii exercitiorum, et per totam octavam subsequentem diem cui est affixa vel, in exercitiis piis continuatis per triduum etc. diem ultimi exercitii.

Ratio: Quia in aliquis locis, deficientibus sacerdotibus, non est facilis communio uti hodie praerequiritur, id est, in pervigilio et per octavam subsequentem.

14. Parocho et Parochis aequiparatis cum omnibus iuribus et obligationibus parochorum detur a iure facultas administrandi Sacramentum Confirmationis fidelibus ex gravi morbo in periculo mortis constitutis, in toto suo territorio et durante munere tantum, sicut conceditur

Vicariis et Praefectis Apostolicis, sed sine aliis limitationibus et oneribus quae in Decreto S. C. de Sacram. 14 sept. 1946 inveniuntur.

Ratio: Ut facilior reddatur susceptio huius Sacramenti et ut Parochi a dubiis et scrupulis sint liberi.

15. Auferatur Ordinariis facultas sibi reservandi peccata etiam sine censura (cann. 893-900), et substituatur haec facultas instructionibus vel monitis datis ab Ordinariis confessariis, non exclusis poenitentiis imponendis, circa aliqua peccata vel delicta atrociora ab ea extirpanda.

Ratio: Parum utilis est reservatio pro extirpando aliquo vitio, et potius cedit in onus confessarii.

In Dioecesi Romana nullus est casus reservatus, et in pluribus Dioecesibus, ultimis temporibus, Synodo dioecesana postulante, casus reservati fuerunt suppressi.

16. Sacerdotes itinerantes in navi vel in velivolo possint audire confessiones de quibus in can. 883, *dummodo a quocumque Ordinario loci vel a proprio Ordinario Religionis* facultatem rite acceperint audiendi confessiones, quae in vigore adhuc sit.

Ratio: Non agitur in casu de concedenda a quacumque ex enumeratis Ordinariis facultate ad audiendas confessiones, cum forsan nullus ex fidelibus itinerantibus sit subditus alicuius horum Ordinariorum et ideo facultatem ab audiendas confessiones eorum concedere non valeant: potestas seu facultas conceditur a iure, sicuti conceditur cuilibet sacerdoti, vi can. 882, in periculo mortis alicuius fidelis, et canon solummodo desiderat aliquod testimonium de idoneitate sacerdotis itinerantis ad audiendas confessiones, quod testimonium aeque confertur a quocumque Ordinario loci et a quocumque Ordinario Religionis, cum modus ad hoc testimonium seu concessionem facultatis concedendum sit a can. 877 determinatus et sit pro omnibus Ordinariis communis.

17. Pro expositione publica seu cum ostensorio SS. Sacramenti et subsequenti benedictione, sufficiat semper iuxta causa et licentia Rectoris Ecclesiae, Oratorii publici vel semipublici, sicut hodie pro expositione privata seu cum pyxide (can. 1274).

Ratio: *a*) Expositio publica SS. Sacramenti auget pietatem fidelium, qui quam maxime eam exoptant et petunt, devote huic functioni assistunt, si adest, et si non adest neque Ecclesiam frequentant. Templa ubi adest Expositio publica sunt magis frequentata a fidelibus quam alia.

b) Ita evasit frequens in aliquibus locis, v. gr. in Urbe, ut non videatur amplius necessaria licentia Ordinarii. Si etenim omnibus diebus fit, ad quid licentia Ordinarii? Quemnam sensum habet haec licentia?

c) Ecclesia faciliorem reddidit sumptionem SS. Eucharistiae novis ac suavissimis legibus: ergo etiam faciliorem debet reddere cultum solemnem eiusdem SS. Eucharistiae, cum plures fructus spirituales ex eodem a fidelibus percipiantur.

d) Quia in aliquibus locis, propter distantiam a Curia Episcopali, propter difficiles communicationes, propter restrictiones et habitudines in Curia episcopali vigentes, raro et cum magna difficultate haec licentia ab Ordinario conceditur ita ut nec in novendialibus solemnibus templorum expositio publica concedatur, cum damno pietatis fidelium et etiam cum admiratione et fastidio.

18. Nullus Seminarista vel Religiosus candidatus ad sacerdotium admittatur in qualibet Universitate vel Facultate ecclesiastica ante expletum curriculum theologicum ad normam can. 1365.

Ratio: Quod petitur iam est in praxi Ecclesiae pro pluribus Facultatibus, v. gr. S. Scripturae, Iuris Canonici, Historia ecclesiastica, sed non est in Facultate Theologica et petitur aequalitas pro omnibus Facultatibus. Hoc modo gradus academici maius praestigium et ampliorem existimationem acquirent. Quia saepe evenit ut in Facultate Theologica, ut detur locus Theologiae theoreticae seu dogmaticae, minus, quam iustum est, excoluntur aliae disciplinae curriculi theologici, v. gr. Theologia Moralis, Ius Canonicum, Historia Ecclesiastica, etc, quibus minus tempus eis impenditur quam solet impendi in Seminariis et Studiorum Domibus Religiosis. Et hoc non est decorosum pro clericis gradibus in Sacra Theologia insignitis. Universitates et Facultates debent disciplinam in gradu superiore et profundiore tradere.

19. Petitur ut tota materia de Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis et de gradibus conferendis de integro ordinetur (can. 1376-1380), et tali modo ordinetur ut recognoscatur plena potestas: cuilibet Entitati ecclesiasticae, quae habeat requisita praescripta habendi Universitatem seu Facultatem; cuilibet professori, requisitis communibus qualitatibus ornato, potestas docendi in iisdem; cuilibet alumno, qui possit in iisdem inscribi (seminaristae et religiosi canditati ad sacerdotium, postquam curriculum theologicum expleverint) quamlibet vel quaslibet Universitates seu Facultates frequentare, etiam pro una tantum materia; Cuilibet Universitati seu Facultati potestas faciendi examina finalia cursus sed sine potestate faciendi examina pro gradibus academicis nec eosdem gradus conferendi, quae duae potestates essent exclusivae alicuius Magnae Academiae Universalis Ecclesiasticae instituendae.

Ita:

I - Quaecumque entitas ecclesiastica potest Universitatem seu Facultatem a S. Sede impetrare, dummodo habeat omnia necessaria et pro

omnibus communia quoad aedem, quoad materiale scholare docens et Bibliothecam, quoad Magistros. Entitas potest esse: Dioecesis, Provincia Ecclesiastica, Episcopatus alicuius Regionis seu Nationis, quaelibet Religio clericalis, quodlibet Institutum saeculare.

II - Professores, gradibus et aliis qualitatibus necessariis insigniti, possent a legitima auctoritate Universitatis vel Facultatis Professores in iisdem nominari.

III - Alumni liberi sunt unam vel aliam ex his Universitatibus frequentandi, immo unam pro una materia et aliam pro alia, unam pro uno anno et aliam pro alio, cum omnes sint aequales et in omnibus tradantur eaedem disciplinae. Requiritur ut ante examen ad gradus omnes cursus praescriptos peregerint omnesque disciplinas frequentaverint; quod utrumque constabit tum in regestis seu Libris officialibus Universitatis vel Facultatis, quam frequentavit, tum ex Libro Scholari quem unusquisque apud se habebit in quo mentio fiet de diversis annis cursus superioris, de diversis disciplinis in diversis cursibus tradendis, de centro in quo scholam de tali disciplina frequentavit, de examinibus omnium disciplinarum et de horum exitu, omnia sub subsignatione auctoritatum academicarum centri.

IV - Facultates vel Universitates non amplius examina pro gradibus academicos conferre, sed haec duplex potestas reservata manet cuidam Magnae Academiae Universali Ecclesiasticae creandae. Haec Magna Academia Universalis Ecclesiastica, ad modum Pontificiae Academiae pro Scientiis iam conditae, ita constitui debet:

a) Tot habebit Sectiones quot sunt disciplinae in quibus gradus academici ecclesiastici conferuntur: Sectio Theologiae, Sectio S. Scripturae, Sectio Iuris Canonici, Sectio Historiae Ecclesiasticae, Sectio Philosophiae, Sectio Missiologiae, etc.,

b) Membra huius Academiae a S. Sede nominanda erunt et seligenda non solum in Urbe, ubi et centrum et cor Academiae erit, nec solum in Italia, nec solum in Europa, sed ex toto mundo et ex utroque Clero, saeculari et religioso, inter homines vere in disciplinis ecclesiasticis eminentes.

Ad Sectiones Theologicam, Biblicam, Philosophicam, convenienter augendas, possent pertinere omnia membra quae nunc constituunt Academiam Theologicam Romanam, Commissionem Biblicam, Academiam Philosophicam S. Thomae.

c) Coram membris huius Academiae, in respectiva Sectione, in singulis casibus determinandis, erunt facienda pericula pro gradibus obtinendis; in hoc tribunali erit membrum unus et solum unus ex pro-

fessoribus disciplinae Universitatis vel Facultatis in qua examinandus eius studio vacavit,

d) Tandem, Academia universalis ecclesiastica confert gradus nomine S. Sedis.

Consequentiae: Abolitio monopolii, aequalitas inter omnes filios Ecclesiae et magnus progressus scientiae ex concursu omnium ortus.

20. Pars Codicis I. Canonici de Delictis et Poenis pertractans penitus revidenda et simplificanda videtur: applicatio harum poenarum circunstantiis hodiernis difficillissima evadit, sacerdotibus et confessariis occasio multarum angustiarum et dubiorum est, raro vel etiam rarissime in his poenis quis incurrit, practice ab omnibus confessariis directe absolvi possunt, ex quibus omnibus efficacitas earum videtur, quapropter:

Petitur ut numerus censurarum l. s. inminuatur vel saltem inminuatur numerus censurarum reservatarum (cann. 2252-2254 et 2314-2414), et de his quae remaneant, Confessarii possint in foro conscientiae absolvere in periculo mortis et in casibus urgentioribus, servatis servandis et imposita proportionata poenitentia, sine onere recurrendi.

Ratio: Quia censurae et earum reservatio magis cedunt in tormentum confessariorum, qui ideo a confessionibus audiendis, si non sunt obligati, fugiunt, quam in emendationem fidelium.

Recursus faciendus in periculo mortis et in casibus urgentioribus quam maxime implicat ministerium confessiones audiendi.

Intactum remanet forum externum ut Superior in hoc foro provideat.

21. Cum status et consuetudines hodiernae societatis celerius quam saeculis praeteritis mutentur, forsitan deliberandum est quibus auxiliis, extra tempus Concilii, consuetudines ecclesiasticae necnon ipsa vita religiosa circumstantiis temporis et locorum accommodandae sint, quotiescumque id necessarium videatur ad fructiferam curam animarum inter christifideles, vel ad uberem apostolatum inter non fideles.

22. Colloquia inter christianos catholicos et protestantes ad unitatem obtinendam ab Auctoritate Ecclesiastica promovenda esse videntur. In regionibus ubi Protestantes inhabitant, praesertim vero ubi principem locum obtinent, ad dissensionem et discordiam vitandam, necessarium videtur ut Catholici bene perspectas habeant rationes et intentiones Protestantismi, quapropter, praescripta lectionem publicationum protestanticarum limitantia mutanda videntur, ut christifideles hac in re maiore libertate gaudeant, quod praecipue valeat pro studentibus qui in disciplinis theologicis incumbunt et ad sacerdotium esse praeparant: ipsis permittatur, professoribus ducibus et de consensu Praefecti Stu-

diorum, opera magna Protestantium perlegere et studere, ad id ut postea munus sacerdotes, maiore cum fructu, fungi, et christianis etiam protestanticis obvenire possint.

IV. Quaedam circa religiosos et sacerdotes a sua vocatione devios

Cum tot sint miserandi casus religiosorum et sacerdotum qui post adeptum sacerdotium a sua vocatione devient, cum magno scandalo fidelium et damno animarum, eaque de causa etiam fiat ut vocationes religiosae et sacerdotales magis ac magis de die in diem in quibusdam regionibus imminuantur, nam parentes christiani filios suos bonos christianos quam malos religiosos aut sacerdotes habere praeferunt, cumque horum malorum causae hae videantur esse:

I - Inepta cooptatio candidatorum in domibus formationis et in seminariis.

II - Aequo nimis viarum et methodorum modernistarum, rebus asceticis, theoriis psychologicis et psychoanalyticis, etc. quoddam naturalismum redolentibus, plenarum, aestimatio, ex quo fit ut doctrinae asceticae traditionales, et vere evangelicae, de poenitentia, mortificatione, periculorum et occasionum fuga, honorum et divitiarum despectione, oratione mentali et vocali, etc. etc., minoris valoris habeantur.

III - Nimia fiducia in methodis Apostolatus hodiernis quas dicunt, periculorum plenis, practice posthabitis mediis supernaturalibus.

IV - Quoad religiosos specifice spectat, parvarum communitatum, duobus aut tribus personis solummodo constitutarum, existentia, in quibus vitam religiosam apte colere impossibile evadit,

ad tantum malum obviandum vel minuendum remedia quae sequuntur nobis proponenda esse videntur:

I - Omnes qui in domibus formationis et seminariis opera praestant — et non tantum moderatores et directores spirituales — circa doctrinas in Documentis Pontificiis et Romanae Curiae (Enc. *Pascendi, Ad catholici sacerdoti, Menti nostrae, Sedes Sapientiae, Quantum religiones*, etc. etc.,) bene edoctos esse oportet, quapropter nullus in domibus formationis vel in seminariis opera praestare debet quin prius cursum vel cursus, viris prudentibus, aetate maturis et in iis bene peritis docentibus, peregerit.

II - III - In cursu seminaristico — praeparatio ad sacerdotium — pluris faciendae sunt Theologia Moralis, Theologia Pastoralis et praesertim Theologia Ascetico-Mystica, relictis, si ad id obtinendum opus fuerit, aliquibus vel etiam multis quaestionibus aliarum disciplinarum

mere speculativis, quin sufficiat, quoad Theologiam Ascetico-Mysticam, una vel altera hora hebdomadalis. Efficacia mediorum supernaturalium, tum ad propriam perfectionem obtinendam, tum ad salutem animarum quam maxime commendanda, praxis virtutum evangelicarum, humilitatis, obedientiae, spiritus sacrificii, despectio honorum et divitiarum, periculorum et occasionum fuga, etc, ut fructus et signa certissima verae vitae christianae et perfectionis maxime inculcanda sunt; media autem humana et modernistica ut secundaria subsidia habenda tantum.

IV - Maxime item curandum est ut sacerdotes omnes, praesertim religiosi, speciali modo in illis regionibus ubi numero pauci sunt et vocationibus laboratur, in communitate vivant non minus quam quinque aut sex personis constituta. Ad obviandas vero difficultates quae forsitan ex necessitate curae animarum oriri possunt in regionibus ubi numero sacerdotum laboratur, limites paroeciarum mutandi videntur et circumscriptiones constituendae ita ut ex centro circumscriptionis in quo communitas constituta sit, mediis intercommunicationis modernis, telephonio, automobili, etc., cura animarum efficaciter geri possit.

Denique, pro religiosis et sacerdotibus a sua vocatione deviis, qui in mundo vitam infelicissimam ducunt et in periculo imminenti damnationis aeternae versantur, quodam remedium excogitandum esse oporteret, fratres, enim, nostri sunt. Quodnam autem sit hoc remedium nihil in mentem venit, nisi orationes et sacrificia.

Fr. Lucianus Rubio
Prior Generalis
Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini

7

Rev.mi P. GREGORII ARMAS AB IMMACULATA CONCEPTIONE
Vicarii Generalis Ordinis Recollectorum S. Augustini

24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Infrascriptus Vicarius Generalis Ordinis Recollectorum Sancti Augustini, Reverendissimo Patre Priore Generali hodie visitationem canonicam peragente, Litteris Eminentiae Vestrae humiliter obsequens, post inita consilia cum Sodalibus peritis et prudentibus, sequentia Commissioni Pontificiae antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, perpendenda submittit:

In re dogmatica

Viam parare definitioni Universalis Mediationis B. Mariae semper Virginis.

Radicitus evellere deflexionem a vera fidei doctrina, quae persentiri videtur in Hispania: ibi enim parva vel minima exstimatio B. Mariae Virginis eiusque cultus in quadam regione Baeticae, ubi Magister spiritus Seminarii suos alumnos minus recte edoctos habuit. Nunc igitur animi christianorum huiusmodi perversa theoria summopere turbantur. Parva atque diffunditur existimatio devotionis erga symbolum S. Cordis Iesu, atque erga praxim novem primarum feriarum sextarum cuiusque mensis; tam sacrilegam impietatem quaedam ephemeris civitatis salmanticae ausa est commendare.

In re morali

Populus christianus ad leges decoris et moris convenientis quibuslibet mediis redire cogatur. Piae Associationes totius orbis catholici, una acie convocentur, atque viribus unitis, verbo, exemplo atque opera quosque christifideles ad puritatem vitae alliciant.

In re disciplinari

Conservetur caelibatus ecclesiasticus prout a primis saeculis in Ecclesia floruit; omni etiam opera satagendum est ut sacerdotes exemplis vitae suae fideles aedificent.

Quoad religiosos

1. Foveatur etiam progrediens unio inter Primum et Secundum Ordinem Monialium, usque ad quandam dependentiam istius ab illo. Ita Moniales e sopore, quo iacent, velut evigilabunt.

2. Omni modo enitendum est ut Religiosi austeritatem colant, saecularium morem, relaxationes immoderatas, tempore praecipue aestivo, fugiant. Apud familiares non diu commorari possint nisi ob valde gravem infirmitatem parentum. Vacationes transigantur apud aliquam Domum proprii Instituti vel saltem apud Domum ab ecclesiasticis gubernatam. Itinerare ipsis non liceat nisi causa ministerii sacri, valetudinis aut studiorum, exclusis omnimodo peregrinationibus vanae curiositatis causa arreptis.

Quoad instructionem religiosam fidelium

Grassante ubique ignorantia religiosa, quae caput est tantorum malorum, quam plurimis mediis ipsa de medio tollenda est, inter quae locum principem obtinet praedicatio verbi divini, et apta instructio scholaris. Proinde hanc normam suademus iniungendam: Nulla Missa sive in ecclesia, sive in oratorio publico vel semipublico, etiam religiosorum exemptorum, apertis foribus celebrari possit, nisi inter celebrationem verbum Dei fidelibus annuntietur.

In Nationibus catholicis fideles sunt monendi ut dent operam ad obtinendam a Gubernio legem, qua instructio religiosa in scholis elementariis locum praecipuum habeat, et in scholis superioribus inter disciplinas pro gradibus assequendis necessario approbandas recenseatur. In Nationibus vero non catholicis fideles sunt monendi ut scholas elementarias et superiores sub moderamine Ecclesiae condant, in quibus iuniores apte in religione imbuantur.

Quoad Sacramentum Poenitentiae

a) Cum nostris temporibus tam frequens evenerit usus sacramentorum eucharistiae et poenitentiae; et aliunde sacrae peregrinationes, necnon collectiva itinera « touristica », in quibus moderandis sacerdotes non minimas partes habere soleant, in dies incrementum accipiant, *opportuna videtur applicatio canonis 883 itineribus terrestribus,* quemadmodum a Pio XII itineribus aereis concessa est.

b) Item applicatio dispositionis canonis 2247, § 3, circa absolutionem censurarum, opportune fieret pro validitate absolutionis sacramentalis in casu, non omnino raro, sacerdotis non advertentis ad carentiam qua laborat iurisdictionis (cf. cit. canonem cum c. 2203 § 3). Aut alio modo huiusmodi necessitati prospici potest, includendo nempe tam inculpabilem defectum in iurisdictione a iure concessa vi canonis 209.

c) Reformanda videtur disciplina casuum reservatorum, ad consulendum saluti animarum, expertum namque est tali reservatione populi christiani peccata minime decrevisse.

Circa poenas canonicas

Disciplina poenalis vigens in iure canonico hodiernis temporibus videtur minus congruens, poenarum multitudo enim et divisio subtilis applicationem theologiae moralis difficilem reddit. Poenae igitur debent esse absolute necessariae, et utiliter applicabiles; alioquin fiunt onera intolerabilia et salutis animarum impedimenta.

Circa rem liturgicam

Specialis Commissio tum apud curias dioecesanas tum apud regulares instituenda suadetur, cuius officium erit incumbere normis liturgicis pro cultu Ss.mi Sacramenti, hodie passim violatis, ad unguem exsequendis.

Optandum est ut S. Ioseph in canone Missae nominetur.

Circa missiones

a) Ius et normae speciales desiderantur pro missionibus S. Congregationi Consistoriali subiectis, quibus haud facile applicari possunt normae pro Dioecesibus statutae.

b) *Ius missionum efformetur* ex legibus, normis et decisionibus ab Apostolica Sede latis pro missionibus. Ad hoc iuvabit in examen revocare schema pro missionibus a Concilio Vaticano paratum, sed, defectu temporis, publici iuris non factum.

c) Innuimus etiam constitutionem *Pontificii Operis pro catechistis* ad supplendam penuriam missionariorum.

Haec dum reverenter suggerimus, Eminentiae Vestrae addictissimos Nos profitemur.

GREGORIUS ARMAS AB IMMACULATA CONCEPTIONE
Vicarius Generalis Ordinis Recollectorum S. Augustini

8

REV.MI P. GABRIELIS M. RAIMONDO A SS. SACRAMENTO

Prioris Generalis
Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum S. Augustini

Romae, mense septembri 1959

Eminenza Rerevendissima,

Con ritardo — dovuto principalmente alla mia lunga assenza da Roma — Le faccio pervenire due voti per il futuro Concilio Ecumenico, in ossequio alla Sua veneratissima del 18 giugno u. s., prot. N. 1 C/59-1617. Non so se sarà il caso di prenderli in considerazione.

Colgo assai volentieri l'occasione per formulare i migliori voti per

l'Em.za Vostra, mentre prostrato al bacio della S. Porpora imploro per me e per i miei Religiosi la Sua benedizione.

Di V. Eminenza Rev.ma
dev.mo
FR. GABRIELE M. RAIMONDO DEL SS. SACRAMENTO
Priore Generale dei Romitani Scalzi di S. Agostino

1. Hac nostra praesertim aetate multa sive scriptis sive verbis prolata sunt circa Religiosorum obligationem sese Ecclesiae ac temporum necessitatibus accommodandi (aggiornamento).

Neminem quidem fugit peropportunum esse ut omnes, sacerdotes praesertim, huiusmodi necessitatibus praesto sint. Attamen, arduum sane munus apparet, omnibus perpensis, praecipue ob Religiosorum exiguum numerum in communitatibus viventium, obligationes proprias Instituti religiosi, maxime illorum quae vitam mixtam, ut aiunt, profitentur, cum novis apostolatus muneribus pacifice componere.

Quapropter necessarium apparet — ad plura disciplinae regularis inconvenientia vitanda et ad Superiorum conscientiae anxietates propulsandas — ut Suprema Ecclesiae Auctoritas hac de re quid agendum aperte decernat.

2. Insuper, pluribus adhinc annis, praesertim post ultimum gravissimum bellum, inter alias praecipuas difficultates pro vitae Religiosorum Institutorum firmitate, illud commemorandum venit quod non pauci Religiosi — qui ceteroquin, post debitam religiosam institutionem, libere vota religiosa perpetua emiserunt, valde expedite statum ipsum religiosum, vel libertatis amore, vel proprii commodi ac parentum utilitatis, vel aliis de causis, deserunt, facili assensu votorum obtenta dispensatione ac inter clerum saecularem incardinatione. Hac de causa plura ac gravia in convenientia, ut patet, pro stabilitate et gravitate regularis disciplinae ac pro ipsa Institutorum Religiosorum vita.

Quam ob rem et hoc gravissimum negotium perscrutandum Supremae Ecclesiae Auctoritati subiicio.

FR. GABRIEL M. RAIMONDO A SS. SACRAMENTO
Prior Generalis
Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum

9

REV.MI P. KILIANI HEALY

Prioris Generalis Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo

Eminentissime Princeps,

Quandoquidem rogati sumus ut quae in Concilio Oecumenico tractanda nobis viderentur exprimeremus, sequentia sub triplici capite, scil. doctrinali, morali, liturgico, Eminentiae Vestrae proponere audemus:

Caput I

De doctrina

1. Urgeatur unitas Christiana; foveantur tentamina quibus ad Ecclesiam Catholicam Romanam reducantur tum Graeci schismatici tum Protestantes.

2. Declaretur doctrina mediationis universalis Deiparae Virginis Mariae.

3. Examinetur doctrina quae relationem inter Ecclesiam et Statum respicit, ad indagandum num normae quibus societas Christiana olim regebatur, societati paganae nostrorum temporum applicandae sint.

a) Ut declaretur natura subordinationis Status relate ab Ecclesiam in regionibus acatholicis.

b) Ut enucleetur notio et vis potestatis indirectae Ecclesiae habito respectu ad Statum.

4. Evitentur explicationes dogmatum quae ipsa dogmata evacuant. Afferuntur aliqua eiusmodi exempla:

a) Religionis Christianae caput est, omnia fidei asserta res divinas in seipsis respicere et absoluta veritate pollere. Nihilominus hic illic audiuntur postulata subiectivismi ac relativismi philosophici quae sane encyclicam *Humani generis* provocarunt. Negatur argumentorum existentiae Dei valor, religionis cultus humano arbitrio committitur. Nunc plures hoc modo theologiam a mystica discernunt, quod prior utpote categoriis intellectualibus utens rem capere nequeat sed conatibus ad eam consistat, altera vero rem utique capiat sed propterea rerum exprimendarum incapax fiat.

b) Circa constitutionem Christi caput doctrinae Catholicae est Verbum incarnatum esse unum eundemque, Deum omnia humana peregisse

utique in natura humana, Verbum Dei nos morte salvasse utique morte quam passus est carne assumpta, non divinitate. Hodie tamen plurimae feruntur doctrinae quae dualismum ita urgent ut nescias in quonam a Nestorianismo differant. Incarnationem in mera unione-relatione reponunt, quemadmodum Nestorius reponebat in synaphaeia. Haec autem inde a medio aevo proferuntur et quidem velut quarundam scholarum insigne, et propterea fidenter asseruntur.

Est aliud doctrinae Catholicae caput eximia elevatio naturae assumptae in qua divinitas Christi resplendet. Nunc plures delectantur impositis ei omne genus imperfectionibus, ita ut vix aliud ei concedant nisi eximium sensum moralem ac religiosum.

c) Quoad Christianae vitae valorem fides Catholica ex S. Paulo didicit summam huius vitae excellentiam. Nunc vero ei detrahunt quamlibet peculiaritatem qua differat ex parte obiecti a vita pure naturali. Nam contendunt virtutes theologicas, quae supremum vitae Christianae fastigium sunt, non differre ex parte obiecti a virtutibus naturalibus neque supernaturales esse eorum actus nisi ex parte principii elicitivi.

d) Quoad sacramenta, fides Catholica horum efficacitatem extollit, sed plures theologi efficacitatem evacuant docentes non eis convenire nisi causalitatem moralem, id est, ea nihil sanctificationis efficere sed tantummodo a Deo impetrare ut ipse sanctificationem efficiat.

Caput II

De Praxi morali

1. Ut leges ecclesiasticae ieiunii et abstinentiae simpliciores et uniformes reddantur.

2. Consideratis conditionibus hodiernis explicetur lex de diei dominicae requiete.

3. Provideatur de modis quibus civium ordo qui dicitur operarius ad Ecclesiam reducatur.

4. De vita sacerdotali:

a) Ubi mos non est, introducatur usus quo sacerdotes saeculares cuiusque paroeciae vitam communem in eadem domo ducant.

b) Ut quilibet sacerdos approbatus, etiam extra suum territorium commorans, gaudeat iurisdictione audiendi confessiones aliorum sacerdotum.

c) Sacerdotibus itinerantibus qui mane fuerint legitime impediti detum facultas celebrandi horis vespertinis iuxta recentem disciplinam.

d) Omnibus sacerdotibus concedatur ut sacrum litent die Coenae Domini.

e) Facultas confessiones fidelium excipiendi in itinere maritimo et aereo extendatur ad iter quod via ferrata peragitur.

5. De sacerdotibus missionariis:

a) In bonum fidelium, ubi urget necessitas, missionariis concedatur facultas etiam in diebus feriatis binandi.

b) Missam sine petra sacra extra ecclesiam vel oratorium offerre missionariis liceat.

6. Dicasteria Romana ita ordinentur ut data scientiarum quae dicuntur sociologia positiva, sociographia, statistica, etc., modo scientifico colligi et adhiberi possint in regimine Ecclesiae, prout fit in Statibus modernis.

Caput III

De Sacra Liturgia

1. Proponantur quaedam principia de usu sermonis patrii in actionibus liturgicis.

2. Ut invocatio « Benedictum sit Cor Immaculatum Mariae » precibus post Missam vel Benedictionem Eucharisticam recitandis addatur.

Quae dum communico cum Eminentia Tua Reverendissima, Sacram Purpuram deosculatus, permaneo

Eidem Eminentiae Tuae Reverendissimae
humill.mus et add.mus servus

P. Kilianus Healy
Prior Generalis
Ordinis Fratrum B. Mariae V. de Monte Carmelo

10

REV.MI P. ANASTASII A SS. ROSARIO

Praepositi Generalis Ordinis Fratrum discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo

Roma, 14 settembre 1959

In ossequio alla venerata richiesta della Pontificia Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico compio il dovere di rimettere a Vostra Eminenza Reverendissima l'elenco delle questioni che a mio umile giudizio potrebbero utilmente essere trattate nel Concilio stesso.

Non ho ritenuto opportuno sviluppare le singole questioni, ma piuttosto accennarle concisamente come semplici temi di studio e di riflessione.

Con l'assicurazione che tutto il Carmelo Teresiano vuole soprattutto con la preghiera e con il sacrificio contribuire al felice e fecondo svolgimento del Concilio Ecumenico voluto dall'Augusto Pontefice felicemente regnante, prostrato al bacio della S. Porpora, mi professo di Vostra Eminenza Reverendissima

obbligatissimo e devotissimo servo

P. ANASTASIO DEL SS. ROSARIO
Preposito Generale dei Carmelitani Scalzi

Quaestiones dogmaticae

1. In mentem valide revocetur dogma peccati originalis, quod practice hoc tempore a non paucis doctrinis psychologicis et moralibus et in multis manifestationibus vitae concretae in oblivionem datur.

2. Transcendentia et gratuitas ordinis supernaturalis denuo asserantur.

3. Damnentur relativismus et naturalismus qui notioni et doctrinae veritatum fidei insidiantur et serpunt in variis modis cogitandi, loquendi ac scribendi de rebus biblicis et theologicis.

Quaestiones morales

1. Gravis obligatio instructionis religiosae accipiendae explicite declaretur et insuper sanciatur in explicito Ecclesiae praecepto, quo nempe

concrete indicetur qualis et quanta sit ea obligatio et pro pueris et pro iuvenibus et pro adultis.

2. Praecepta traditionalia Ecclesiae accommodentur formis et exigentiis vitae hodiernae, obligationibus substantialibus talium praeceptorum utique retentis ac confirmatis.

In specie, examini subiciatur possibilitas cuiusdam praecepti condendi quod imponat abstinentiam quamdam a ludis, spectaculis aliisque modernioribus oblectamentis, ut puta visionibus cinemotagraphicis, etc.

3. Statuantur ac decernantur canones expliciti ac perspicui quibus obligationes vitae moralis familiaris ac socialis contineantur, particularibus applicationibus ad conditiones vitae modernae non omissis.

5. Problema spectaculorum ac oblectationum (« divertimenti ») in vita moderna ponderetur ac principia moralia et ascetica opportuna subiciantur.

6. Damnetur male intellecta ac immoderata libertas in scribendo ac edendo (« libertà di stampa »), et alia id genus profligentur.

Quaestiones de apostolatu

1. Quo arceantur non paucae confusiones in ideis pariter et operibus, iterum asserantur principia theologica circa naturam, fines et formas apostolatus.

2. In specie, confirmetur omnino primatus essentialis apostolatus magisterialis et sacramentalis, clerum urgendo ne illum negligat, nimium ad alias formas apostolatus divertendo.

3. Obligatio apostolica laicorum definiatur, munia ac functiones ipsis propria aperiendo.

Quaestiones disciplinares

1. Graviter moneantur fideles de cavendis tendentiis nationalisticis intra Ecclesiam in variis nationibus.

2. Solemniter confirmetur ac sanciatur lex coelibatus ecclesiastici.

3. Revisioni et ad simpliciorem formam reductioni disciplinae poenalis, speciatim quoad censuras, provideatur.

4. Unicus redigatur textus Catechismi pro universa Ecclesia qui et norma sit ad alios quosvis catechismos particulares forte conficiendos.

Quaestiones circa vitam religiosam

1. Frenum apponatur nimiae facilitati in fundandis Institutis religiosis et aliis similibus.

2. Ad efficaciorem obervantiam spiritus consiliorum evangelicorum, praesertim paupertatis et austeritatis vitae, revocentur omnes ad quos spectat.

3. Instaurentur relationes magis organicae inter Ordinarios dioecesanos et Superiores Maiores Religionum ut melius opera apostolatus, viribus unitis, exerceantur.

Varia

1. Condantur et evulgentur criteria directiva quoad artem sacram.

2. Examini subiciatur opportunitas creandi duas species programmatum pro studiis ecclesiasticis: ita ut primum rigorose academicum sit, alterum vero brevius et facilius magis charactere pastorali polleat.

3. Attento cultu particularissimo quo de facto hodie Ecclesia prosequitur Sanctum Ioseph, desideratur introductio nominis Sancti Patriarchae in Canonem Missae et in alios textus liturgicos.

P. Anastasius a SS. Rosario
Praepositus Generalis
Ordinis Fratrum Discalceatorum
B. Mariae V. de Monte Carmelo

11

Rev.mi P. MICHAËLIS A IESU

Ministri Generalis Ordinis Ss.mae Trinitatis redemptionis captivorum

Romae, 8 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Perlibenter Tibi significo me laeto gratoque animo Tuas litteras recepisse (Prot. N. 1 C/59-1620), in quibus humanissime rogabas ut mentem meam aperirem circa ea quae in futuro Oecumenico Concilio disseri atque disceptari poterunt.

Consiliis cum fidis doctisque nostri Ordinis sacerdotibus collatis, haec quae sequuntur humillime proponere atque exoptare expediens mihi visum est:

1. Doctrina sic dicta « materialistica », quae Deum adversatur vel ignorat, classium socialium luctam propugnat, hominisque immortalitatem post huius vitae exitum reiicit, iterum solemni damnatione percellatur.

2. Ministris (« pastoribus » et episcopis) sectae protestanticae catholicam fidem amplectentibus et in sacram hierarchiam cooptari cupientibus sacri ordines ne denegentur, si praevie in ecclesiasticis disciplinis eruditi idonei a loci Ordinario iudicentur. Optandum ut vel ipse presbyteralis ordo et episcopatus conferri possit iisdem, etsi vinculo matrimoniali sint ligati, dummodo optimis moribus fulserint et aptos ad sacra munia obeunda sese exhibuerint; immo ipsis indulgeatur ut in coniugii usu pergere queant. Detrimenta ex huiusmodi benignitate Ecclesiae forte obventura propulsari poterunt cooptatione praedictorum ministrorum in clerum orientalis ritus, facultate insuper eis tributa sacra faciendi etiam caeremoniis romanae liturgiae. — Si iidem ministri ad fidem conversi sacerdotali dignitate decorentur, ipsis facilius erit veteres asseclas vel turmatim ad veram Ecclesiam trahere, pericula in pristinos errores relabendi avertere, tentationibus, quae insurgere possent ab gradum iam amissum, efficacius obsistere, mitiorem vitam inter catholicos agere.

3. Ut aptius novis in dies succrescentibus fidelium necessitatibus provideatur, stabilis exsistat diaconalis ordinis institutio, quo insigniri possint, absque iure ad altiores ordines perveniendi, ii fideles masculini sexus qui, etsi matrimonio copulati, ecclesiasticis disciplinis, praesertim theologicis, sint satis instructi, optimis moribus emineant, resque divinas amore prosequantur. Ii in seminario, sive in aliquo collegio vel alio efficaci modo in scientiis sacris eruditi, ab Episcopis, salvo iure parochorum aliorumque animarum curam habentibus, in locis praesertim ubi copia desit sacerdotum, potissimum deputentur ad pueros adultosque catechizandos, ad praedicandum Evangelium, ad baptisma sollemniter conferendum et ad sacram communionem ministrandam.

4. Valde optandum foret, ut Christifideles, qui postremis hisce temporibus quoad legem ieiunii et abstinentiae generalibus amplisque gaudent indultis, aliis christianae pietatis et mortificationis operibus hanc Ecclesiae indulgentiam aliquomodo compensent. Quod quidem, partim saltem, obtineri poterit si ipsi ad crebrius (ter, quater... in anno) sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipienda adstringantur.

5. Commendanda videtur quam maxime alacrior cooperatio intimiorque coniunctio cleri saecularis et regularis in salute animarum procuranda. Huiusmodi coniunctio et cooperatio mutua aestimatione caritateque roborata ab Ordinariis locorum et Superioribus religiosis, potissimum maioribus, quaerenda, urgenda, firmandaque erit.

6. Quoad rem liturgicam sequentia suggerere libet: a) Ritus consecrationis ecclesiae et altaris ad breviorem formam redigatur; b) quarumdam vestium sacrarum vel redundantium vel incommodum gignen-

tium (ex. gr. manipuli pro sacerdote in missa, dalmaticae et tunicae pro episcopo in usu pontificalium) usus aboleatur; c) sacerdotibus facultas tribuatur Missam celebrandi absque ministro ubi vera adsit difficultas illum habendi; d) missalis et breviarii romani reformatio quam primum ad exitum perducatur, festa discreta quadam ratione deligantur, et Missae sanctorum Propriique de Tempore cum ditiore varietate formularum lectionumque (praesertim ex Evangelio desumptarum) accurate ordinentur; e) partes quaedam divini officii quae nonnisi chorali recitationi apte congruunt in privata recitatione omittantur vel immutentur; f) tandem, ut in kalendario liturgico dominicarum festorumque mobilium ordo, necnon rubricarum apparatus evidentior simpliciorque evadat, optandum esset ut festum Paschae quotannis in eadem prorsus die mensis aprilis (quae sit quoque dominica) indesinenter celebretur.

Hae animadversiones et vota, Eminentissime Domine, pro felici Oecumenici Concilii exitu Tibi patefacenda cogitavi, precorque ut meam in scribendo sinceram libertatem benigne indulgere digneris.

Hac occasione utor Tibi ex corde caelestia dona et charismata adprecandi, Tuique me profiteor in Domino

Ob.mum hum.mum et add.mum servum

P. Michaël a Iesu
Minister Generalis
Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum

12

Rev.mi P. SANCTIS GATTUSO

Magistri Generalis Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum

Romae, 9 ianuarii 1960

Eminentissime Princeps,

Gratias, ante omnia, ago pro litteris ab Eminentia Vestra Reverendissima mihi die 18 iunii praeteriti anni missis. His litteris opiniones meae de futuro Oecumenico Concilio petuntur super quattuor quaestiones quae sequuntur:

I - Quae respiciunt quaedam doctrinae capita.

II - Res et argumenta de disciplina cleri et populi christiani.

III - De Ecclesiae multiplicis generis actuositate.

IV - Negotia maioris momenti quae Ecclesia temporibus modernis obire debet.

Singulis respondebo quae mihi videntur.

I. *Quaedam doctrinae capita*

Si hoc capite veniunt veritates quae divinum Revelationis Ecclesiae thesaurum constituunt, nihil est quod dicam. Si eiusdem doctrinae traditio, sive Sacerdotibus sive fidelibus in mente habetur, tunc puto quod:

1. Iuvenes qui ad sacrum Presbyteratus Ordinem suscipiendum parantur, doctrina sana et profunda imbuantur ut parati sint ad errores nostrorum temporum confutandos. Studium modernae peregrinae philosophiae, quae errores et confusiones prae se fert, caute admittatur.

2. Presbyteri sanam sibi traditam doctrinam fidelibus constanter et ubique doceant. *Constantia* his contradictionum et contra Deum Eiusque Ecclesiae luctationum temporibus, necessaria est. Dei, Ecclesiae, veritatis atque boni, hostes nunquam in erroribus suis repetendis fatigantur. Num nos, qui infallibili divina adsistentia nitimur, minus quam adversarii nostri erimus? *Patientia,* utique Dei Minister indiget in veritates fidelibus tradendo... Obliviscendum non est quod rudes sunt qui catechizantur; et si veritates aliquae parum faciles sunt etiam altioribus mentibus, quando magis his qui pene legere sciunt? *Meminerint* Sacerdotes, Domini Nostri verba: « Sine me nihil potestis facere ». Postulent itaque divinum auxilium et saltem remote ad praedicationem sese praeparent, *ubique.* Multas Dei sacerdos habet occasiones doctrinam sanctam fidelibus tradendi, praecipue: *a*) praeparationem rudiorum ad Sacramentorum receptionem; *b*) praematrimoniales instructiones; *c*) catechesim; *d*) simplices conversationes. Aliis verbis sacerdos docens sit quasi apis argumentosa. Quando sacerdos fecerit omne quod ipsi vere possibile est, non dubitet quin Ille, qui rudes Apostolos in sal terrae et lumen mundi transformavit, in eius adiutorium intendet.

Miserum est quod multi Sacerdotes ululantes oratores magis quam simplices et humiles Dei praecones acclamari velint. Sancta Mater Ecclesia Sancti Ioannis Mariae Vianney saeculum ab eius obitu nuper commemoravit. Quot exempla nobis imitanda ab ipso emanant!

II. *De disciplina cleri et populi christiani*

Disciplina cleri. Nomine cleri comprehenduntur: Sacerdotes dioecesani et Sacerdotes religiosi. Sufferat Eminentia Vestra Reverendissima insufficientiam meam maximam, ut aliqua pauca esponam.

1. Inter spiritualia quae emendari possunt, adscribuntur: *Carentia*

spiritualis vitae quia tempus magis ac magis aliis negotiis datur; *Negligens et nimis alacer Missae celebratio.* Sacramentorum negligens administratio, praesertim Paenitentiae, ita ut sacrilegia infrequentia non sint. Frequenter haec audivi verba: « Sacramenta difficilia ne reddantur »; et quaestio erat de essentialibus casibus moralibus.

2. Maior inter clerum saecularem et regularem cooperatio et mutuorum iurium observantia; quoties carentia istius observantiae a clero saeculari erga regularem, et vice versa, scandalum inter fideles generat!

3. Diligentior cura habeatur in iuvenibus ad sacrum Sacerdotium admittendis, maxime relate ad virtutes necessarias in viris qui inter fideles se ut alterius Christi personam exhibere debent. Et tamen oblivisci non possunt profunda illa Prophetae verba: « Et erit qualis populus talis Sacerdos »!

4. Domus Dei decorem Sacerdotes diligant atque inter fideles promovendum curent. Quomodo poterit populus ecclesias visitare si ipsae squalidae atque inornatae sunt? Fideles semper sunt felices in hoc Sacerdotes sedulos adiuvandi. Et si Sacerdotes negligentes sunt et domum Dei sordidant tenet, quomodo populus christianus inducetur ad ecclesiam frequentandam? Meminerint verba D. N. Iesu Christi de divino et constanti Dei Providentiae auxilio.

5. Sacerdotes regulares et saeculares per vias ne incedant nisi tota clericali veste induti, capite petaso operto et modeste.

6. Mundanitas in clero omnino removeatur.

7. Materialium bonorum concupiscentia cohibeatur.

8. Vitae levitas, praecipue in sacris ministrantibus, devitetur.

9. Inintelligibilis et saepe blasphema ars moderna non facile secundetur.

Disciplina populi christiani. Ad populum christianum quod attinet haec mihi opportuna videntur:

1. Maior coherentia cum principiis doctrinae Ecclesiae, ut semper et ubique vere christiani sese praebeant. Ideo de hoc necessariae instructiones habendae sunt et dispositiones practicae determinandae et urgendae, si opus est.

2. Actuosa partecipatio ad actiones liturgicas sedulo promovenda inter fideles ad meliorem eorum spiritualem profectum.

3. Quantum fieri potest, maior uniformitas ubique locorum habeatur relate ad quaestiones practicas quae cum exercitio vitae christianae a fidelibus peraguntur, praesertim in iis quae immediate respiciunt Sacramenta et frequentiam loci sacri ita ut fideles numquam scandalum praebeant vel patiantur.

4. Populus vero sensu christianae vitae imbuendus est et nun-

quam immutabiles veritates in discrimem adducendae sunt, ut modernae cogitationes fidelium, parum de christianismo sapientes, admittantur.

III. *De ecclesiae multiplici genere actuositate*

1. Hisce nostris temporibus Ecclesia iam in multis operibus laborat. Et hoc necessarium est quia experitur in tota societate necessitas istius multiplicis laboris.

2. Ecclesia non solum ad id quod divinum mandatum directum spectat, mentem dirigat, sed etiam ad omne quod influxum indirectum exercere valeat in populos sibi commissos: uti sunt opera adsistentialia cuiuscumque generis, recreativa etc.

3. Ad quaestiones actuales solvendas, sua auctoritate et exemplo impulsum det. Vox enim Ecclesiae in tot adiunctis et circumstantiis clarificatrix, moderamen et securitas est. Quid de novis inventionibus technicis, medicis etc., quid de educatione iuventutis et de propugnaculo ad moralem defendendam in tanta morum corruptione, nisi semper praesens esset Ecclesia? Praeterea omnes spectant eius operam tanquam perfugium in adversis, prout in ultimo bello praeclarum testimonium habetur.

IV. *Negotia maioris momenti quae Ecclesia obire debet*

Quaestiones quae sub hoc capite enunciari possunt, meo iudicio haec sunt:

1. Incepta liturgica reformatio ad terminum perducenda est.

2. Unio inter coetus diversos qui christianum nomen portant, omni studio promovenda atque fovenda est.

3. Studere et resolvere quomodo adiuvari possunt ii qui laborant in cura animarum et sat parum de quo vivant habent. Insuper consulere senioribus Sacerdotibus qui totam vitam degerunt in lucrum animarum, sed cum directum ministerium non exerceant, saepe in vera miseria inveniuntur.

4. Maior et clarior directio catholicorum in quaestionibus politicis et socialibus, quae ipsos ut cives spectant, necnon solutio quaestionis socialis.

Quae omnia dum libenti animo comunico et meliori iudicio subicio, Deum adprecor pro Sanctae Romanae Ecclesiae prosperitate et incremento, atque Eminentiae Vestrae Reverendissimae salute.

Addictissimus oboedientissimus in Christo Iesu
P. Sanctes Gattuso
Magister Generalis
Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum

13

Rev.mi P. ALFONSI M. MONTÀ

Prioris Generalis Ordinis Servorum Mariae

Romae, 28 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Tuae benignissimae sollicitationi mihi perlatae per epistolam diei 18 iulii currentis anni, haec respondenda humiliter exstimavi. Veniam tamen peto pro non parva morositate, officii mei occupationibus unice attribuenda. Haec ergo schematice S. Oecumenici Concilii considerationi humiliter submitto:

1. Hisce postremis temporibus, sunt plures ex Theologorum numero, qui veritatem de Purgatorii existentia non esse « inter Dogmata fidei » adnumerandam insinuant; contra hanc opinionem desideratur ex parte Concilii Oecumenici renovata declaratio.

2. « Sacrae Scripturae studia » in maioribus Athenaeis — minime Instituto Biblico excepto — veluti rationalismo videntur infecta. Professores etenim ita se gerunt ut tantummodo evidentissimos errores in magisterio devitent. Tali modo alumni, novitate amantissimi, normas, a Leone Pp. XIII imperiturae memoriae usque ad Pium XII sanctae recordationis in hac gravi materia traditas, explicite spernentes, temerario ausu errores quosdam amplectuntur.

Necesse est proinde — praesertim ad Dogma de Divina Inspiratione et ad historicitatem Pentateuci tutanda, declarationes sanctissimas edere, poenas in transgressores efficaces comminando.

3. Quod ad vitam ducendam tum in presbyterali Ordine cum in religioso statu pertinet, haec de die in diem norma numerosiores asseclas facit: Caritas operit multitudinem peccatorum... (caritas huiusmodi intelligitur caritas materialis, plerumque sine notabili sacrificio facta). Contra caritatem ita intellectam, tantummodo peccata mortalia continuo conclamantur; dum peccata contra alia Decalogi praecepta, sexto Legis Dei dictamine incluso, vel parvipenduntur vel omnino negantur. Relate ad hoc praeceptum moderni inclinantur admittere parvitatem materiae; hoc certo contra opinionem veterum Moralistarum hanc doctrinam negantium. Neminem latet hanc novam circa mores theoriam ad perniciosissimum « laxismum » vehementer animos ecclesiasticorum trahere.

4. Sunt, in praesens, plures, qui inter iuris peritos sese enumerant,

qui non admittunt clericos « in sacris » constitutos, una cum professis votorum sollemnium amplius teneri, saltem sub gravi, ad Divini Officii recitationem. Plures iam — ob praedictam rationem — inveniuntur Presbyteri, praesertim Operibus Socialibus ex propria inclinatione addicti, qui legi recitationis quotidianae Breviarii amplius tranquilla conscientia — uti affirmant — non satisfaciunt. Oportet etiam circa hoc voluntatem Ecclesiae clare patefacere in proximi Concilii celebratione ita ut Divinum Officium recitantes confirmentur in hoc opere bono, dum e contra negligentes ab hac gravi removeantur culpa.

5. Pariter impraesentiarum adsunt haud pauci religiosi, qui fundamenta voti oboedientiae conantur evertere hoc falso ratiocinio: ius strictum semper cuique est, ita bono propriae personalitatis consulere ut nemini liceat personalitatem proximi nullimodo conculcare. De ista vero — ut ita dicam — conculcatione arbiter seu iudex tantummodo potest esse ipsum oboedientiae subiectum; cui igitur recognosci revera debet plena potestas prius motiva oboedientiae agnoscendi, dein ponderandi ac denique admittendi aut reiciendi relativa praecepta oboedientiae prout haec rationabilia aut minus ei visa fuerint. Aperte haec non dicuntur contra oboedientiae votum, attamen « sicut anguis latet in herbis » ista, in monasteriis, abscondite sed perseveranter foventur.

6. Evidentissime relationes, seu « modus vivendi » inter duos Cleros magis magisque difficiles in dies evadunt cum detrimento caritatis et ideo cum damno spirituali Christifidelium ingenti.

Videntur haec esse sex difficultatum praefatarum capita:

a) Dignitas cleri saecularis ita diebus nostris extollitur ut ipsa « exemptionis » immemorabilis et sanctissima lex, in favorem Religiosorum merito concessa, a multis locorum Ordinariis, excludenda penitus censeatur.

b) Cum agitur de ecclesiasticis dignitatibus — praesertim de iis quae cum pinguibus reditibus, seu oeconomicis retributionibus coniunguntur — studiosa apparet voluntas, in pluribus Dioecesibus, Religiosos viros plerumque a praefactis dignitatibus arcendi.

c) Nimis Religiosorum obnoxia seu illis contraria videtur quoque illa theoria, quae in praxim hodie a Sacra Congregatione Concilii deducitur, qua de facto Religiosi praecise qua Religiosi, impediuntur acquirere proprietates, quae finitimae sunt Ecclesiis et aliis aedificiis paroecialibus, tam si paroecia religiosa sit ab antiquo « pleno iure » Religiosis concredita, quam si iisdem sit recenter concessa « ad normam canonum et ad nutum Sanctae Sedis ». Hoc impedimentum ponitur, quasi a concessione acquirendi grave periculum procedat constituendi, supra quaedam immobilia ecclesiastica, taxarum in successionibus exonerationem,

quemadmodum in civili legislatione accidit, ubi viget institutum illud iuridicum cui titulus « mano morta ».

Quod ad Italam Nationem attinet pernotum est, insuper, auxilia oeconomica, quae a Gubernio statuuntur, fere semper Episcopis tradi, qui fragmenta tantummodo Religiosis, curae animarum addictis, concedunt.

d) Plerique exstant Exc.mi Archiepiscopi et Episcopi, qui duriuscule agunt cum Religiosorum Ordinariis, illos in occursibus, audientiis ac praesertim colloquiis parum existimantes, immo saepe mortificantes; quod cum iam religiosis subditis notum sit, gravissimum revera toti monasticae disciplinae detrimentum affert.

e) Nimia denique apud Ordinarios locorum adest facilitas cooptandi inter suos presbyteros necnon aliqua vice clericos religiosos, qui a variis Familiis ad Statum Perfectionis pertinentibus exeunt; quique hoc modo nimis facile eximuntur ab obligatione oboedientiae et a voto paupertatis in Religione emisso.

f) Cum hodie causae itinerum et translationum presbyterorum multiplicentur et variationes domiciliorum frequentiores, ita, evadant, conveniens esset si novae darentur normae pro obtinenda, faciliori ac promptiori modo, iurisdictionem ad Christifidelium confessiones audiendas, praesertim cum laici parum intelligant huiusmodi limitationes.

Dum haec humiliter tibi, Eminentissime Domine, submitto, veniam peto ac Tuam benedictionem instanter expostulo atque Eminentiae Tuae addictissimum me profiteor.

P. Alfonsus M. Montà
Prior Generalis Ordinis Servorum Mariae

14

Rev.mi P. FRANCISCI SAVARESE
Correctoris Generalis Ordinis Minimorum

Romae, die 3 martii 1960

Eminentissime Princeps,

Summo honori mihi est respondere ad litteras, quas Eminentia Tua ad me misit die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-1623) atque communicare « omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia, et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum » mihi suggerunt « circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt ».

Iterum iterumque a Divino Paraclito luminibus invocatis, audito etiam consilio Adsistentium Curiae Generalitiae, haec in Domino audeo humiliter proponere:

1. Ut promulgetur Dogma mediationis universalis Beatae Mariae Virginis, Matris Domini.

2. Ut in administrandis Sacramentis Baptismatis, Confirmationis et Extremae Unctionis, Sacerdotes vernacula lingua utantur.

3. Ut Sacramentum Confirmationis etiam a Parochis ordinarie conferri possit.

4. Ut gravi sanctione et poena plectentur divortium, abortus et artificialis foecundatio.

5. Ut fideles possint satisfacere praecepto Pachali per totum annum et praecepto Missae dominicalis etiam in Missa pomeridiana diei sabbati.

6. Ut per televisionem transmittatur saltem per unam horam in hebdomade instructio religiosa et praesertim doctrina catechismi, quam plerique hominum fere ignorant.

7. Cum nostris temporibus efficax actio apostolica et promulgatio vitae catholicae inter fideles fieri possit praesertim scholis et proelo, necnon modernis mediis propagationis, uti televisione, radiophonio, cinematographica arte, optandum est ut Sancta Mater Ecclesia magni faciat ista media propagationis catholicae doctrinae: non solum adiuvet et sua faciat ista propagationis media, sed etiam utatur efficaciter illis Institutis religiosis ad hunc finem erectis: immo novae peculiares institutiones foveantur quae sive propter intrinsecam excellentiam, sive propter qualitates naturales et specificas, quibus sodales praediti sint, ab extraneis et adversariis laudentur et magni existimentur.

8. Disciplina Religionis in scholis maternis ne relinquatur arbitrio magistri saecularis, qui non semper vitam christianam degit, immo saepe agnosticus, atheus, vel communista est. Propterea speciales instituantur cursus — qui et gratuiti sint — ad imbuendum catholica doctrina magistros saeculares: efficiatur etiam ut disciplina Religionis — sive in maternis scholis sive in superioribus scholis — uniformiter et unica methodo tradatur, saltem pro unaquaque Natione.

9. Instituatur etiam Sacrum Dicasterium, quod praecipue curam habeat de religiosa instructione puerorum et iuvenum in scholis.

10. Sicut habemus catechismum doctrinae catholicae, sic conficiatur opus quoddam completum quo exponatur fidelibus doctrina socialis Ecclesiae, quam hodie maior hominum pars vel ignorat vel errate cognoscit.

11. Statuantur iura et limitationes Cleri in re politica et in certaminibus ad suffragia pertinentibus.

12. Particulares leges decernantur de obligatione clericorum et sacerdotum relate ad orationem mentalem, exercitia spiritualia annualia, mensilia, confessionem hebdomadariam.

13. Ne promoveantur clerici ad ordinem Presbyteratus antequam expleverint vigesimum quintum aetatis annum.

14. Docentes humanitatis disciplinas in scholis classicis ita informent mentes clericorum, ut semper prae oculis habeant futuram sacerdotalem missionem alumnorum.

15. In cursu philosophico et theologico, potius quam profunda investigatio et expositio veterum errorum et systematum philosophicorum et theologicorum, quae nunc tantum ad generalem eruditionem inserviunt, fiat particularis et accurata expositio simul et confutatio modernorum ac recentium errorum: item alumni severe imbuantur doctrinis quae speciali modo eos ad futurum apostolatum praeparent atque adquirant formationem intellectualem adaequatam praesentibus Ecclesiae necessitatibus.

16. Cursus Theologiae pastoralis sit pro omnibus adspirantibus ad Sacerdotium obligatorius.

17. Neo-Sacerdotes, praesertim initio apostolatus particulari cura invigilentur et adiuventur a sacerdotibus iam expertissimis in apostolatu et in cura animarum.

18. Adsistentia spiritualis et socialis puellarum ac catholicarum mulierum committatur sacerdotibus praeditis prudentia et qui iam 35-40 annum saltem expleverint, ad periculum spirituale et omnem suspicionem devitandam.

19. Sacerdotes apostatae ne relinquantur et abiiciantur, sed totis viribus Sancta Mater Ecclesia efficiat ut recuperentur, ita ut, abiectis erroribus et peccatis, ad pristinam gratiam redeant.

20. Statuatur « terminus ad quem » muneris Parochi et Episcopi: maxima ergo aetas indicetur, ultra quam ipsi desinere debeant officium. Provideatur tamen caritative et constanter ad honorificam et sufficientem eorum sustentationem.

21. Remuneratio pecuniaria singulis sacerdotibus ne sit diversa in singulis paroeciis, et, si possibile est, nec in singulis Dioecesibus.

22. Parvae Dioeceses supprimantur et absorbeantur a maioribus, praesertim si illae paupertate oeconomica et parvitate sacerdotum laborant; talis suppressio necessaria videtur attentis etiam facilitatibus communicationum socialium inter homines: modernis enim mediis com-

municationum possibilis est activitas apostolica etiam inter dissitas regiones.

23. Dioecesibus praesint Pastores zelantes et spiritu apostolico simul cum doctrina praediti.

24. Si in quibusdam Nationibus permittitur ut Presbyteri utantur habitu civili, idem habitus sit niger cum collare.

25. In Sacris Dicasteriis negotia tractentur iuxta sapientem Ecclesiae doctrinam, sed etiam explicentur celeriter.

26. Recursus anonymi nullius momenti sint; si autem recursus sit subsignatus, vocetur recurrens ad probandum, quod asseruit.

27. Privilegium exemptionis religiosorum nec destruatur, nec mutetur.

28. Ut efficaciter clerus regularis incumbat in activitatibus pastoralibus, ne auferatur exemptio, sed potius relationes inter clerum saecularem et regularem animentur spiritu caritatis et sacrificii, ita ut activitas eorum compleatur. Quare necesse est ut Parochi et Superiores domorum religiosorum eligantur inter sacerdotes aptos et prudentes.

29. Aetas ad professionem emittendam pro religiosis maior sit quam actualis, statuta a *C.I.C.*

30. Sacerdotum regularium, sive propter numerum eorum sive propter activitatem apostolicam quam in operibus catholicis agunt, praesentia in Ecclesiastica Hierarchia augeatur.

31. In Dioecesibus, Ordinarii ne impediant quominus religiosi novas domus erigant et scholas apostolicas ad vocationes fovendas, nisi revera adsit gravis impediendi ratio.

32. Usus Televisionis in Communitatibus religiosis impediatur, vel saltem moderetur normis severis et efficacibus.

33. Statuta respicientia confessores religiosarum ne nimis complexa sint, sed ita conficiantur, ut tranquillitas et libertas conscientiae religiosarum optime tueatur.

34. Speciales normae emanentur cum practicis regulis, quibus adsistentia medica sodalibus religiosis tueatur, necnon pensio post determinatam aetatem, ut subveniatur religiosis inhabilibus et senibus.

35. Omnes christiani exultaverunt cum notitia promulgata est futuri Oecumenici Concilii: etiam sodales Ordinis Minimorum pergrato animo notitiam de proximo Concilio acceperunt. Optimum est si Commissiones mittere velint ad Superiores Generales Ordinum Schemata argumentorum respicientium disciplinam et vitam religiosam, quae in Concilio tractabuntur.

36. Media apta proponantur et ad praxim deducantur ut feliciter

fieri possit optata coniunctio cum dissidentibus, ita ut fiat in Ecclesia « unum ovile et unus Pastor ».

Eminentissime Princeps,

Corrector Generalis Ordinis Minimorum, cum omnibus sodalibus eiusdem Ordinis, promittit se ferventibus precibus Deum suppliciter rogaturum ut rorem gratiarum effundat super futurum Oecumenicum Concilium et super omnes qui studio, operibus, consiliis, adlaborant pro felici eventu, ita ut revera fructus ab omnibus catholicis ardenter sperati, abundanter veniant, ad animarum bonum, ad Ecclesiae decorem et ad maiorem Dei gloriam.

Talibus innixus votis, osculor Sacram Purpuram atque humiliter me profiteor Eminentiae tuae

Add.mum

P. FRANCISCUS SAVARESE
Corrector Generalis Ordinis Minimorum

CLERICI REGULARES

1

REV.MI P. IULIANI ADROVER

Praepositi Generalis
Ordinis Clericorum Regularium vulgo Theatinorum

Romae, 17 augusti 1959

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Superiori Communicationi diei 18 iunii 1959 huius Ven. Pontificiae Commissionis his paucis respondere mihi in honore est:

1. Media inquirere ac praesidia instituere quibus Sacerdotalis castitas protegatur ac fulciatur, consilia ad rem apta ineundo, cum id tanti momenti sit ad mores plebis christianae instruendos atque firmandos.

2. In studiis ecclesiasticis maius pondus tribuere scientiis sociologicis ac politicis (theoretice tantum quoad hoc postremum).

3. In disciplinis tradendis — et non tantum tempore cursus Pastoralis — dum iuvenes principiis philosophicis et theologicis erudiuntur, quae quidem omnium fundamentum constituunt, maximum momentum afferre his quae ad usum quotidianum seu praxim partinent ne iuvenes levitae cum e Seminario egrediuntur tamquam rerum imperiti humanorumque morum ignari videantur quae quidem uberiorem fructum in salutem animarum impediunt.

Optima omina praebens ut felicem atque optabilem exitum habeant, quae improbo labore haec Ven. Commissio peragit.

Tuae Eminentiae Rev.mae addictissimus in Domino

P. IULIANUS ADROVER
Praepositus Generalis
Ordinis Clericorum Regularium

2

REV.MI P. AEMILII M. SCHOT

Praepositi Generalis
Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum

Romae, 1 septembris 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Maxima reverentia litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae accepi, de rebus in futuro Concilio Oecumenico proponendis. Consiliis et votis Peritorum, quae pauca sequuntur mihi humiliter videntur subiicienda:

1. Reformatio totius Tractatus de Censuris. Doctrina hodierna videtur multis, qui theologicis disciplinis sunt addicti, impervia; et disciplina in praxim deducenda, est pro multis Confessariis fons anxietatis, eo magis quod quaedam auctorum disputationes, quae a pluribus saeculis protrahuntur, auctoritativam solutionem nondum receperint.

2. De bonis ecclesiasticis Regularibus concreditis, nova Iurisprudentia videtur instauranda. Etenim contractus quidam de hac re initi, et a S. Congregatione de Religiosis approbati, ad S. Congregationis Concilii approbationem ab Episcopo indebite non praesentantur, ita ut post aliquot annos nascantur contentiones et lites magno cum detrimento Operum Apostolatus et Paroeciarum. Forsan in praxim deducenda esset obligatio huiusmodi: approbatio ab Episcopo ad S. Congregationem Concilii infra annum petenda est: qua omissa, ad omnia damna spiritualia et materialia Episcopus condemnandus est.

3. De S. Communione extra S. Missae Sacrificium horis vespertinis distribuenda. Haec facultas utilis videtur saltem in nosocomiis, eo quod mane, ut fit hodie, non abest periculum irreverentiae propter laborem ministrantium et ipsorum sacerdotum et degentium festinationem.

4. De S. Sacrificii Missae assistentia non adhuc in lege declaratur num horis vespertinis sit de praecepto pro fideli qui mane legitime impeditus fuerit. Verum est ipsas facultatis celebrandi coarctationes, hanc definitionem arduam pro multis locis efficere.

5. In Missa Pontificali ritus simplicior videtur desiderari, ita ut etiam in pagis et parvis urbibus fideles expedite et pie Missae Episcopi proprii magni cum gaudio assistere queant et verbum Episcopi audiant.

6. De iurisdictione ad sacerdotem absolvendum, optandum videtur quod *ex iure* detur omni Sacerdoti, ab aliquo Ordinario pro Confessionibus approbato, potestatem ordinariam absolvendi qualemcumque sacerdotem, excepto complicitatis delicto, et ideo ubique terrarum, etiam a peccatis ab Ordinario reservatis.

7. Quoad praecipuas veritates fidelibus praedicandas, haec proponenda videntur:

a) Excellentia religionis catholicae, contra indifferentismum et sic dictam religiosam tolerantiam;

Sic definiatur quoque fidelium positio erga quaestiones de unitate inter Ecclesias christianas instauranda.

b) Animae immortalitas et spiritualium virium valor, adversus periculum sic dicti technicismi;

c) Natura peccati, hodie in oblivionem deleta, cum ipso conceptu moralitatis, legis divinae obligationis; necnon poenarum aeternarum existentia;

d) Matrimonii sanctitas qua perfectionis fons; necnon virginitatis excellentia;

e) Nec silere forsitan potest Concilium de Mariae SS. Corredemptione, de qua iam multa adsunt theologicae controversiae;

f) Tandem quoad laicorum theologiam variae sunt quaestiones ponderandae, id est: de natura et limitibus cooperationis laicorum ad Apostolatum hierarchicum; de doctrina sociali Ecclesiae, de syndacatis, de legitimitate intermissionis opificum laboris, etc.; de fidelium activitate politica, et etiam sacerdotum; de liceitate cooperationis politicae fidelium cum partibus atheorum.

De his et similibus argumentis praeclara iam adsunt in Encyclicis et in Allocutionibus Summorum Pontificum documenta, quae in synthesim redacta utilissima forent ad sanam doctrinam late diffundendam.

Satis sit humilitatis meae haec pauca enumeravisse, nam « Longum est et arduum ire per singula », dicit Cassianus. Ut Theologicorum et Peritorum de disciplinis ecclesiasticis mentes Spiritus Sanctus illuminet, humiliter petam, ita ut proponantur et definiantur quae Ecclesiae animarumque bono sint profutura.

In S. Purpurae osculo, benedictionem Eminentiae Tuae Reverendissimae humiliter imploro.

Humillimus servus in Domino
P. Aemilius M. Schot
Praepositus Generalis
Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum

3

REV.MI P. IOANNIS B. IANSSENS

Praepositi Generalis Societatis Iesu

Romae, 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris diei 18 iunii huius anni, Prot. N. 1 C/59-1626, quibus Eminentia Vestra ex parte Summi Pontificis fel. regn. me honorare dignata est, rogabat ut mentem meam qualemcumque sincere aperirem de argumentis in futuro Concilio tractandis.

Quod adiunctis foliis quantum potui praestare conatus sum.

Hac opportunitate usus, ad osculum sacrae Purpurae inclinatus, libenti animo me profiteor

observantissimum in Christo servum
Eminentiae Vestrae
P. IOANNES B. IANSSENS
Praepositus Generalis Societatis Iesu

I. *De re fidei et morum*

1. Optatur ut accuratius circumscribatur ambitus et auctoritas *magisterii ordinarii* Ecclesiae atque urgeatur reverentia et obedientia etiam interna et debita.

2. Urgeatur quoque valor *definitionum dogmaticarum,* perfectibilium quidem at irreformabilium nec de uno sensu in alium sese evolventium.

3. Urgeatur solida formatio clericorum in *philosophia scholastica,* cuius defectus serpenti favet relativismo.

4. In luce ponatur valor absolutus *iuris divini,* sive naturalis sive revelati, quod non nutat secundum « exigentias situationis ».

5. Accuratius definiatur positio Ecclesiae quod ad *res oecumenicas,* quae distat tam ab indifferentismo quam a defectu fraternae comprehensionis seu caritatis in ordine ad unionem omnium in unum ovile Christi.

6. Praemoneantur clerici et fideles contra periculum hodierni sic dicti « *humanismi* » qui, sub specie boni, eos abducit a fide.

7. Contra placita « Marxistica » sive Socialismi sive Communismi, sanciatur *doctrina socialis* Ecclesiae a Romanis Pontificibus declarata incitenturque ut eamdem in rem deducant, in specie etiam in campo « internationali ».

8. Accuratius describantur *partes membrorum,* in specie *laicorum,* in Corpore Christi Mystico.

9. Enucleetur doctrina theologica de *vita religiosa* in Ecclesia, seu de statibus perfectionis qui dicuntur; pro posse praeveniantur ista dissidia inter « saeculares » et « regulares » quae hac praesertim aetate nata sunt debilitare actionem Ecclesiae in tanta penuria cleri eiusque auxiliarium.

10. Quamquam multi Episcopi id fecerunt, opportunum videtur ut ipsum Concilium sollemniter affirmet *iura aequalia omnium hominum, cuiusvis generis* (« razza ») sint, et eorum aequalem dignitatem coram Deo et Ecclesia.

11. Ut occurratur incommodo non levi orto ex minus apte exposita interdum doctrina *de habitudine Ecclesiae catholicae ad Statum,* eam pro hodiernis adiunctis declaret Concilium. Pateat in specie Ecclesiam adversari cuilibet coactioni externae ad fidem rectam imponendam.

II. *De Ecclesiae gubernatione*

1. Optatur ne pro rebus quae sint merae exsecutionis tam saepe recurrere cogantur Episcopi, Superiores religiosi, ad *indulta a Sancta Sede tantum concedenda;* quo labore dum obruuntur Congregationes Romanae, ab officiis maioris momenti in bonum Ecclesiae praepediuntur.

2. Optatur ut creetur aliquod *organum coordinationis* inter Congregationes et Officia Curiae Romanae, ne singulae Congregationes vel Officia singillatim tantum procedant, et in conflictu iurisdictionis inter eas subditi inter martellum et incudinem premantur, uti re vera non raro fit.

3. Optatur ut *officiales* praesertim maiores earumdem Congregationum seligantur primario ratione peritiae in negotiis de quibus iis agendum est, non vero primario ratione meritorum aliunde acquisitorum in servitio Ecclesiae.

4. Optatur ut inter eosdem officiales, sive maiores sive etiam minores, plures *cooptentur ex variis mundi partibus,* in specie ex America, Asia, Africa ne, ut non adeo raro accidit, ea quae ordinantur minus vel vix aptentur necessitati vel possibilitati certarum regionum.

5. Optatur ne occidantur *ultronei conatus zeli apostolici* etiam privatorum, qui in tota historia Ecclesiae adeo fecundi fuerunt, per nimiam « centralisationem » quorumdam Praelatorum. Prudens vigilantia moderetur, conamina quae a Spiritu Sancto inspirata videntur, autocratia autem ea ne suffocet.

6. Querelae frequentes audiuntur de nimia mora quam negotia patiuntur Romae, in specie (at non tantum) penes *S. Rotam;* quae tamen negotia, natura sua, pleraque celeriorem solutionem requirunt.

7. Aptum remedium inveniatur incommodis quae bono animarum et Ecclesiae oriuntur a *multiplicatis iurisdictionibus ecclesiasticis* pro variis ritibus in certis regionibus, imprimis in Proximo Oriente et India meridionali. Intermixtae iurisdictiones personales in eodem territorio nocent unitati et auctoritati Ecclesiae.

8. *Dioeceses* etiam antiquitate venerandae, facilius cum aliis mergantur ubi, mutatis adiunctis, iusto minores et debiliores factae sunt atque bonum Vicariatum foraneum vix aequant. Eorum enim multiplicatio nedum prosit, nocet bono Ecclesiae.

9. Examinetur num expediat adeo *multiplicare varia Instituta religiosa et saecularia* identici finis et similis indolis, cum periculo ne aliqua sint debilia nimis et Ecclesiam parum aedificent.

III. *De disciplina cleri et populi christiani*

1. Propter magis magisque ingruentem spiritum mundanum in fere omnes Ecclesiae coetus, optandum videtur ut Concilium *Religiosos* imprimis hortetur ut sese praebeant « salem terrae » in humilitate, in obedientia, in vitae austeritate et paupertate.

2. Optandum est ut pressius definiatur *habitudo Episcoporum ad Religiosos exemptos;* periculum enim est ne in oblivionem abeat iurisdictio ordinaria et immediata Summi Pontificis in singulos fideles, utque minus expedite providere possit Sancta Sedes necessitatibus partium Ecclesiae magis derelictarum atque evangelizandis terris infidelium, si usu incaute restringatur eadem exemptio.

3. Urgens videtur ut instauretur in populo christiano *sensus pudoris christiani* sine quo integritas morum in dies difficilius servatur.

4. Damnum patitur sanctitas sacerdotii in Ecclesia Latina, multiplicatis concessionibus *reductionis ad statum laicalem.*

5. *Index librorum prohibitorum,* cui iam vix attendunt fideles non pauci, aptandus videtur, in specie quod ad homines studiis deditos vel controversiis operam dantes.

IV. *De cura animarum*

1. Providendum videtur ut *clerus,* imprimis regularis, *facilius transferri possit* e regionibus ubi abundat, ad eas quae summopere clero indigent.

2. Optandum videtur ut aptis adminiculis promoveatur *lectio*

Scripturae Sacrae inter fideles; utque restituatur in praedicatione usus commentandi modo simplici et pio Biblia Novi et Antiqui Testamenti, quod ad illas praesertim res quibus hodierni homines magis moventur.

3. Suppressa iam de facto *Quadragesimae observatione,* periculum est ne sensus paenitentiae magis magisque in oblivionem abeat. Optatur ut alio, aptiore modo, singulis regionibus definiendo, instauretur illa periodus paenitentiae etiam corporalis. Quodsi omnes eam plene servare non poterunt saltem alicui parti populi, utputa Religiosis, imponatur. Cesset certe ista contradictio inter Liturgiam Quadragesimalem et usum fidelium.

4. Ulterius amplietur facultas celebrandi *missas vespertinas,* ubi bonum animarum id suadet. Undique enim auditur de emolumento quod inde ceperunt fideles.

5. Optatur ut logice extendens id quod pro Rituali in Ecclesia Latina iam facile conceditur, liceat illas *partes Missae* quae ad instructionem et aedificationem fidelium alta voce leguntur vel cantantur, simpliciter lingua vernacula proferre, secundum eorum finem et indolem. Pariter ut liceat Vesperas diei Dominicae et Festorum lingua vernacula decantare. Cum enim linguae vernaculae, si Italicam et paucas alias Latinas excipias, toto caelo differant a Latina (ipsae nempe linguae Indo-Europaeae; quanto magis reliquae!), haud facile ad participandam Liturgiam latinam excitas plebem; Liturgia manet privilegium exquisitius cultorum.

6. Cum non raro audiantur theoriae *de vita paroeciali* quae paroeciam perhibent non tantum, quod re vera est, medium aptissimum sanctificationis animarum, sed fere finem in se, ita ut nihil extra auctoritatem paroeciae moliri liceat, rectius describantur partes paroeciae, quo operibus et activitatibus « interparoecialibus », immo et « interdioecesanis » et « internationalibus » debitus locus concedatur et necessaria libertas actionis, sub altiore auctoritate, sarta tecta servetur. Si unquam alias, nostra aetate necessaria videtur haec universalior actio Ecclesiae.

P. IOANNES B. IANSSENS
Praepositus Generalis Societatis Iesu

4

REV.MI P. CAROLI MANSFELD

Praefecti generalis
Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis

Roma, 1° settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Accludo per la Commissione Pontificia alcune proposte in vista del Concilio Ecumenico conforme alla richiesta dell'Eminenza Vostra in data 18 giugno c. a. sotto il numero di protocollo 1 C/59-1628.

Con sentimenti di profonda stima baciando la S. Porpora,

dell'Eminenza Vostra umil.mo servitore
P. CARLO MANSFELD
Prefetto Generale dei Ministri degli Infermi

De competentia et unitate auctoritatis in Ordinibus Religiosis

Dum legitima videtur provocatio ad externam activitatem religiosorum pro cura animarum, educatione et operibus caritatis fovendis, verum est etiam quod activa vita absque firmiore fundamento spiritualis vitae, steriles reddit labores et opera, interiori armonia ea privando, immo et periculosa reddendo. Sicut sacerdotes dioecesani spiritu sacerdotali, ita religiosi genuino spiritu religioso egent.

Idcirca in quovis Ordine vel Congregatione primum erit tendere ad perfectionem et postea ad opera apostolatus incumbere ut fecunda esse possint.

Sed ad hoc obtinendum, ut spiritus religiosus et disciplina validiores fiant, necessaria videtur uniformitas atque bona vigilantia sub auctoritate Rev.mi Patris Generalis et Superiorum Maiorum Ordinis. Hoc speciatim si ad Ordines vel Congregationes iuris pontificii inspicimus, quorum sodales in dissitis mundi partibus degunt, variis conditionibus sunt obnoxi et in pluribus dioecesibus curam animarum praestant. Ibi sane, necessitas directionis uniformis ab unica auctoritate centrali statim apparet, ut religiosi principibus ordinis et mentis conceptibus Fundatoris fideles perseverent et unitas, compago et vis Ordinis nullo pacto

periculum patiatur non obstantibus diversitatibus morum et populorum ubi religiosi vivere tenentur.

His fretus rationibus, humilis orator petit a Commissione Praeparatoria Concilii quod in propositionibus ad Ordines spectantibus, Superiorum Generalium et Superiorum Maiorum neve in minimis quidem auctoritas minuatur, quinimmo corroboretur, ita ut Ordines et Congregationes sub fundamento vitae activae proprio spiritu religioso firmi maneant, digneque locum a Divina Providentia constitutum occupare valeant.

De veste sacerdotali hodie publice ferenda

Peragrans ratione visitationis canonicae per nonnullas nationes inveni normam generalem et determinatam circa formam vestium sacerdotalium in publico diversorio adhibendarum deesse in iis locis in quibus vestis talaris praeterquam domi et in ecclesia non fertur.

Dum, vero, in quibusdam nationibus praescribitur sacerdotibus ferre habitum nigri coloris, superhabitum, pileum eiusdem coloris una cum romano collare, in aliis nationibus sensim sine sensu mos invaluit superhabitum et pileum variorum colorum ferendi; habitus enim vero, cineracei obscuri vel clari coloris hinc inde apparet, dum collare romanum iamiam a lintea fasciola obscuri coloris collum cingente substituitur (cravatta).

Quamvis, tamen, in nonnullis nationibus meliori consilio videatur inopportunum habitum talarem publiciter ferre, neque bonum iudicatur in vita societatis hodiernae figuram sacerdotis ita publice quasi evanescere vel statum sacerdotalem plus minusve occultum tenere.

Hoc, enim, nullo pacto concordare videtur muneribus Ecclesiae et sacerdotis in vita nostra civili, neque utile esse arbitratur.

Orator a Commissione Praeparatoria Concilii petit ut iudicare velit de opportunitate ferendi praescriptivam normam generalem pro omnibus nationibus ubi vestem talarem publice sacerdotes non ferunt, sequentia prae oculis habente:

1) in exercitio liturgico et in actibus iurisdictionis clerus saecularis et regularis proprium habitum ferre semper teneatur;

2) ubi invaluit mos adhibendi habitum civilem, color niger cum obligatione ferendi collare romanum sine exceptione praescribatur (sicut fit v. g. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis);

3) in nationibus tropicis vel etiam semitropicis permittatur habitus albi coloris, firma obligatione ferendi collare romanum;

4) tempore persecutionis vel peculiaris circumstantiae, S. Sedes

speciales facultates Ordinariis locorum de forma vestium adhibenda transmittat.

De sacramento Extremae Unctionis

A sodalibus Ordinis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium non semel tractata est quaestio de difficultatibus practicis ab hodierna disciplina sacramentaria promanantibus in administatione sacramenti Extremae Unctionis.

Cum vero hoc sacramentum administrari possit solummodo *periculo mortis,* non raro accidit quod aegroti ipsi et parentes quando a sacerdote invitantur ad accipiendum hoc sacramentum, talem invitationem ut nuntium mortis retineant, aegroque animo non semel reiectione sacerdotis rem ferant.

Hac de causa fit etiam quod administratio huius sacramenti ad extremum usque vitae protrahitur, i. e. non ad « periculum » sed ad « articulum » mortis, id non sine gravi detrimento, cum vires physicae et spirituales aegroti ad minimum reductae sint et sine peculiari miraculo pars non minima rei et sacramenti ipsi applicari non posse videtur.

De vero can. 940 § 1, praescribit quod subiectus Extremae Unctionis debet esse, praeter graviter aegrotus, etiam constitutus in « periculo mortis », non desunt theologi qui, mentem Pii Pp. XI sectando, contendunt pugnare contra « errorem », ex quo fit ut cum animae detrimento sancto oleo non ante lineantur infirmi quam, morte imminente, sensus paene vel omnino miserunt. Neque enim ut sacramentum valide liciteque detur, necesse est ut mors proxime secutura timeatur, sed satis est ut prudens seu probabile adsit de periculo iudicium » (*A.A.S.,* t. 15, a. 1923, pag. 105).

Nonnulli manuales theologiae moralis docent « periculum mortis » interpretari « ex mente Ecclesiae » ut « periculum moraliter accipiendum remotis anxietatibus et scrupolis ».

Alii theologi admittunt ulterius « periculum mortis » non constituere conditionem essentialem requisitam ad sacramentum Extremae Unctionis conferendum sed tantum praescriptionem ecclesiasticam; conditionem essentialem esse, solummodo, « gravem infirmitatem ».

Ex alio vero capite, sicut notat Bartmann, non ita facile videtur iudicium ferre de ipso periculo mortis, praesertim de periculo remoto; difficultatibus non paucis in hoc iudicio ferendo laborant ipsi medici, sicut experientia docet; quanto magis, ergo, laborabunt sacerdotes et parentes aegrotorum et alii?

Non est ergo — dicit Bartmann — gradus infirmitatis qui potest

influere ad statuendum valore sacramenti (*Manuale di Teologia Dogmatica,* Alba 1949, t. III, cap. 201, § 2, pag. 316).

Opinioni eorum qui tenent morbum gravem ut essentialem conditionem in administratione huius sacramenti favet etiam Rituale Romanum, ubi « de morte imminente » ne verbum quidem invenitur atque de salute recuperanda precatur hoc modo: « ad refectionem mentis et corporis... eiusque sana vulnera... dolores cunctos mentis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exterius sanitatem redde ut ope misericordiae tuae restitutus ad pristina reparetur officia ... se tua sentiat medicina salvum .. ut ab omni aegritudine liberatum et sanitate donatum ... Ecclesiae tuae sanctae cum omni desiderata prosperitate restituas ».

His ergo rationibus motus orator humiliter proponit studio Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico sequentes considerationes:

1) Num in illo textu Concilii Tridentini ubi agitur de oleo sancto « esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constitui videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur » elementa vel motiva habeantur pro nova decisione: gravis infirmitas sufficit ad receptionem sacramenti.

Notare velim quod, secundum Cavallera (*Le Secret du Concile de Trente sur la Pénitence et l'Extrême Onction,* pag. 25) verbum « praesertim » loco « dumtaxat » adhibitum fuit a concilio quasi ad praescriptionem mitiorem definitive textui dandam.

2) Num magis consentanea sensui popolari esset et ad receptionem facilitans mutatio nominis sacramenti « Extremae Unctionis » in « Oleum infirmorum vel Oleum Sanctum », sicut in ipso Tridentino Concilio a quibusdam requirebatur.

Orator notare velit quod in nonnullis libris orationum a diversis dioecesibus germanicis editis verbo « Extremae Unctionis » iam substituitur verbum « Sacrae Unctionis infirmorum ».

3) Num aptius actualis dispositio Ritualis Romani, secundum quam oleum sanctum sequi deberet susceptioni sacramentorum Penitentiae et SS. Eucharistiae, mutari valeat.

Enimvero, si oleum sanctum conferri potest dum periculum mortis remotum permanet et hoc sacramentum infirmorum non exclusive in sacramentum morientium converti debet, aptius oleum sanctum ut quaedam continuatio sacramenti penitentiae et praeparatio ad receptionem St. Eucharistiae considerandum esse censetur. Si autem Extrema Unctio

post St. Eucharistiam confertur sicut praeparatio morti et sacramentum « mali auspicii » habetur.

In novissimo libro « Collectio Rituum » pro dioecesibus germanicis edito S. Viaticum iam post unctionem infirmorum locum tenet cum approbatione S. Sedis.

4) Num orationes Ritualis Romani in administratione S. Olei mutari vel aliae adiungi possint.

Duo formularii precum, unus pro aegrotis et alter pro moribundis, utiles videntur.

Preces actuales magis aegroto in via sanationis quam in periculo mortis aptari videntur.

Quaeritur etiam si non esset utilius aegroto et circumstantiis hodiernis si preces lingua vulgari uniuscuiusque nationis proferantur.

Scopus harum considerationum est ut sacramentum olei sancti usu frequentiori populo christiano et infirmis administretur, ita ut beneficiis gratiae sacramentalis aegroti consolentur, dum morbo affecti adiutorium gratiae divinae quaerunt.

Si sanctum oleum ut sacramentum infirmorum — non tantummodo morientium — ab omnibus consideretur, effectus sacramenti ipsi populo christiano magis clarescerent.

Omnibus clare appareret quod hoc sacramentum habendum sit non ut — modo apodictico — causa ineffabilis sanationis corporis neque ut sacramentum mortis et commeatus aeternitatis, sed ut sacramentum consolationis infirmorum et ut supernaturalis compensatio iacturam infirmitatis sanans.

Eventualis determinatio in hac materia ex parte Concilii Oecumenici novas praescriptiones circa iterabilitatem sacramenti Olei Sancti necessarias redderet; sed de hoc nihil dicere orator intendit.

P. Carolus Mansfeld
Praefectus Generalis
Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis

5

REV.MI P. FLORILLI A. PIERSANTI

Praepositi Generalis
Ordinis Clericorum Regularium Minorum

Romae, 22 octobris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Sacram tuam osculatus Purpuram sic citatis tuis benevolis litteris in Domino respondere censeo.

In primis veniam peto propter involuntariam retardationem in mittendo responsionem quamvis nihil novi suggerendi habeam pro Concilii argumentis apparandis.

Proinde etiam nomine humilis Ordinis Clericorum Regularium Minorum, iam nunc profiteor adhaesionem et oboedientiam omnibus iis quae Patres Concilii Oecumenici, Beatissimo Summo Pontifice confirmante, statuere et praecipere censuerint.

Si licet audeo exprimere votum ut maxima claritas, simplicitas, et brevitas adhibeantur in canonibus edendis. Velimus etiam similem simplificationem extendi ad munera distribuenda, ita ut non omnia onera super unam classem, exempli gratia parochorum, imponantur; ut auditio confessionum reddatur rarior pro animabus in gratia positis, ad profectum eorum qui in tali statu non sunt; ut ad totum annum extendatur tempus utile ad satisfaciendum praeceptum annuale communicandi: ut sacerdotes in curam animarum positi habeant facultates plurimas quae nunc non facile et ad breve tempus obtineri possunt; ut magis procuretur penetratio capillaris saltem per verba impressa in apostolatu praecipue inter operarios.

Hortationes paternas et fervore accensas Summi Pontificis feliciter regnantis infrascriptus cum suis confratribus sequens, Vestrae Eminentiae humillimus servus declaratur

P. FLORILLUS A. PIERSANTI
Praepositus Generalis
Ordinis Clericorum Regularium Minorum

6

REV.MI P. BAPTISTAE VINCI

Rectoris Generalis

Ordinis Clericorum Regularium a Matre Dei

Roma, 22 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Gratissimi mei animi significationes accipias velim eadem Tua benignitate, qua me quoque huius parvi Ordinis Matris Dei invitasti ad ea Tibi manifestanda animadversiones, consilia et vota, quae in futuro Oecumenico Concilio tractari poterunt.

Meum, sane, non est plura suggerere, quae maiori auctoritate meliorique consilio Tibi poterunt ab Episcopis aliisque magni consilii viris indicari; attamen petitioni Eminentiae Tuae satisfacere cupiens oboedientissime, pauca quae sequuntur considerationi Tuae commendo:

1. *Quoad Fidem* - Optandum:

a) ut futurum Oecumenicum Concilium, occasione arrepta conventus tot Episcoporum orbis catholici, errores praecipuos nostris temporibus grassantes, clare indicet atque condemnet;

b) ut, ad tollendam vel saltem minuendam doctrinae christianae ignorantiam, qua laborant fere ubique fideles, obligatio docendi adultos catechismum catholicum magis urgeatur; et, nisi alia ratione huic obligationi efficacius satisfieri possit, lectio catechismi pro adultis vel substituat Evangelii explicationem, vel saltem cum illa commisceatur omnibus diebus dominicis in qualibet Missa coram populo celebrata;

c) ut lectiones catecheticae, de quibus supra, eaedem sint pro omnibus eiusdem nationis vel saltem dioeceseos paroeciis; quod facile fiet si Officium Catecheticum Dioecesanum quolibet anno instructiones rite dispositas apparet.

2. *Quoad Pietatem* - Optandum ut Missae Sacrificium, quo nihil habet Ecclesiae Dei sanctius vel utilius, sit vere actio princeps et publica fidelium catholicorum. Aliis verbis: Optandum:

a) ut omnes fideles ita erudiantur ut suas partes assumere valeant in actione sacrificali, cui diebus dominicis et festis intersint, iuxta normas a S. Congregatione Rituum propositas, mense septembri anno 1958;

b) ut, more antiquo instaurato, diebus dominicis et festis in omni-

bus Missis et in qualibet ecclesia vel publico Oratorio coram populo celebratis, brevis sermo evangelicus seu catecheticus habeatur. Ita enim fiet ut fideles, quasi necessitate compulsi, una sua actione et digne Deum colant et doctrinam salutis audiant ad fidem custodiendam atque fovendam.

3. *Quoad Ministeria Sacerdotalia* - Quoniam vim suam retinent verba: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis ... Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus ». (*Acta Apostolicae Sedis* c. VI), optandum est ut sacerdotes sive saeculares sive religiosi magis adigantur ad ministeria sibi propria; munera, vero, vel paroeciae vel ipsius Curiae episcopalis ad ministeria sacerdotalia minus spectantia committantur vel Sodalibus Religionum laicalium virorum seu mulierum, vel viris laicis, ut casus ferat. Etenim, plures habentur sacerdotes, immo parochi, qui nimis occupati in libris paroecialibus conficiendis vel in iis quae vulgo « opere sociali » dicuntur, tempus fere nullum habent ad confessiones audiendas, ad contiones praeparandas, ad infirmos visitandos ...

4. Quoniam institutum paroeciae praesenti etiam tempore est totius curae animarum fundamentum, ipsa actuositas Religionum clericalium et multo magis Societatum laicalium utriusque sexus, videtur magis ordinanda et componenda, salvis utique iuribus vitae religiosae, in bonum paroeciae, ne huic desint vires ad vitam spiritualem fidelium alendam atque fovendam.

Eminentissime Domine,

Utinam pauca quae scripsi Ecclesiae Dei utilia sint Tibique placeant.
Denique, devotos humilesque animi sensus Tibi profitens, Tuae benignitati me Ordinemque meum enixe commendo

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

P. Baptista Vinci
Ordinis Clericorum Regularium a Matre Dei

7

REV.MI P. VINCENTII TOMEK

Praepositi Generalis Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum

Romae, 10 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Ad litteras sub Prot. N. 1 C/59-1631 infrascripto datas et die 17 iulii a. c. receptas liceat ea qua par est reverentia in foliis hic adnexis enumerare illa argumenta, quae de sententia infrascripti eiusque collaboratorum opportuna videntur, ut in Concilio Oecumenico tractentur vel ut studio eorum in revisione Iuris Canonici nunc vigentis incumbatur.

Sacram deosculando purpuram, profiteor me servum devotissimum in Domino.

P. VINCENTIUS TOMEK
Praepositus Generalis
Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei
Scholarum Piarum

1. Est desiderium commune, ut B. M. V. *Mediatrix omnium gratiarum* declaretur.

2. Qui *communismum* in Europa Centrali propria experientia cognoscere potuerunt, existimant in quaestionibus socialibus et in aliis, quae cum praefatis cohaerent, principia nostra, cum vera et clara sint, principiis falsis communismi superiora esse. Quo non obstante, de opinione eorum pro principiis nostris applicandis normae practicae potius evolvi atque magis uniformes reddi deberent. Pro lucta contra communismum maximae esset utilitatis, si Concilium Oecumenicum studio huius quaestionis incumberet.

3. Ubicumque enixe sentitur *necessitas ephemerides catholicas* publicandi. Proh dolor, vires catholicae in genere dissipantur, nam loco ephemeridum catholicarum nationalium, quae capaces sint ad luctam contra ephemerides inimicorum nostrorum efficaciter conducendam, potius ephemerides locales, regionales, dioecesanae, variarum Religionum, etc. fundantur. Totis viribus conandum est, ut ubicumque potentes beneque redactae ephemerides catholicae nationales habeantur.

4. Eodem modo maxime desideratur maior influxus Ecclesiae, tam in territoriis nationalibus quam in territorio internationali, quod attinet ad *radiophonium, televisionem, cinematographum et varias publicationes illustratas.*

5. Etiam ex parte bonorum catholicorum magis magisque diffunditur tempore aestivo, praesertim diebus dominicis et festivis, modus sub tentoriis vivendi in sic dictis « campings ». Nova et opportuna media videntur esse necessaria ut pericula moralia his in deambulationibus evitentur, et ut catholici hoc modo deambulantes praecepto Missam audiendi satisfacere possint.

6. Quoad *linguam latinam* permulti desideramus, ut studium eiusdem, saltem in scholis ab Ecclesia dependentibus, sive de scholis mediis, sive de institutis philosophicis et theologicis, sive de Universitatibus agatur, efficacius sit; et ut ipsa in praxi forensi ecclesiastica, praesertim in Curiis dioecesanis, potius usurpetur. Quod vero ad usum eius liturgicum spectat, bonum animarum postulare videtur, ut in administratione nonnullorum sacramentorum et sacramentalium pro ipsa potius lingua vernacula applicetur.

7. Quaestio *congruae sustentationis* clericorum in genere, et sacerdotum seniorum in specie, nonnullis in nationibus aequiorem quamdam compositionem urget. Forsan sic dictae capsae dioecesanae vel interdioecesanae obligatoriae, dein vero maiora subsidia ditionum, quae melioribus conditionibus oeconomicis fruuntur, hoc problema sociale clericorum resolvere possent.

8. Est desiderium omnium, quorum interest, ut *Breviarium* reformationem historicam et liturgicam completam quamprimum obtineat, et ut illis, qui praesertim diebus dominicis festivisque in cura animarum nimis occupati sint, recitatio Breviarii facilior reddatur.

9. Cum nulla evidens ratio appareat, ut celebratio sacrosancti Missae sacrificii et receptio Ss. Eucharistiae sacramenti ad determinatas diei horas coarctetur, optandum est, ut Concilium Oecumenicum disciplinam hac in materia ita mutet, ut, servatis praeceptis ieiunii eucharistici, sacerdotes *Missam* celebrare, fideles vero *communionem quavis diei hora* libere recipere possint, sicuti fit in ceteris sacramentis.

10. Multi desiderant, ut inter innovationes liturgicas partes agat etiam propria *Praefatio* Missae pro tempore *Adventus.*

11. Cum in Ecclesia Dei, praeter potestatem ordinariam vicariam divinitus acceptam, adsit etiam *potestas socialis* duplicem *hierarchiam continens,* unam nempe *apostolico-dioecesanam,* alteram vero *apostolico-religiosam,* optandum est, ut Concilium Oecumenicum hanc doctrinam clare definiat atque perpoliat, ita ut cooperatio inter utrumque ubique terra-

rum magis efficax magisque harmonica evadat, salvis semper uniscuiusque iuribus et obligationibus.

12. Efficax auxilium Praelatorum et factionum politicarum nostrarum imploramus eo fine, ut variae legislationes nationales (etiam in nationibus catholicis) *libertatem scholarum catholicarum plene agnoscant,* neque obligent patresfamiliarum, qui filios in scholam catholicam mittunt, ut — praeter taxam scholae catholicae dandam — etiam contributionem pro schola statali solvant.

13. Ni fallimur, in multis ditionibus circa *catechismum* et in genere circa *doctrinam christianam* in scholis tradenda maiores progressus desiderantur, et quidem tam quoad methodum ipsa tradendi, quam quoad horas lectionum.

14. Fundationes *Universitatum Catholicarum* etiam in nationibus catholicis necessariae esse videntur.

15. Intercessio efficax Ecclesiae desideratur, ut — pro meliore formatione sic dictae « classis mediae » — instructio philosophica in scholis secundariis statalibus conveniens sit; ut in universitatibus statalibus cathedrae Theologiae pro laicis habeantur, atque ut in iisdem historia religionum et christianismi, necnon sociologia et philosophia a viris credentibus tradatur.

16. Imploratur, ut tam pro alumnis quam pro docentibus, qui studiorum gratia *libros prohibitos* saepe legere debent, modo faciliore concedantur licentiae libros huiusmodi legendi.

17. Proponitur, ut occasione revisionis iuris religiosorum *ius hodiernum de dimissione religiosorum,* qui vota perpetua in religione clericali exempla emisere (can. 654-668) immutetur et dimissio religiosorum huiusmodi etiam sine processu iudiciali possibilis sit.

Itemque valde expedit, ut occasione *saecularizationis sacerdotis religiosi* benevolus receptor Episcopus obligetur ad petendas informationes de saecularizando a competenti Superiore maiore. Hoc modo permultae anomaliae evitarentur.

P. Vincentius Tomek
Praepositus Generalis
Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei
Scholarum Piarum

CONGREGATIONES RELIGIOSAE CLERICALES

1

REV.MI P. FRANCISCI SCRIVANO

Praepositi Generalis
Congregationis Presbyterorum doctrinae christianae

Romae, 19 augusti 1959

Eminentissime,

Responsum daturus Epistulae Tuae, diei 18 iunii 1959, (Prot. N. 1 C/59-2014), infrascriptus Sac. P. Scrivano Franciscus, Praepositus Generalis Congregationis Doctrinae Christianae, Tibi, S. R. E. Eminentissime Princeps, humillime obsequium servitutis porrigens, confidenter exponit quod, in Domino, pro populo christiano, utile sibi videtur.

1. Orat ut, ab omnibus et singulis Christifidelibus explicita et formalis fidei christianae professio, Symbolis Apostolico et Niceno descriptae, requiratur.

2. Semper S. Romanae Dei Ecclesiae gratias agens propter nimiam in Christifideles caritatem manifestatam, optat ut:

a) sacramentorum administratio in vulgari idiomate minime permittatur;

b) si fieri potest, Confirmationis Sacramentum administretur infantibus ne virtute huius Sacramenti plurimi priventur toto vitae curriculo vel, saltem, eo tempore quo magis necessitatem habent;

c) S. Viaticum agonizantibus, Paschalem Communionem vel simpliciter S. Eucharistiam infirmis, ferre Sacerdoti concedatur absque comite: item S. Oleum Infirmorum, sub unica unctione, administrare ordinarie liceat;

d) legis ieiunii et abstinentiae normae, ne in cassum maneant, ita statuantur ut simpliciter enunciari et observari valeant.

3. Christianae modestiae carentiam (virorum etiam sed mulierum speciatim) damnans, enixe orat ut, qui graviter modestiam laedit, non modo a Sacramentis sed et ab Ecclesia arceatur.

4. Optat ut Sacerdotes omnes novo Romano Breviario quantocius uti possint.

5. Legislationem Parochos Religiosos spectantem putat revisendam esse ne vetera incommoda repetantur.

Humillime Omnipotentem obsecrat ut Ecclesia Christi, cito, unum ovile fiat sub uno Pastore!

Eminentiae Vestrae Rev.mae
dev.mus in Christo servus

P. FRANCISCUS SCRIVANO
Praepositus Generalis
Congregationis Presbyterorum doctrinae christianae

2

REV.MI P. CAIETANI MAURO
Praepositi generalis
Congregationis Piorum Operariorum Catechistarum Ruralium

18 augusti 1959

Mea sententia, erit utile providere vitae communi cleri saecularis. Saepe gravia incommoda impediunt quominus Sacerdotes iuventur in necessitatibus corporeis; saepe enim Sacerdotes iuvantur servitute alicuius mulieris, aut causa huius vitandi periculi, cogentur cum suis familiaribus atque cognatis vivere, qua condicione, quoque cogentur providere ad statum oeconomicum sororum, ad subsidia pro nepotum studiis, et.; et tali modo populis fiunt invisi.

Curare ut eaedem rationes ad regendos Christifideles sumantur, quia saepe accidit ut quidam Episcopus edicat praecepta discrepantia cum praeceptis alterius Episcopi regentis dioecesim finitimam; cadit in exemplum: ratio tractandi « communistas », ritus servandus in matrimonii celebratione et in caeterorum sacramentorum administratione.

Curare ut sint Dioecesibus fines quibus Christifidelium necessitatum ratio haberi possit.

Curare correctionem et emendationem Divini Officii; aliquando evenit ut Officium festivum sit diffusum magis quam Officium feriale.

Reformatio Breviarii sit talis ut possit per multos annos extare quia Sacerdotes sunt pauperrimi et nequeunt Breviarium quarto aut quinto quoque anno emere.

Consulere vitae spirituali plurimorum agricolarum qui in multis locis habitant multo longe a Paroeciis et per raro possunt suum Parochum videre.

Curare ut minuatur usus cerae, quae a luce electrica substitui posset, magna cum utilitate munditiae atque parsimoniae.

Curare ut etiam minuatur editio libellorum ne multi adsint libelli quos impossibile est propter multitudinem omnes legere.

P. CAIETANUS MAURO
Praepositus Generalis
Piorum Operariorum Catechistarum Ruralium

3

REV.MI P. STANISLAI SKUTANS

Superioris Generalis Congregationis Clericorum Regularium Marianorum sub titulo Immaculatae Conceptionis B.mae Virginis Mariae

20 maii 1960

Eminentissime Princeps,

Etsi ad sententias, consilia ac vota, quae pro proximo Concilio Oecumenico ab Exc.mis Episcopis aliisque Praelatis ex toto Mundo Catholico perveniunt, meam humilem vocem nihil novi adiungere existimem, liceat tamen etiam mihi unam alteramve observationem hisce esprimere et quidem:

Circa actuositatem, qua hodie Ecclesia tenetur

Corpus Christi Mysticum, quod est Ecclesia, hodie saevissimis vulneribus tam ab externis, quam ab internis inimicis afficitur ac vulneratur. Ab externis periculosissimi videntur esse: communismus variique generis sectae et organizationes, praecipuus finis quarum est expugnatio Ecclesiae Christi. Periculosissimus omnium videtur esse communismus: non solummodo sub respectu suae perversae doctrinae, verum etiam ratione habita suae organizationis, omnimodae praeparationis suaeque perfidae artis penetrandi ubique etc. Multa videntur nobis discenda esse ab ipsis etiam sub aspectu spiritus sacrificii, quo isti apostoli tenebrarum suum opus adimplent.

Praeter externos forsitan adhuc periculosiores sunt inimici interni seu ista mala, quae ex mundo inter membra Corporis Christi penetrant validissimumque socium in corrupta natura humana in hominibus quoque bonae fidei inveniunt. Ad huius generis mala pertinent: falsae opiniones,

naturalismo practico imo laicismo sapientes, quae haud raro etiam inter sacerdotes et religiosos suos fautores inveniunt, nimia quaesitio commodorum vitae, pigritia spiritualis et materialis, defectus spiritus missionarii, non solum inter simplices christifideles, verum etiam inter haud paucos sacerdotes et religiosos, fuga cuiusvis sacrificii etc.

Ad medendum istis aliisque multis malis remedia efficaciora puto esse praeprimis et principaliter *sanctitatem vitae personalis* sacerdotum et religiosorum. Quapropter omnia adhibenda sunt, ut in nostris seminariis et novitiatibus pro posse magis profunda ac solida cultura vitae interioris, tam sub respectu theoretico, quam practico futuris operariis in Vinea Domini impertiatur et quidem una cum laeto desiderio ac firmo proposito inceptam culturam vitae interioris indefesse continuandi usque ad ultimum terminum nostri itineris his in terris. Ista enim est via ad intimiorem unionem cum Principali Operario, in Cuius manibus docilia instrumenta nos esse oportet et necesse est.

Pro posse diligentior et efficacior debet esse quoque praeparatio technica seu specialis sacerdotum, religiosorum immo simplicium christifidelium ad providendum tam multiformis totius generis humani hodiernis indigentiis, quibus sola Ecclesia Christi modo efficaciori succurrere posset.

Ad istos scopos consequendos intensificanda esset activitas catholicorum, praesertim organizando scholas catholicas necnon acies bene instructas et ordinatas praeceptorum religionis, catechistarum etc. pro regionibus missionum, America Latina aliisque locis in toto orbe terrarum, ubicumque maior appareret necessitas aggrediendi maiores labores et luctamina pro Christo et Ecclesia.

Quod vero attinet ad doctrinae capita, hisce nomine proprio et totius Congregationis CC. RR. Marianorum exprimo ardentissimum votum humilemque petitionem, ut *Dogma de B. M. V. omnium gratiarum mediatrice proclametur respectivumque festum instituatur.*

P. Stanislaus Skutans
Superior Generalis
Congregationis Clericorum Regularium Marianorum
sub titulo Immaculatae Conceptionis B.mae Virginis Mariae

4

Rev.mi P. GULIELMI GAUDREAU

Rectoris Maioris Congregationis Sanctissimi Redemptoris

Romae, 27 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Benignissimas litteras Tuas diei 18 iunii huius anni (Prot. N. 1 C/59-1633) pergratas et acceptas habeo et, divini auxilii ope implorata consilioque cum quibusdam Patribus peritis et prudentibus caute inito, haec quae sequuntur vota et animadversiones ea qua par est reverentia et obsequio Eminentiae Vestrae Reverendissimae submitto.

I. *De cura et protectione vitae religiosae*

Experientia constat quod haec vita non raro ab auctoritatibus ecclesiasticis non satis curatur nec sufficienter in tuto collocatur.

a) Saepe Religiosae practice carent confessariis idoneis ratione sive spiritus, sive erga eas zeli; et sat numerosis ut ius observetur circa frequentiam confessionum, praesertim relate ad Religiosas ruri degentes, immo et in ipsa Urbe.

b) Nonnumquam Ordinarii locorum in Instituta dioecesana, speciatim feminea, ita dominantur quasi ista imprimis essent in manibus suis instrumenta facilis operositatis; quin satis attendatur ad exigentias status perfectionis contendendae, ad disciplinam nempe regularem et animi recollectionem.

Unde rariores fiunt vocationes ad huiusmodi Instituta, quorum membra considerantur tamquam ancillae rerum temporalium, dum alliciuntur potius vocationes aliis Institutis, quae melius a Sede Apostolica proteguntur.

Quare optandum videtur ut Ordinarii locorum, in explenda propria auctoritate circa Instituta religiosa, libenter ministerio utantur virorum religiosorum, ad mentem can. 608, qui quidem vita religiosa ipsi rite imbuti, eiusdem in concreto et efficaciter foveant conditiones et incrementa.

c) Accidit in dissitis regionibus, in territoriis sive Missionum sive iuris communis, ut Religiosae, ob penuriam sacerdotum seu absentiam missionariorum, per integram hebdomadam, immo quandoque per plures, priventur sacra Communione; quod ipsis valde durum est.

Unde vehementer desideratur licentia ut ipsae, caute utique et iuxta dandas normas, sibi porrigant in casu SS.mum Sacramentum.

II. *De iure missionali*

A) In Instructione S. Congregationis de Propaganda Fide diei 8 decembris 1929, leguntur sequentes dispositiones:

a) Ad Superiorem Missionis « spectat missionales stationes constituere, scholas inferiores et superiores aperire, orphanatrophia, nosocomia, dispensatoria, aliasque caritatis christianae opera providere, sacella et ecclesias erigere ».

b) « Superioris Missionis est stationum missionalium Superiores nominare, eas sicut etiam missionarios mutare, de uno in alium locum transferre, eis uti pro occurrente missionis necessitate in diversis officiis vel muneribus ».

c) « In nominandis tamen aut transferendis Superioribus stationum et in eligendis ad varia munera et officia missionariis collata utatur opera Superioris religiosi ... Unde Superior religiosus diversarum stationum Superiores et officia aptos viros *proponat;* Superior missionis vero eos nominat prout in Domino iudicaverit ».

Ex quo, teste experientia, eruitur quod Superior Missionis *practice* (abstrahendo scil. a consiliis et exhortationibus ipsi ab Instructione inculcatis sed quae parum constringunt) multum influit, saltem indirecte, in ipsam vitam religiosam; nam *strictum et exclusivum ius habens* multiplicandi stationes, etc., etc. et ideo dispergendi missionarios, hos facile a disciplina regulari et a vita communi detrahit, contra votum Ecclesiae (cf. cann. 593 et 594).

Unde auctoritas Superioris religiosi, quae nunc saepe quasi ad nihilum reducitur, deberet quodam modo roborari uti videtur; et loco v. gr. merae *propositionis* (cui mos geri non debet), iure *praesentationis* donari posset, sicut ex can. 456, quando agitur de *parocho religioso* ab Ordinario loci nominando.

Gravis diminutio auctoritatis Superioris religiosis nocet spiritui religioso et denique tandem ipsi ministero apostolico.

B) Optandum videtur ut in Missione praeter seminaria proprie ecclesiastica, alia etiam religiosa seu scholae apostolicae Instituti missionarii nedum prohibeantur, potius sustineantur; cum denique ipsius Missionis emolumento, nam candidati in ipsa Missione collecti ac praeparati, postea in regionibus originis missionariorum, iamdiu et rite instructis, facile et accurate formationem superiorem accipient, qua in propriam Missionem reduces ad eiusdem bonum usuri sunt.

Praeterea, praesentia indigenarum in illis regionibus in quibus Ecclesia iam plene constituta est, utilia fraterna commercia instaurat, quae etiam novas vocationes missionarias suscitant, ut iterum docet experientia.

C) In quibusdam regionibus quae iam *iuri communi* subsunt (aliquando ob rationes mere politicas), conditiones apostolatus peiores et difficiliores sunt quam in territoriis quae adhuc *iure missionali* reguntur.

Ordinarii istarum iuris communis regionum saepe audiuntur dolere quod, dum S. Congregatio de Propaganda Fide tam large concedit opportunas facultates pro territorio sibi subiecto cetera Dicasteria ė contra easdem facultates, aeque in praedictis regionibus opportunas, difficile concedunt vel etiam simpliciter denegant.

Nonne hac in re unice bonum animarum et apostolatus efficacia prae oculis habenda sunt?

* * *

Haec quae superius scripsi, in Domino existimo profutura esse tam totius Ecclesiae proventui quam utilitati ac profectui vitae religiosae et hominum animarum a pretiosissimo Sanguine Iesu Christi redemptarum.

Dum Sacram Purpuram obsequio religioso ac demisse deosculor, benedictionem Eminentiae Vestrae Reverendissimae pro me universoque Instituto nostro humillime deposco.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
hum.mus et dev.mus servus in Christo

P. GULIELMUS GAUDREAU
Superior Generalis Congregationis Ss.mi Redemptoris

5

REV.MI P. MARIAE-IOSEPHI BISSCHOP

Vicarii Generalis Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris

Romae, 29 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Non parum gratum et honorificum mihi fuit litteras die 18 iunii 1959 N. 1 C/59-2019 ab Eminentiae Vestra missas recipere, consultationis causa ad proximum Concilium Oecumenicum apparandum.

Et imprimis gratias Tibi exprimo pro fiducia mihi et nostro Instituto religioso exhibita, simulque persuasum Te esse volo de ardentibus precibus, quas Patres et Sorores Congregationis Sacrorum Cordium, Adorationi perpetuae Sanctissimi Sacramenti Altaris dediti, in coelum mittunt ad Spiritus Sancti lumen et robur in negotiis tam magni momenti agendis implorandum.

Ad animadversiones, consilia et vota, quod attinet, expandenda, haec duo tantum, consilio cum Consiliariis meis inito, Eminentiae Vestrae submitto:

1. Utrum forse tempus iam maturum sit ad Beatam Mariam Dei Genitricem Virginem Omnium Gratiarum Mediatricem declarandam et definiendam.

2. Num ad universalitatem Ecclesiae melius exprimendam et repraesentandam non conferret, ut maior quaedam internationalisatio, ut dicitur, Curiae Romanae introduceretur.

Sacram Purpuram devote deosculans me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
hum.mum et dev.mum servum
hum.mum et dev.mum servuum in S. Cordibus
P. Maria-Ioseph Bisschop
Vicarius Generalis
Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae
necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris

6

Rev.mi P. MAXIMI A. CYR

Praepositi Generalis Societatis Mariae

5 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

In risposta alla Venerata Lettera 1 C/59-2020 di Vostra Eminenza, mi pregio inviare alcune modeste proposizioni per il futuro Concilio Ecumenico.

Colgo l'occasione per esprimere il mio profondo ossequio, con cui mi professo

della Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
P. Massimo A. Cyr
Superiore Generale dei Maristi

1. « Doctrina de Ecclesia Christi » in Concilio Vaticano incepta, sed non perfecta, magis evolvatur et perficiatur: natura, membra, structura (e. g. Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, laicorum iura et officia ...). Hoc tam ob bonum ipsius Ecclesiae quam in utilitatem promovendae unionis cum Ecclesiis separatis, quae hanc doctrinam maxime desiderant et expectant.

2. Omne quod est in se faciat Ecclesia non tantum ad removenda obstacula (e. g. Episcopi reiciant quod videtur immoderatum in cultu Sanctorum cum detrimento cultus Deo debiti ...) sed etiam ad fovendam ac magis ac magis accelerandam unionem cum Ecclesiis separatis: haec unio enim maximi est momenti pro innumeris motivis.

3. A Concilio oriatur impulsus efficax pro missione apostolica et missionaria Ecclesiae, in tota sua amplitudine accepta, concorditer ab utroque clero et a laicis, sub Episcopis perficienda; in qua missione etiam momentum missionis caritativae Ecclesiae enuntietur.

4. Universalitas Ecclesiae melius in concreto exprimatur in compositione organorum et institutorum quae Ecclesiam gubernant: e. g. in compositione Sacri Collegi, membrorum Curiae Romanae etc. ...

5. A Concilio oriatur impulsus efficax pro sanctificatione sacerdotum et religiosorum, eorumque formatione spirituali et scientifica exigentiis temporis adaptata.

6. Maxima cura detur clero indigenae efformando.

7. Cum Ecclesia indigeat Sacerdotibus qui in cura animarum sint: *a*) melius ordinetur distributio Sacerdotum ad vitandum quod in aliquibus locis nimii sint, in aliis vero non sufficientes; *b*) augeantur seminaria regionalia et minuantur dioecesana: habebitur magis accurata institutio clericorum et oeconomia sacerdotum; *c*) plura officia quae nunc sacerdotibus committuntur, laicis tribuantur, ita ut magis numerosi sacerdotes ministerio apostolico intenti sint. Ad hoc plurimum iuvaret instauratio antiqui Ordinis Diaconatus.

8. Ius « de Religiosis » magis perficiatur, habita ratione recentiorum Encyclicarum Summorum Pontificum et Instructionum S. Sedis necnon praxis Curiae Romanae.

9. Ad maiorem efficacitatem Statuum perfectionis in Ecclesia, hi operam consocient ad instituendos suos subditos. Sic. e. g. seminaria seu scholasticatus communia pluribus Religionibus erigantur: habebitur magis accurata institutio religiosorum et oeconomia sacerdotum.

Pariter foveatur unio inter Religiones quae eumdem spiritum et scopum habent, sive sub formis Foederationum sive usque ad completam fusionem. Quod valet praesertim de his Religionibus quae parvae rema-

nent etiam post multos annos a fundatione, quaeque ideo magis torpescunt quam vivunt.

10. Christiana doctrina tradatur ubique ad normam Encyclicae « Acerbo nimis » S. Pii X, sicque magis ac magis vitetur ignorantia religiosa, causa tot malorum. In regionibus ubi desunt sacerdotes dicta instructio committatur laicis idoneis. Urgenda esset dimissio Episcoporum hoc tam magni momenti officium negligentium.

Cum autem fideles fere unice occasione Missae festivae Ecclesias frequentent, huius Missae festivae assistentiae bene ordinetur ita ut sit fidelibus grata, efficax et praesertim instructiva.

11. In liturgia usus linguae vernaculae, iuxta normas ab Ecclesia statuendas, maiorem locum habeat, de iudicio Episcoporum ratione habita circumstantiarum et curae pastoralis locorum.

12. In Iure Canonico: Ius poenale (censurae etc.) simplificetur; Iurisdictio confessariorum extendatur ultra limites unius dioecesis: Amotio parochorum et Ordinariorum a paroeciis et dioecesibus facilior evadat quando bonum animarum hoc postulat: reducantur casus in quibus religiosi ad S. Sedem recurrere debent pro dispensationibus vel facultatibus petendis, maiores hac in re concedendo potestates Superioribus Generalibus.

13. Feliciter incepta simplificatio et reformatio adaptata Missalis et Breviarii quam primum perficiatur, valde reducendo nimias ac parvulas rubricas quae in Liturgia inveniuntur.

14. Habitus vulgo dictus « clergyman » admittatur in omnibus regionibus cum sacerdotes e domo exeunt.

Magis prodesset aedificationi fidelium si habitus Patrum Cardinalium, Episcoporum et praesertim eorum qui « Monsignori » nominantur magis simplex ac modestus esset. Optandum ut hi ultimi nullum alium habitum gestent praeter proprium omnibus sacerdotibus.

15. Omnes christiani evocentur et uniantur contra progredientem et aggredientem atheismum.

P. MAXIMUS A. CYR
Praepositus Generalis Societatis Mariae

7

Rev.mi P. FRANCISCI GRIFFIN

Superioris Generalis Congregationis S. Spiritus
sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae

Paris le 10 septembre 1959

Eminentissime Seigneur,

J'ai l'honneur de vous envoyer ci-joint quelques remarques pour la Préparation du Concile en réponse à votre demande formulée dans votre lettre du 13 juin.

Sachant combien ce Concile pourra avoir d'heureux résultats pour l'extension de la Foi et l'honneur de la Sainte Eglise j'assure votre Eminence de nos prières pour que l'Esprit-Saint l'éclaire dans le travail que Notre Saint Père le Pape lui a confié.

Priant Votre Eminence d'agréer l'assurance de mon très respectueux dévouement, je me permets de Lui recommander dans ses prières notre Congrégation et toutes ses œuvres.

P. François Griffin
Supérieur Général

Consilium Generale Congregationis Sancti Spiritus emittit votum:

1. Ut regulae statuantur tribuentes selectis laicis quasdam functiones usque adhuc ad clerum pertinentes.

Etenim in locis missionum talis organisatio magis urget quam in aliis regionibus cum incrementum numeri missionariorum tardius est incremento populi christiani, cumque clerus localis lente augeatur propter obligationem castitatis sacerdotalis, amoventem a sacerdotio multos iuvenes qui, in statu matrimoniali, magnum auxilium ministerio apostolico possent afferre.

2. Ut sacerdotes noxii delicti homosexualitatis ipso facto sint reducti ad statum laicalem post secundum lapsum in eodem delicto.

Etenim haec perversio insanabilis patescit et nimium praeiudicium morale clero affert.

3. Ut omnis Congregatio clericalis iuris pontificii sit exempta a potestate Ordinarii loci.

4. Ut Superior Generalis habeat potestatem dispensandi suos subiectos ab obligationibus votorum perpetuorum.

5. Ut Superior Generalis Religionis clericalis possit afficere poenis

ecclesiasticis suos subiectos qui noxii fuerunt gravium culparum in ordine obligationum suarum religiosarum aut sacerdotalium vel qui grave scandalum dederunt in communitate sua.

Etenim Superiores non raro sunt inermes erga subditos culpabiles et nequeunt sanctiones efficaces ferre nisi per Ordinarium loci cui non decet se immiscere in difficultatibus internis Congregationis iuris pontificii.

6. Ut exclaustratio ad experimentum, in canone 641 § 2 praevisa, non protrahatur ultra tres annos.

Exeunte tertio anno, si satisfactionem non dedit Ordinario qui in sua dioecesi eum recipit, religiosus ipso facto suspendatur a divinis a die in qua non amplius numeratur in clero dioecesis usque ad reditum in domo Congregationis suae.

Si, tribus annis elapsis, Ordinarius non notificavit religioso et Superioribus eius dimissionem a dioecesi, ipso facto religiosus incardinetur dioecesi quae ad experimentum eum recepit.

Etenim manifestum est religiosos exclaustratos per fere sex annos nimiam perturbationem afferre vitae religiosae communitatis in qua redeunt et cum magna difficultate se iterum subiungere religiosae disciplinae post tantos annos libertatis.

Manifestum quoque est religiosos dimissos a dioecesi in qua experimentum tentaverunt divagare hic vel illic, diversis ministeriis se dedicantes, cum domum religiosam petere debent quam primum.

P. Franciscus Griffin
Superior Generalis Congregationis S. Spiritus
sub tutela Immaculati Cordis B.mae Virginis Mariae

8

Rev.mi P. CORNELII HEILIGERS

Superioris Generalis Societatis Mariae Montfortanae

Romae, 24 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Receptis et perpensis litteris diei 18 iunii 1959 (Prot. 1 C/59-2022) ab Eminentia Tua Reverendissima circa proximum convocandum Concilium Oecumenicum missis, tamquam Supremus Moderator nostrae Sacerdotum Missionariorum Societatis Mariae Montfortanae, ad universale quoddam ex varietate tum personarum tum locorum efformandum iudicium, omnium Provinciarum consilium colligere voluimus.

Concentus ita vere « catholicus » omnium regionum in quibus sodales Societatis nostrae apostolicum impendunt laborem, faciliorem Consilii Generalis reddiderunt operam humiliter Eminentiae Tuae Reverendissimae necnon Commissioni Concilii praeparatoriae nonnulla submittendi sive generalia sive particularia quae futuri Concilii attentionis nobis digna videntur.

Commoditatis causa, omnia sub sequentibus variis capitibus exponimus:

A) De unione Fratrum dissitorum seu « separatorum » cum Ecclesia catholica.

B) De doctrina seu de theologia dogmatica.

C) De praxi seu de theologia morali.

D) De Sacra Liturgia.

E) De Iure Canonico.

F) De sanctis Missionibus.

A) *De unione fratrum dissitorum seu « separatorum »*

Iuxta Ipsius Sanctitatis Suae Ioannis XXIII declarationes, non ultimus inter proximi Concilii Oecumenici fines venit sincerum et catholicum conamen Fratres tum in Oriente tum in Occidente ab Ecclesia separatos ad unum convocandi Ovile et in eius sinum recipiendi.

Omnes nostrae Societatis sodales interrogati unanimiter, quin inter se consilia inierant, quaedam ad animos tali unioni praeparandos proponunt:

1. Eminentissimi Domini Cardinalis Tisserant sententiam magno cum corde amplectantes, filialem et illuminatam erga Beatissimam Virginem Mariam devotionem optimum reputamus medium ad necessariam Orientem Orthodoxum inter et Occidentem Catholicum serenitatis seu tranquillitatis mentem gignendam.

2. In anglo-saxonibus regionibus, attente consideratis plurium membrorum « cleri » in Ecclesia « alta » (High Church) moralibus et psychologicis directionibus Liturgiam versus et Hierarchiam Ecclesiae Romanae, quaeritur num opportunum esset aliquam Liturgiae in lingua patria possibilitatem, sicut de caetero iam pro Orientalibus ad unitatem reditis factum est, illis prolucere.

Condicio etiam « ministrorum » ad fidem conversorum attentius considerari posset ita ut, si casus ferret, inter clerum romanum, servatis caeteris de iure servandis, quin obstet illorum unio coniugalis, admitti valerent.

3. Ubi adhuc supersunt qui vulgo dicuntur « Vieux Catholiques »

specialis desideraretur apostolatus in quo obiectice et clare verus sensus et extensio Infallibilitatis Pontificiae exponeretur.

4. In regionibus in quibus catholici insimul cum Protestantibus vivunt, maior fortasse auspicaretur vicinitatis coniunctio inter Ecclesiae Catholicae Rectores seu Pastores et « Fratres Separatos » eo sensu ut, sine ullo falsi nominis « irenismo », facilior efficiatur ad Ovile reditus.

Ita, v. gr. magis officialis desideraretur participatio Ecclesiae Catholicae in sic dicto « Conventu Oecumenico Ecclesiarum » ut, abiecta qualibet possibilitate alicuius concessionis docttrinalis, obiective tamen et clare Fratribus separatis, a personis competentibus et prudentibus a legitima Ordinariorum Auctoritate designatis, vera exponatur doctrina et praeceptiones seponantur.

5. Maxime prodesset, in Tractatu de Ecclesia, positivum Corporis Mystici aspectum eiusque internam vitalitatem melius exponere potiusquam disceptationes vel controversias quae spiritus opponunt et dividunt.

C) *De doctrina seu de theologia dogmatica*

1. Nonnullis in regionibus directio invenitur, quae, perennem parvipendens philosophiam, non satis habet modernae philosophiae pretiosa elementa lucrifacere sed ipsamet traditionalium criteriologiae et metaphysicae fundamenta in iudicium revocat.

Ad theologiam quod attinet, quidam periculum detegunt in usu exaggerato methodi positivae detrimento methodi speculativae, ex quo faciliter relativismus doctrinalis exsurgere potest.

Aliqui etiam videntur munus et officium magisterii, praesertim ordinarii, tamquam fidei testis et interpretis, parvifacere; quod, in usu fontium, speciem gignit liberae censurae seu examinis et modernisticae methodologiae.

Clarior forsan desideratur expositio ipsius conceptus Traditionis necnon et organorum quae ipsam transmittunt; expressior auspicatur definitio naturae magisterii ordinarii, eius extensionis atque theologici momenti; accuratior quaeritur determinatio roboris Litterarum Encyclicarum, nuntiorum radiophonicorum a Summo Pontifice prolatorum et aliorum pontificiorum concionum vel documentorum.

2. Nonne opportunum et maxime foret clarius et expressius Ecclesiae Missionem salutis pro tota humanitate illustrare? Aspectus quidem administrativus nonnumquam suffocare videtur sacrum hunc characterem Ecclesiae quae, revera, Christus est in tempore continuatus.

Iam in Concilio Vaticano bene determinabatur Summi Pontificis po-

testas sanctificandi, docendi, gubernandi. In omnibus nostri temporis doctrinalibus elucubrationibus, analoga desideratur doctrinalis accuratior determinatio potestatis Episcoporum omnium insimul sumptorum seu « Corporis universalis Episcoporum ». Ab illorum — tanquam Corporis universalis Episcoporum — munere in Ecclesia incipiendo, facilius et securius esset ipsorum munus et officium pro uniuscuiusque territorio determinare. Ipsi semper prius Pastores quam administratores sunt et esse debent.

3. Ubique desiderantur doctrinales determinationes circa tractatum « De Novissimis »; perspecta petitur explicatio fidei Ecclesiae de Vita Beata, de Limbo qui autem vix in expositionibus tangitur, circa quem tamen multi christiani parentes angoribus se dedunt. Implorantur clarae et accuratae declarationes circa veritates eschatologicas ad errores vitandos vel graves temeritates quae populum christianum profunde turbant.

Reditus ad fontes in Scriptura vel apud Patres praesertim graecos esset insimul ratio reconciliationis et clarioris expositionis catholicae circa Coelum, Infernum, Purgatorium, Parusiam etc.

4. In Tractatu « De Gratia » cura saepius praeeminet dissentionum ab erroribus Protestantium potiusquam de accurato studio circa participationem divinae Naturae, relationes cum tribus divinis Personis, etc.; de his sublimibus veritatibus populus christianus non sat instituitur vel formatur et exinde multi vitam christianam practice denegant.

5. Theologia sacerdotii, characteris, relationum sacerdotium inter et episcopatum meliorem postulat elucidationem sub lumine primitivae traditionis.

6. Ipsa denominatio « Extrema-Unctio » non videretur nimis felix iuxta multos; melius fortassse aliud eligeretur nomen veluti « Sacramentum aegrotorum » (sicut primitus dicebatur) vel « Sacramentum Unctionis ». Maior utique desideratur facilitas in administratione huius pretiosissimi Sacramenti ita ut, in casu gravis aegritudinis quin imminens adsit mortis periculum, conferri valeat, sicut etiam pro carceratis capite damnatis ante summum supplicium; ex quo facilior efficeretur apostolatus sacerdotum qui in carceribus ministerium explent.

7. Denique tandem omnium desiderium et petitio humiliter definitionem implorat universalis Beatissimae Virginis Mariae Mediationis iuxta totius populi christiani consensum.

Beatissima enim Virgo, Nova Eva, Mater Dei, Christi Socia et cum Ipso Corredemptrix, nobis simul cum Filio gratias acquisivit seu promeruit et ipsas distribuit ita ut, iuxta Patrum sensum, nulla animam vivificat gratia quae ab Ipsa tradita non fuit.

Libenter et magno cum gaudio ampliorem tractationem, si ita placet Eminentiae Tuae Reverendissimae, praesentare possumus.

C) *De Praxi seu de theologia morali*

1. Cum in magna (et nonnunquam maxima) isolatione ex munere proprio saepius vivere cogantur sacerdotes vel religiosi et religiosae, ubique optatur ut confessoribus maior detur facultas seu facilius concedatur iurisdictio ita ut illi sacerdotes vel religiosi confessionem sacramentalem cuique sacerdoti pro confessionibus approbatis instituere valeant.

Maior etiam optatur extensio iurisdictionis sacramentalis ut et extra propriam dioecesim confessiones audire valeant sacerdotes approbati; ex hodiernis enim vivendi modis, saepius debent ipsi extra dioecesim ministerium explere et cum detrimento fidelium si necessaria non pollerent iurisdictione.

2. Maximum affert dolorem semper in dies crescens numerus sacerdotum, qui, relictis dignitate et gratia proprii status, vitiis se dedunt et indigni propriae vocationis efficiuntur.

Gratia Dei tamen non novit limites et, ex ipsis, multi ad meliorem frugem redire cupiunt. Nonne benignius se gerere posset Ecclesia pro illis, qui in castitate vivere sincere promittunt etsi illegitima matrimonialis condicio officium et munus pueros educandi imponat?

3. Omnibus utile, immo et urgens quidem videtur aspectum et characterem supernaturalem moralis evangelicae apud populum christianum restituere ita ut revera tamquam lex a Deo promulgata et conscientiam obligans considerari valeat.

Permultae enim serpent sententiae, quae, se vulgo dicentes « morale de situation », scientiam moralem exclusive naturalem reddunt ab ipso individuo et a vitae circumstantiis unice dependentes. Maximae inde exsurgunt aberrationes conscientiarum veluti laxismus perfidus, qui etiam apud clerum et Religiones « mundum » introducit seu illos « mundanos » eo reddit sensu a Christo damnato (Psychanalysis et determinismus exaggeratus, quae omnia etiam peiora excusant).

4. Eadem ex causa et ob pessimam coniugum et sponsorum ignorantiam, terribiles quoque surgunt errores circa moralem coniugatorum et sponsorum. Quare desideratur accuratior et nitidior expositio moralis coniugalis quae magis charactere sacro sacramenti et minus aspectu iuridico contractus niteretur.

5. Ubique affirmatur amplificatio aspectus recreativi diei dominicae, ultimum relinquens locum obligationi praecepto dominicali satisfaciendi et huius praecepti gravitatem in mentibus minuens vel negans. Oportet meliorem, clariorem theologiam diei Domini populo illustrare.

Conceptus etiam laboris « servilis » et liberalis considerandus videtur accuratius iuxta dierum nostrorum exigentias; clarior desideratur expositio principiorum et, quantum fieri potest, notio rerum quae die dominica licent et non licent.

6. Disciplina ieiunii, nostris diebus, in Ecclesia tam variis in regionibus multiplex et diversa est ut impossibile fere sit quid agendum noscere; et, practice, saepe nulla lex observatur propter obsoleta privilegia vel negligentiam.

Necessaria omnino videtur de ieiunio praesertim quadragesimali lex generalis quae ubique clarius obligationem christianae mortificationis denuo affirmet quin nimis rigida sit. Peregrinationes continuae et permultorum emigrationes necessariam reddunt quamdam uniformiorem dispositionem.

7. Authentica iuxta Apostolum theologia de corpore humano cultum opprimet exaggeratum et paganum physicae pulchritudinis, qui, modo revera provocante quo sese multi vestiunt, se manifestat.

A parentum christianorum inconscientia in pueris et adulescentibus educandis et vestiendis incipit deordinatio; quod enim in sensibilitate puerorum pro tota vita inscribit morbidam sensualitatis obsessionem.

8. Disciplina censurae librorum vel ephemeridum seu disciplina « Indicis » practice videtur confusa et inefficax. Regulae practicae desiderantur quae melius rationem habeant tum culturae tum moralitatis christianae.

9. Desiderium tandem unanime videtur ut theologia moralis in seminariis modo magis positivo proponatur veluti a Doctore Angelico in II[a] II[ae] optime exponitur.

Nonne indifferentia (saltem apparens) quae ubique notatur et multiplices deviationes a nimis negativa et arida praesentatione promanant moralis christianae quae vero praesentatio a magnis scholasticis et praesertim a Patribus ignorabatur?

D) *De Sacra Liturgia*

1. A pluribus nostris provinciis vel missionibus desiderium humiliter exprimitur necessariam petendi et obtinendi licentiam ut lecturae primae partis Sacrosancti Missae Sacrificii directe ubique lingua patria fieri possint.

Maior quoque optatur facilitas pro missis vespertinis celebrandis; difficillime enim possunt operarii (maxima illorum pars) alioquin Sacrosanctum Sacrificium audire, et Sacra Synaxi sese reficere. Relate ad has Missas humillime etiam emittitur desiderium ut pro certis casibus la-

borum magis arduorum sanctissima permitti possit communio etsi ab una sola hora ieiuni sint operarii.

2. Liturgistae feliciorem exoptant selectionem Sacrae Scripturae locorum intra Missam legendorum cum Missale Romanum, ut aiunt, reformandum sit.

3. Quidam non vident utilitatem novae implicationis in Breviario romano introductae officiorum in parte ritus festivi et in parte ritus ferialis.

4. In territoriis Missionum, in dies crescit desiderium elementa localia introducendi non in ipsam fortasse Sacram Liturgiam sed saltem in sic dictam « paraliturgiam » ad eliminandos ritus paganos qui alioquin eradicari non possent. Ita, v. gr. initiatio, matrimonium, funeralia, etc. Quaedam optatur etiam et petitur maior libertas in eligendis liturgicis coloribus qui non ubique eumdem habent valorem; ita, v. gr., color albus apud nonnullos tristitiam et luctum indicat.

5. Plures Missiones resumere cupiunt ritus antiquos initiationis baptismalis per totum quadragesimale tempus dispertitae. Nonnullis in regionibus occidentalibus quidam missionarii credunt baptismi collationem semel tantum factam et non ut supra partitam, sacrorum rituum momentum in mentibus populi minuere. Catechumenatus maius proderit quam baptismum sine ullis perseverantiae cautionibus collatum ut saepe casus fit.

6. Ordines minores immo et duo primi Maiores ad praeteriti memoriam practice saepius reducuntur. Multi, variis in regionibus, tendunt ad valorem integrum his restituendum sacerdotii gradibus.

Officium cogitatur, quod, ubi praesertim desunt sacerdotes, diaconi implere possent; tales quidem ministri ad sacerdotium ascendere non necessario deberent, immo in territoriis Missionum Ecclesia illis permittere etiam posset ut uxorem habere valerent.

7. Maxime optandum est ut Liturgia latina ad maiorem semper tendat unitatem non vero ad multiplicanda privilegia quae populum confundunt.

8. Media oeconomica in Ecclesia necessaria et providenda sunt propter multiplicem Societatis temperationem. Certae tamen methodi, veluti classes funeralium vel matrimoniorum, tum fraternitati christianorum Apostolo tam carae, tum ipsorum ministrorum cultus integritati, tum ipsi Ecclesiae nocent; perplures ab Ecclesia secedunt maxime ob tales causas.

E) *De Iure Canonico*

1. Occasione Concilii Oecumenici etiam de accommodatione seu accommodata renovatione agetur Iuris Canonici. Talis renovatio ita ab omnibus auspicatur ut et aspectus missionarius Ecclesiae in Iure melius indicetur. Multa auferri possent quae in iure conservantur quin ullum detineant verum valorem et quorum unum meritum est antiquitatis sapere.

2. Nominatio et modus se gerendi Episcoporum saepius sub aspectu potius administrativo consideratur quam pastorali. Non videtur clerus in dioecesi circum animarum Pastorem et Patrem familiam efficere. Plures etiam inter Pastores hodiernas opiniones sequi vel reprehendere non posse videntur; munus enim Doctoris practice in illis non apparet quia propriam videntur coram theologis responsabilitatem abdicare. Sunt attamen *Ecclesia docens*.

3. Quaestio oritur et circa dignitates in Ecclesia. Honorifica dignitas nimis a quolibet seiungitur munere. Nonne possent in dioecesibus archisacerdotes vel decani pastoralem apostolatum in variis regionibus efformare vel exercere ita ut ad titulum vel ad externum dignitatis signum deferendum se non unice continerent?

4. Melius omnibus videretur de beneficiis non nimis tractare ita ut sacrum exercentes ministerium non mercenarii appareant.

5. Ad meliorem habendam in dioecesi pastoralem efficacitatem, nonne saepe aliter dividi deberet territorium? Quaenam enim est utilitas pastoralis multarum divisionum territorialium quae nullatenus hodiernae respondent vitae realitati propter populorum tantas immutationes?

6. Saepe praetermittitur praescriptum iuris iuxta quod illi sunt, caeteris paribus, praeferendi pro altis muneribus ecclesiasticis qui gradibus academicis aucti sunt; quae vero praeteritio magnum populi christiani detrimentum gignit et innumeras difficultates quae fere unice ab ignorantia Pastorum proveniunt.

7. Quaenam etiam auspicaretur acceleratio in rebus Romae tractandis. Tarditas enim romana, nostris praesertim diebus, tum existimationem tum respectum minuere faciliter posset.

8. Nonne ad omnes orbis nationes extendi posset institutio tribunalium provincialium pro causis praesertim matrimonialibus iam in multis existens regionibus?

9. Integer tractatus de delictis et poenis denuo conficiendus esset; prout enim nunc exstat, nullius practicae utilitatis est.

10. Non semper et ubique facile intelligitur amor aliquoties exagge-

ratus religiosarum pro habitu nonnumquam obsoleto, sumptuoso, incommodo et etiam valetudini contrario.

11. Summi Pontificis Pii XII f. m. claris non obstantibus verbis, circa unitatem utriusque cleri saecularis nempe et religiosi, clerus tamen religiosus practice non ubique ab omnibus (etiam ab illis qui illum sustinere ex officio deberent) acceptatur; illius activitas limitatur, vocationes obstaculantur et media ad opera sustentanda impediuntur. Non gaudet in Ecclesia Dei loco qui veritati respondeat.

Inter ipsos religiosos coetus seu Ordines vel Congregationes, categoriae existunt ab antiquis obsoletis privilegiis creatae; v. gr.: exemptiones nonnullae, participatio in Concilio Oecumenico vel officialibus caeremoniis Ecclesiae. Omnia pendere deberent ab utilitate et veritate, non vero ab obsoletis privilegiis.

12. Idem dici valet de variis privilegiis circa benedictiones impertiendas. Harum benedictionum reservationes a populo non intelliguntur nec bene videntur, et pastorali curae animarum nocent potius quam favent. Quare inter facultates ordinarias enumerari non possent hae benedictiones quae in ministerio exercendo necessariae sunt?

13. Nonne opportunum esset modum invenire ut superiores religiosi superiores « aeterni » non sint? Applicari fortasse posset norma iam in aliquibus Institutis vigens iuxta quam nemo plus quam per novem annos consecutivos sive in eadem domo ex indulto sive in variis domibus superioris munus exercere valet; antequam denuo tale munus assumere permittatur quis, debet per duos vel tres annos inter subditos vitam degere et ita oboedientiam sicut et caeteri conoscere.

14. Cura spiritualis religiosarum certo certius meliorata nunc ubique invenitur; saepius tamen illis imponuntur cappellani qui nullibi in dioecesi inservire possunt quique immo sunt vitae religiosae absolute ignari directionem spiritualem facere renuentes. Fere universales querelae veritatem facti confirmant.

15. Universales etiam fiunt observationes circa absentiam clarae legislationis pro christianis laicis qui tamen maximi momenti locum in apostolatu obtinent (v. g. Actio Catholica).

Aliquibus in regionibus quaedam etiam invenitur ex parte cleri systematica oppositio. Maior desideraretur tum caritas tum efficax collaboratio; in memoria habemus difficultates oblatas Mariae Legioni quae tamen tanta in Ecclesia adquisivit merita.

Quaedam « monopolia » apostolatum missionarium apud populum impediunt.

Quaeritur utrum aliqui « militantes » maximae activitatis aposto-

licae feliciter diaconatum recipere possent eo ut efficacius praesertim in Missionibus cleri auxiliares fierent.

16. Magna, quibusdam in regionibus, experitur negligentia in doctrina docenda seu in catechesi instructione tradenda; exoritur inde christianorum incredibilis ignorantia in materiis fidei et morum. Renovatio quaedam catechistica apparet sed non videtur universalis.

Haec tamen actio catechistica initialis fundamentum est totius pastoralis. Quaelibet alia forma apostolatus inutilis evadit ubi deficit fundamentum.

F) *De sanctis missionibus*

1. Dispositiones quae in iure hodierno prohibent ne cleri indigeni in Religionem ingredi valeant opportunae forsan dicendae sunt sub aspectu administrativo; cum tamen bonum talium clericorum revera inspicitur, potius nocivae videntur. Horum enim formatio religiosa tunc ad unum limitatur annum novitiatus; quod omnino insufficiens dicendum est.

Longior probatio imponi nequit quin male videatur. Ipsi autem non intelligunt tales restrictiones in iure ecclesiastico cum de vita religiosa agitur et unice quia Indigeni sunt; optant ut et sibi ius commune applicari possit.

2. Nonobstantibus Litteris Encyclicis *Fidei Donum* non videntur « antiquae christianitates » multum facere pro Missionibus praesertim Africae. Maior desideraretur numerus tum missionariorum tum laicorum apostolorum.

Nonne Provincia ecclesiastica (si non ipsa dioecesis) sibi adoptare posset unam vel plures missiones ad quam vel ad quas auxilium omnis generis, sub vigilantia semper Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, mitteret?

3. Ex maximo momento institutionis « catechistarum » in missionibus efformandis, opportunum multis videretur creatio alicuius *Operis Pontificii pro catechistis* quod de illorum formatione curaret; tale enim onus nimis grande est pro unaquaque Missione.

Haec mihi erant cum Eminentia Tua Reverendissima communicanda « circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt », et, occasione nactus, Sacram Purpuram deosculor

meque Eminentiae Tuae Reverendissimae profiteor
devotissimum servum in Domino

P. Cornelius Heiligers
Superior Generalis Societatis Mariae Montfortanae

9

Rev.mi P. LEONIS DESCHÂTELETS

Superioris Generalis
Congregationis Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae

Romae, die 18 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

Die 30 augusti currentis anni, scripseram Eminentiae Tuae efflagitans a Paternitate Tua Eminentissima, ut quamdam mihi concederes dilationem in respondendo Litteris a Te, die 18 iunii, datis (Prot. N. 1 C/59-2023). Nunc vero, laeto animo, iisdem respondeo Litteris. At in primis magnopere gratulor ac gaudeo quod SS.mus Dominus Noster Ioannes Papa XXIII Oecumenicum Concilium convocare statuerit; maximeque confido istud totius Ecclesiae animarumque bono, calamitosis hisce temporibus, perutile evasurum.

En nunc mea meorumque Missionariorum Oblatorum sodalium vota ac animadversiones, quae, Missionarii cum simus, indolem habent practicam praecipue ac pastoralem:

1. Opportunum nobis videtur Summum Pontificem, definitione ex cathedra, universalem Beatissimae Virginis Mariae Mediationem proclamare.

2. Toto corde assentimur ac assentiemur omnibus conatibus ad vincula inter Orientalem Ecclesiam ac Apostolicam Sedem constringenda.

3. Item incitamento digni nobis videntur conatus omnes, ut dissidentes uniantur nobiscum Ecclesiae, absque tamen catholicae doctrinae praeiudicio.

4. Attentis Summorum Pontificum documentis, videtur nobis ampliorem profundioremque Sacrarum Scripturarum notitiam praebendam esse Christifidelibus; ideoque, in liturgicis caeremoniis, tradendam esse ipsis accuratiorem notionem textuum sacrorum Missae aliarumque catholici cultus caeremoniarum.

5. Missionarii cum simus, vota facimus ut ecclesiastica studia complectantur notitiam magis magisque scientificam Sacrarum Scripturarum scientiorumque concomitantium, quin tamen traditionalis negligatur theologia; ideoque videtur nobis locum adhuc ampliorem, in ecclesiasticis studiis, Sacris assignandum esse Scripturis.

6. Item, ut nobis videtur, orationes et ipsorum fidelium magis ma-

gisque ex Sacris inspirentur oportet Scripturis, v. g. adaptando sacros psalmos omnibus christianae vitae circumstantiis. At harum orationum ordinatio ab ecclesiastica auctoritate stricte inspiciatur.

7. Ut Missionarii in omnibus orbis regionibus constituti, maxime ingemiscimus evangelicos operarios perpaucos esse; ideoque vota depromimus ut Sancta Mater Ecclesia omnia experiatur media ut Sacerdotibus missionariis, in exercendo verbi Dei ac missionum apostolatu, addantur et laici. Pertimescimus enim ne, res cum ita sint, catholica Ecclesia centena milia deciesque centena milia amittat catholicorum, qui, cum adhuc sacerdotibus egent, facilis evadent praeda ministrorum protestantium. Hoc accidere potest praesertim in Americae Meridionalis regionibus, in quibus protestantium conatus longe superant, et numero et efficacia, apostolicos Ecclesiae catholicae conatus. Ibi enim protestantes potiti sunt omni regione, imo, ut ita dicam, omnibus regionis recessibus; dum e contra evangelici operarii ita adhuc perpauci sunt, ut muneri sufficere nullatenus possint, ne in ipsorum catholicorum apostolatu quidem. Num Sancta Mater Ecclesia amittere tertiam e suis filiis partem patietur! Ut nobis videtur, necessarium esset, nostra hac tempestate, ipsam rationem ac modum revisere Missionarios, sive laicos sive sacerdotes, seligendi ac efformandi; secus Ecclesia, futuris temporibus permagnum capiet detrimentum in America Meridionali.

8. Magna nostrorum Missionariorum, praesertim Gallorum, pars favent quaestioni, saepe agitatae, de diaconatus ordine revalorizando, etiam pro viris matrimonio ligatis.

Etsi hac de re multae practicae adsint difficultates, res tamen videtur nobis maxima consideratione digna difficultatesque positiva ac sollicita solutione eliminandae. Enimvero, si revera operariorum apostolicorum numerum augere volumus, unum ex mediis ad hoc sunt diaconi vel clerici, matrimonio ligati vel non.

Quo magis hac in re nos haesitantes sumus ac moramur, eo magis in locis missionum catholica fides detrimentum capiet ab illis etiam qui permagnae nobis essent utilitatis in exercendo apostolatu, si huic labori facilis eis daretur accessus. Protestantibus enim sat facile est ministros seu fidelium directores invenire, in ipsis missionum locis, ad verbum Dei praedicandum cultumque exercendum; imo, multis in locis, ministros istos seu directores invenerunt inter ipsos moderatores locales catholicarum precum, qui a multis annis, defectu sacerdotum, relicti sibimetipsis fuerant, sicque, protestantium adventu, nomen dederunt acatholicae sectae, cuius et obstinati facti sunt propagandistae.

Nobis videtur, hac in re, aliquid amplius nobis faciendum, quia et res et tempus urgent; ideoque, ubi possibile est, adoptemus et nos

oportet quasdam, in usu apud protestantes, methodos ad ministros seu operarios evangelicos suscitandos ac seligendos.

9. Spectato apostolatu in missionum locis, videtur Actio Catholica nondum semper optatos dedisse fructus.

Praeterea laicorum participatio ad apostolatum graves ponit quaestiones. In primis, laici non semper a missionariis acceptantur, et ipsi saepe non sunt sufficienter apti speciali muneri ipsis in missionum locis assignando, ut patet e pluribus hac in re lamentabilibus experimentis.

Deinde, quaestio exstat practica: quis praebebit subsidia vitae laicis istis, si cum familiis suis in loca veniunt missionum? Quis, futuris temporibus, consulet ipsorum necessitatibus, sive in ipsis missionum locis sive in patrio loco ubi recedent?

Demum, quam agendi libertatem laici isti habere possunt in missionum locis, cum conscribuntur ad localem sacerdotum apostolatum?

10. Considerato vehementi ac enervanti missionariorum apostolatu, vota facimus ut lex eucharistici ieiunii mitigetur adhuc pro missionariis, ubi v. g. ad celebrandam secundam vel tertiam Missam ipsis eundum esset, mediis et viis maxime arduis, ad locum distantem, ibique denuo per plures horas ministerio incumbendum.

11. Item, attentis conditionibus hodiernae vitae, vota facimus ut mitigentur pro omnibus fidelibus leges ieiunii et abstinentiae. Ut nobis videtur, insistendum esset potius in ipsam christianam mortificationem quam in talium legum positivarum obligationem.

12. Optandum esset ut actualis disciplina de veste talari ferenda mitigetur. Quibusdam in regionibus ubi adhuc talis viget disciplina, videtur talaris vestis non semper accessum ad populum faciliorem reddere, eo quod multi considerant Sacerdotem quasi virum non ad commune genus pertinentem, sed ad superius genus, ad genus magis magisque ipsis invisum et ab ipsis despectum. Hoc modo, vestis talaris videtur potius medium sacerdotem effugiendi quam ad eum accedendi.

13. Optandum esset ut relationes inter Ordinarios locorum et Congregationes religiosas frequentiores evadant, intuitu augescendi religiosorum ac religiosarum collaborationem in pastorali ministerio dioecesium, firmis tamen manentibus finibus diversarum Congregationum propriis.

Ad hoc obtinendum, religiosae domus ne conglobentur in eodem loco, sed distribuantur in loca magis destituta subsidiis ut sustineri possint; ac, in locis ubi deficiunt sacerdotes, aperiantur parvae religiosae domus duorum vel trium membrorum. Sed, hoc ultimo in casu, statuatur oportet quo modo religiosi laici vel religiosae, qui carerent Mis-

sae quotidiana celebratione, Sanctissimum asservare ac sacram communionem recipere possent.

14. In territorio quarumdam paroeciarum, praesertim in magnis paroeciis, multa quandoque adsunt sacella seu publica oratoria, ideoque multi sunt sacerdotes vel religiosi, quin tamen responsabilitates assumant aut assumere possint in paroeciae pastorali ministerio. Hoc modo accidit ut quaedam fidelium partes neglectae quandoque maneant, quia sacerdotes paroeciae qua tali addicti, cum sint numero impares, nequeunt ministerio sufficere.

Optandum est ergo ut meliori modo dividantur paroeciae ac sacerdotes distribuantur, ita ut cura animarum plenius exerceri ubique possit in paroeciae territorio. Itemque optandum est ut aequiori modo reditus paroeciae distribuantur, ut subsidia vitae omnibus paroeciae sacerdotibus praebeantur, ne amplius alia munera exercere debeant ut aliquid lucrentur.

15. Optandum est ut, in liturgicis caeremoniis ac Missae celebratione, dicendi genus adhibeatur omni populo, praesertim coetui operario, aptatum ac intelligibile, cum multi persaepe adsistentes nihil aut parum Missarum textus Ecclesiaeque caeremonias intelligant.

16. Optandum est ut sacerdotes omnes, praesertim missionarii, facultates omnes habeant benedictiones impertiendi una cum adnexis indulgentiis. Fideles enim persaepe mirantur, cum sacerdotes, quibus benedictionem petunt, respondent se non habere facultates benedicendi v. g. rosarium vel numisma sacrum, etc.

Omnis hac de re discriminatio inter sacerdotes, praesertim inter missionarios, videtur eliminanda quam cito.

17. Optandum esset ut praeceptum annuae confessionis ac paschalis communionis ad totum extendatur anni cursum.

18. Vota facimus ut in Missali Romano brevientur vel substituantur quaedam Epistolae et Evangelia, semel tantum legatur Passio Christi in Maiori Hebdomada, una tantum sit Epistola in Missis Quatuor Temporum.

19. Contemptis multis considerationibus ac neglectis scandalis forte occurrentibus, Sanctam Matrem Ecclesiam rogamus ac obsecramus ne aurem praebeat iis qui quoquo modo faverent matrimonio sacerdotum in Ecclesia latina, ad instar Orientalis Ecclesiae.

20. Optandum esset ut, saltem in regionibus calidioribus, vestes liturgicae Episcoporum minuantur.

21. Tandem optandum est ut, in locis missionum, Episcopis permittatur ut Missam sollemnem quandoque celebrare possint ad instar alio-

rum sacerdotum, quin adstringantur omnibus praescriptionibus Libri Pontificalis.

Eminentissime Princeps, haec vota ac animadversiones cum humilitate ac simplicitate Paternitati Tuae Eminentissimae subicimus, hoc unum praesumentes ut quod in eorum epistolis a multis aliis fortasse suggestum fuit, et nostra nostrorumque in toto orbe degentium Missionariorum concordi confirmetur opinione:

Ad pedes Eminentiae Tuae provolutus, sacram deosculor purpuram.

Paternitatis Tuae Eminentissimae
humillimus servus
P. Leo Deschâtelets
Superior Generalis
Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae

10

Rev.mi P. IOACHIMI TOMASI

Praepositi Generalis
Congregationis Clericorum saecularium Scholarum Caritatis

Venetiis, die 8 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Venerabilibus litteris tuis diei 18 iunii a. c. breviter et humiliter responsionem facimus.

Collatis consiliis cum viris Congregationis nostrae peritis et prudentibus, haec nos digna existimamus quae attentae subiiciantur considerationi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, cui Tu honorifice praees:

A) *De disciplina et vita christiana*

1. Opportuna videtur revisio indicis librorum prohibitorum et facilioris disciplinae instauratio ad obtinendam iustis de causis eos legendi licentiam.

2. Definiantur leges abstinentiae et ieiunii. Sunt qui earum mitigationi faveant ita ut sub levi tantum urgeant.

3. Censurarum disciplina simplicior reddatur.

B) *De cultu et re liturgica*

1. Omnibus sacerdotibus concedatur Missae litatio feria V Maioris Hebdomadae.
2. Conficiatur corpus omnium legum Sacrae Liturgiae.
3. Tempus Vigiliae paschalis celebrandae immutetur ut minus grave sacerdotibus evadat.
4. Nova psalmorum versio adhibeatur in Vesperis, quae diebus dominicis a fidelibus canantur, in Officio Defunctorum et in variis Missarum partibus.
5. Admittantur preces et cantus lingua patria inter supplicationes et ipsum Missae sacrificium.

C) *De Religiosis*

1. Vota temporaria singulis annis emittantur donec triennium vel quinquennium compleatur.
2. Optandum est sacerdotes saeculares pluris facere statum religiosum et libentiore animo vocationes ad eumdem fovere.
3. Agnoscitur opportunitas libellarum summam elevandi pro qua in obligationibus contrahendis recurrendum sit ad Sedem Apostolicam.
4. Disciplina emittendi professionem fidei et iusiurandum antimodernisticum simplicior et facilior reddatur, facta hac in re pro eorum subditis maiore potestate Superioribus.
5. Inspiciatur quoque et in melius mutetur disciplina quae pertinet ad confessiones religiosarum.

Vota quae supra expressimus a modesta rerum et hominum experientia promanantia spectant tantum ad Ecclesiae et animarum bonum. Videant tamen venerabiles Patres Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae et pro sua amplissima prudentia iudicent.

Interea pergratum mihi est significare Eminentiae Tuae plenissimum obsequium meum et fausta quaeque Tibi a Domino adprecari.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

P. IOACHIMUS TOMASI
Praepositus Generalis
Congregationis Clericorum Saecularium Scholarum Caritatis

11

REV.MI P. ALOYSII GRANDE

Superioris Generalis
Congregationis Missionariorum a Ss. Cordibus Iesus et Mariae

Romae, 30 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Veniam peto quod diutius moratus sum in respondendo epistulae datae die 18 mensis iunii anno 1959 (Prot. N. 1 C/59-2027): causa morae fuit visitatio canonica in America septemtrionali.

Humiliter propono Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici haec tria argumenta quae, meo quidem humili iudicio, alicuius momenti esse videntur:

1. Differentiae status oeconomici in clero.
2. Parva diligentia in vocationibus seligendis.
3. Eventualis reformatio legis ecclesiasticae super Diaconatum.

Quoad supradicta argumenta haec particulariter addo:

a) ob differentias oeconomicas et scandala oriuntur et vocationes minuuntur.

Cur non adhibetur ubicumque eadem ratio oeconomica quae viget in clero Confoederationis Americae Septemtrionalis?;

b) ob parvam diligentiam in vocationibus seligendis saepe ordinantur Sacerdotes et admittuntur ad professionem religiosam perpetuam personae quae postea male tolerant pondus caelibatus et oboedientiam suis Ordinariis;

c) cum messis sit multa neque Sacerdotes sufficiant, cur non eliguntur in Diaconos etiam religiosi et saeculares qui praediti sint et curriculo bonae vitae et debita scientia?

Osculans Sacrae Purpurae oram, E. V. omnia fausta quaeque a Domino adprecor.

P. ALOYSIUS GRANDE
Superior Generalis Congregationis Missionariorum
a Ss. Cordibus Iesu et Mariae

12

REV.MI P. MICHAËLIS SUDRES

Superioris Generalis
Congregationis Clericorum Parochialium seu Catechistarum
S. Viatoris

30 septembris 1959

I. *De Sacramento Ordinis*

Occasione futuri Concilii Oecumenici, Pater Michaël Sudres, Superior Generalis Congregationis Clericorum Parochialium seu Catechistarum Sancti Viatoris, reverenter postulat:

ut ad Ecclesiae Sacraeque Liturgiae decorem, opportunitas perpendatur modificandi disciplinam canoni 973 § 1, ita ut de novo in Ecclesia Latina admitti possint Clerici ad Presbyteratum non ascensuri.

Hanc admissionem in Ecclesia Latina Clericorum ad Presbyteratum non ascensurorum studiose exoptavit Clarissimus Pater Ludovicus-Maria Querbes, Congregationis nostrae fundator, qui nostris tam clericis quam laicis nomen dedit *Clericorum parochialium* et finem assignavit ut « Christianam doctrinam sive publice sive privatim edoceant, et altaribus inserviant *ad mentem Conc. Trid.* Sess. 23 cap. 17 ». (Cf. articulus primus Statutorum Sodalitatis Clericorum Parochialium, seu Catechistarum Sancti Viatoris, a SS.mo Domino Nostro Gregorio Pp. XVI approbatorum die 27 septembris 1838).

Pater Querbes mentem suam minus breviter aperuerat occasione dioecesanae approbationis, anno 1833, in documento ad Lugdunensem Administratorem destinato et in quo legi potest:

« En daignant approuver un établissement de maîtres d'école sacristains à Vourles sous le nom de Clercs de Saint-Viateur, Votre Grandeur m'a fait espérer qu'elle daignerait admettre quelquefois à la tonsure, et même aux ordres mineurs quelques sujets choisis parmi les Catéchistes. En effet, le Concile de Trente a recommandé aux évêques de faire exercer les fonctions de sacristains dans les paroisses par des hommes pieux élevés aux ordres mineurs, conformément à l'ancienne discipline de l'Eglise, et saint Charles Borromée avait fait exécuter cette disposition dans son diocèse. Au moment de faire aux statuts soumis à votre approbation les corrections qui me sont indiquées de votre autorité, si Votre Grandeur daignait me confirmer dans cet espoir ... » (*Documents.*

Le Père Louis Querbes, fondateur des Clers de Saint-Viateur - Direction générale, Coteau-du-Lac 1955, vol. II, p. 7).

II. *De statibus perfectionis acquirendae*

Occasione futuri Concilii Oecumenici, Pater Michel Sudres, Superior Generalis Congregationis Clericorum Parochialium seu Catechistarum Sancti Viatoris, reverenter postulat, in Iure Canonico emendando:

1. ut tardius reponatur obligatio *testamenti* condendi (can. 569 § 3);

2. ut definiatur vocabulum « *domus religiosa* », praesertim quoad constitutionem, iura et onera;

3. ut tam in doctrina quam in iure definiatur atque collaudetur *vocatio religiosorum laicorum docentium,* qui ordinarie dicuntur *fratres docentes* (Les Frères enseignants).

P. MICHAËL SUDRES
Superior Generalis
Congregationis Clericorum Parochialium
seu Catechistarum S. Viatoris

13

REV.MI P. PAULI I. HOFFER

Superioris Generalis Societatis Mariae

Romae, 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Tuas cum debita reverentia accepi Litteras quibus per praesentem responsum dare conabor, submittendo quae mihi occurrunt et utilitatis fore videntur. Haec sunt sequentia:

1. Ut Breviarium Romanum adhuc simplificetur et Lectiones eligantur varioris argumenti et historicae veritati consonantiores.
2. Ut in Sacra Liturgia amplificetur usus vernaculae linguae.
3. Ut strictior sit collaboratio inter clerum saecularem et regularem.
4. Ut inter SS. Romanas Congregationes maiores sint mutua comprehensio et collaboratio; videntur enim nimis anxiae propriae independentiae.

5. Ut frenetur in iisdem SS. Congregationibus tendentia magis magisque centralizans et modus agendi nimis auctoritarius.

6. Ut Sacra Liturgia et functiones exterioris cultus melius adaptentur ad praesentem statum occidentalis culturae. Etenim cum Ecclesiae sit sese accommodare ad omnes culturas et servare quidquid boni in eis inveniatur, necessarium videtur satisfactionem dare appetitionibus hodiernae societatis occidentalis tam diversae ab antiqua. Cultus externus in praesenti vigens saepe magis est impedimenti quam utilitatis ad pietatem cum non possit intelligi.

7. Ut normae de abstinentia ab operibus servilibus diebus dominicis et festivis accommodentur hodiernis conditionibus ita ut conqueri non possit quod pauper tantum gravetur dum dives divitior evadere possit.

Dum ad osculum purpurae sacrae memet inclino, rogo Te, Eminentissime et Reverendissime Domine, ut accipere dignaris obsequium servi tui humillimi in Christo.

P. Paulus I. Hoffer
Superior Generalis Societatis Mariae

14

Rev.mi P. IOANNIS GADDO
Praepositi Generalis Instituti a Caritate

Romae, 22 augusti 1959

Princeps Eminentissime,

Honoranti tuae ac gratissimae invitationi quam XIV Kal. iulias mihi misisti (N. 1 C/59-2030) obsecundans, futuri Oecumenici Concilii Antepraeparatoriae Curationi quae sequuntur submisse propono:

a) Ut in Anglia quoad matrimonia mixtae religionis Episcopi omnes catholici eadem decernant atque disponant. Haud raro enim evenit, ut in diversis Dioecesibus non levis differentia intersit in hac re, quae eos quorum refert non leviter offendat ac perturbat.

b) Ut in Hybernia Episcopi Religiosorum cooperationem non dedignentur et aequam agendi libertatem iisdem permittant; verbi gratia noviatus, studentium domos, ephebea aperiendi.

c) Ut librorum prohibitorum lex corrigatur vel etiam abrogetur. Multi sunt qui eam inutilem et inobservabilem ducant.

d) Ut vulgaris linguae usus in SS. Sacramentis administrandis universalis, sed recte definitus, efficiatur.

e) ut Extremae Unctionis Sacramentum omnibus graviter aegrotantibus administrari possit, etsi non in extremis iam degentibus.

Humillima demissione et oboedientiae iis quae Sancta Mater Ecclesia statuenda iudicaverit, in Sacrae Purpurae osculum cernuus.

Tuae Rev.mae Eminentiae me profiteor
Humillimum atque oboedientissimum famulum

P. IOANNES GADDO
Praepositus Generalis Instituti a Caritate

15

REV.MI P. ANTONII VILLA

Superioris Generalis Congregationis Filiorum Mariae Immaculatae

Brixiae, 25 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Circa res tractandas et reformandas in proximo Concilio Oecumenico sequentes observationes de religiosa disciplina, post benignam invitationem proponere audemus:

1. Fere inutiles esse videntur litterae testimoniales requirendae ab Episcopis pro postulantibus admittendis ad novitiatum. Curiae episcopales comparare non possunt investigationes sicut oporteret: plerumque tradunt testimoniales solum ad implendum praescriptum canonis 544 et 545, et relinquunt responsabilitatem investigationis ad ipsos Superiores religiosos.

Tales litterae testimoniales praesertim omitti possent pro illis postulantibus ad novitiatum admittendis, qui pueri prorsus admissi sunt in scholam apostolicam et de quibus ipsi Superiores religiosi plenam habent cognitionem.

2. In Congregationibus et Institutis in quibus numerus membrorum est parvus et non tam facile inveniuntur sufficientes sodales apti ad munera maioris momenti, seriam difficultatem ingerunt praescriptiones canonicae circa renovationem et substitutionem officiorum post triennium vel sexennium elapsum.

Desiderabilis esset maior libertas in hac re et ampliores facultates firmandi in officiis illos qui idonei inveniuntur.

3. Lugenda est nimia levitas et facilitas petendi dispensationem a

votis in iuvenibus neo-professis. Forsitan melius esset ut professio temporanea annualis tantum esset, renovanda singulis annis usque ad professionem perpetuam. Iuvenis tali modo, qui in crisim, ut aiunt, incidat, facile persuaderi poterit ad expectandum exitum anni et sic ipse melius sibi consulere posset, atque vitarentur incommodum et etiam scandalum tot dispensationum et dimissionum.

P. ANTONIUS VILLA
Superior Generalis
Congregationis Filiorum Mariae Immaculatae

16

REV.MI P. EDMUNDI DÉAGE
Superioris Generalis
Missionariorum S. Francisci Salesii de Annecio

Annecii, die 25 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Tibi devotissime gratias ago pro litteris (Prot. N. 1 C/59-2032) die 18 iunii 1959 missis in quibus communicationem expetis circa ea quae in futuro Concilio tractari poterunt. Excusare faveas responsum hoc tardius veniens. Congregatio nostra non numerosa, sed valde dispersa est et nolui in re tanti momenti sensum meum exprimere quin prius exteros imprimis superiores et peritiores consuluerim. Talis consultationis fructum tibi humiliter submitto.

In regionibus praesertim ubi catholici cum aliis confessionibus coexistunt, conatus unionis maxime salutatur, quin plurimi ob discussiones necessario in tali conatu orituras quamdam nimiam nostrorum propensionem ad sensum dogmatum fidei attenuandum timeant. Desiderant proinde ut futurum Concilium plane ac aperte sive catholicos, sive non catholicos de iis instruat quae Salvator Noster Ecclesiae tradenda ac servanda commisit, prout iam fecerunt sacrae Tridentina et Vaticana Synodus. In tali solemni dogmatis proclamatione, pro temporum circumstantiis, duo praesertim servanda videntur:

Cum tot Christiani, sive exteri, sive etiam quodammodo filii Universalis Ecclesiae, nullo modo aut cum quadam difficultate hodie admittant eamdem esse doctrinam quae in Libris Sacris et in Patrum Traditione, et quae in concentu dogmatum continetur, et ab eodem Spiritu

utraque animari, videtur primum opus esse depositum revelationis tali modo explanari ut ante omnia omnibus palam fiat eundem Spiritum Sanctum et in Synodo congreganda et in Ecclesia apostolorum docere. Quam maxime proinde christiana dogmata Patrum verbis potius quam scholasticorum formulis exprimantur et ratiocinia theologorum Ecclesiae Latinae etiam nobilissimorum non necessario tamquam normae omnibus imponendae habeantur.

Secundo videtur talem coetum ante omnia omnibus Christi fidelibus debere tradere genuinam et maxima accuratione elaboratam notionem sanctae Matris Ecclesiae. Non potest latere dissensiones inter Christianos hodie non tam de iustificatione, ut saeculo decimo sexto, aut de Primatu Petri, ut in schismate orientali, sed de ipso genuino conceptu Ecclesiae esse.

In tali conceptu explanando, non tam normae iuridicae exponantur quibus Ecclesia tamquam societas a Christo fundata regitur, quam ipsa structura intima qua tamquam lapides vivi superaedificati sumus in domum spiritualem, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias (cf. *I Petr.* 2, 5) ut iam, fecit Summus Pontifex Pius XII ad uniendas nationes christianas bello scissas, anno 1943 in Encyclica *Mystici Corporis*. Tot Christi fideles, moribus vitae nimis individualizatae additi, in Ecclesia iam non vident nisi institutionem quamdam ubi ea quae ad propriam salutem pertinent sibi comparare poterunt, quin se sentiant membra unius corporis cuius Christus est caput (*Eph.* 5, 23). Unde nec vere et toto animo unionem desiderant, nec eius necessitatem plane perspiciunt, et ideo tot nostrum attrahuntur per sectas et ideologias (communismum) in quibus maior ac saepe in nobis existit sensus communitatis humanae.

Ex apostolica conceptione Ecclesiae derivare videntur maximae illae conclusiones quarum elaborationem orbis christianus exoptat. Imprimis patebit hierarchicos ordines ex voluntate Christi in Ecclesia existentes eosdem esse ac ministeria de quibus in libris Novi Testamenti et omnia quae ad disciplinam ecclesiasticam renovandam statuentur, eo modo tractentur ut is qui verbo aut altari aut populo Dei inservit, magis appareat « sicut ministrator » (*Luc.* 22, 27).

Tale ministerium praesertim in Ecclesia Latina valde convenienter ab iis exercetur qui partim vel pleniori modo per observantiam consiliorum evangelicorum Christum sequuntur. Notamus vero neque in libris sacris, neque in primitivae Ecclesiae traditione haec duo elementa necessario connecti, nec omnem cui aliquod ministerium incumbit proinde doctorem (i. e. theologicis studiis imbutum), sed eum debere christianis virtutibus eminere, esse « hospitalem, benignum, sobrium,

iustum, sanctum » (tit. 1, 8). Idcirco praesertim ii qui sunt in regionibus ubi maxime desunt sacerdotes (Brasilia), optant quod in Ecclesia ordines, et specialiter diaconatus, instituantur in quibus personae non integro cursu theologico instructae Ecclesiae inserviant, quin proinde ad caelibatum ecclesiasticum teneantur. Pro religiosis catechistis quae in Brasilia in regionibus omnino derelictis pueris instruendis inserviunt expetitur facultas Sanctissimi Sacramenti asservandi, immo absente sacerdote Corpus Christi sumendi.

Invigiletur ne observantia consiliorum evangelicorum, tamquam thesaurus quidam pretiosissimus in Ecclesia semper habita, appareat ut negatio et reprobatio quaedam genuinorum bonorum vitae humanae. Coelibatus ecclesiasticus in quibusdam circumstantiis iam non apparet ut testimonium evangelicum, quando nempe non subsistit in connexione cum quadam ratione vitae apostolicae. Vita ecclesiastica magis tamquam evangelica vivendi forma appareat et vita communis quam maxime foveatur. Econtra, sive in vita ecclesiastica, sive in vita religiosa consuetudines plurimae subsistunt quibus talis modus vivendi magis ut testimonium alicuius periodi historici peracti quam Christi actu in nobis viventis apparet (e. g. complures vestes religiosae, vestis talaris extra caeremonias sacras et praesertim in vita publica, abundantia titulorum honorificorum in vita ecclesiastica). Accidit ut communitas religiosa observantiis plurimis insistens, in essentiali illa vera religiosa fraternitate deficiat. Valde suadendum esset ut evangelica ratio vivendi a Concilio maxime commendetur et in sua puritate et simplicitate restituatur. Facilius tunc familiae religiosae nimis parvae et tanto numero existentes collaborarent, immo unirentur.

Ex eadem notione Ecclesiae tamquam Corporis Mystici exaratur urgens necessitas liturgiae temporum circumstantiis accommodandae. Per Sacrificium Missae et per Eucharistiae Sacramentum unio Ecclesiae exprimitur et anima Corpori Christi mystico inseritur. Sacrificium Missae est Sacrificium totius Ecclesiae et non debet apparere ut sacrificium solius ministri sacri, ceteris mere passive assistentibus. Reforma liturgiae sacrae omnino videtur debere esse talis ut participatio fidelium in sacris mysteriis sit facilis et obvia, nullo commentario intermisso, populo Dei immediate cum sacerdote communicante. Talis accommodatio urget praesertim in populis orientalibus (expetitur in Indiis) quibus lingua latina omnino extranea est. Lectiones ex libris sacris sint revera lectiones pro tota communitate et fiant in lingua vernacula. De cetero valde dolendum est quod per multiplicem iterationem earundem quasi lectionum quas pericopas vocant minima pars solummodo Evangeliorum et Apostolorum epistolarum legantur. Sacerdos aut fidelis, quamvis quotidie evangelium in Mis-

sa legat aut audiat, superficialem solummodo cognitionem talium librorum sacrorum habebit nisi aliunde hauserit. Eadem dicenda sunt de lectione Scripturae in Breviario, sive in nocturnis, sive in capitulis. Sacerdos qui per multos annos talem lectionem peregisset, ignoraret tamen Scripturas, exceptis initiis capitulorum. Officium divinum constitui debet actibus quibus nunc Deus honoratur et animus nutritur et non caeremoniis quae per historicas tantum considerationes intelligi possunt. Diminuta parte quae psalmodiae consecratur, relicta hebdomadaria recitatione totius psalterii, systematico modo omnes partes maioris momenti Sacrarum Scripturarum legi deberent, iuxta illud Augustini quod Verbum Dei ad nutriendam animam non minoris est ponderis quam ipsum Corpus Christi Eucharisticum.

Auctoritas ecclesiastica antecedat conatus saepe audaces, non semper felices eorum qui tales accommodationes liturgiae quaerunt et non illos a longe sequatur. Divitiae, valores vere humani et artistici summi momenti quae in liturgia sacra et cantu gregoriano continentur, pulchritudo cultus divini non possunt salvari nisi ii qui melius liturgiam cognoscunt et celebrant et imprimis monastici ordines talem accommodationem sedulo quaerant et aliis tradant, non imperitis illam relinquentes.

Complures accommodationes proponuntur ab iis quibus incumbit cura animarum, simpliciores ritus pro sacramentorum administratione, et plerumque in lingua vernacula. Immo in Indiis ubi quandoque maximus habetur concursus populi facultas expetitur generalis in quibusdam circumstantiis impertiendae absolutionis sacramentalis. In regionibus sic dictae mixtae religionis optatur modus simplicior ad eos qui in sinum Ecclesiae revertuntur in foro externo absolvendos. Imprimis suadetur loco abiurationis actu vigentis formula brevior adhaesionis, ut iam pro christianis orientalibus concessum est. Eodem modo animarum cura moti quidam optant ut magis apostolatus pastoralis innitatur communitati paroeciali, et, praesertim quoad pueros instruendos, familiae quae iam in ordine naturali praeeminet, societatibus specializatis et praesertim catholicae actionis non neglectis.

Ex eadem consideratione Ecclesiae tandem orbi christiano proponatur Virgo Maria sicuti visa est ab antiquis Patribus, Nova illa Eva in cuius persona omnis illa plenitudo, gratia, praesentia Christi quibus gaudet Mater Ecclesia iam ab exordiis aetatis christianae superabundanter depositae fuerunt, ita ut sit magis ac ipsa Ecclesia sponsa non habens maculam aut rugam (*Eph.* 5, 27) magis mater, magis virgo quam ipsa Ecclesia. Ex tali traditionali consideratione mundus christianus non catholicus ad comprehensionem recentiorum declarationum dogmaticarum de praerogativis Virginis adducetur, et rogatur Piissima Virgo

ut intercedat pro omnibus filiis et pro omnibus a suo Filio expetat gratiam unionis.

Ultimo loco, in adnexis, invenitur propositio Reverendi Patris Basilii Luyet, quam ob maxima huius religiosi circa scientias biologicas merita integram transmitto.

Eminentiae Tuae omnino devotus et Universali Ecclesiae ex toto animo inserviens

P. EDMUNDUS DÉAGE
Superior Generalis

Propositio Reverendi Patris Basilii Luyet, M. S. F. S. Madison 4 (3837, Monona Drive) Wiscontin, U. S. A. (quondam Professor Scientiarum Biophysicarum in Catholica Universitate « St-Louis » U. S. A.).

Suadetur institutio Commissionis catholicorum scientiarum naturalium peritorum, quibus erit de nexu inter scientiarum progressus et synthesim christianam investigare et problematum quae inde oriuntur solutiones quaerere.

Rationes:

1) isto vigesimo saeculo maximae sunt acquisitiones scientiarum naturalium (astronomicae, physicae, chimicae, geologicae, psychologiae experimentalis, antropologiae, etc. ...), et maxime inde vita intellectualis totius humani generis modificata invenitur;

2) universitates et institutiones scientificae catholicae in permultis orbis regionibus dispersae parvum solummodo conferunt ad talem scientiarum progressum, et Ecclesia proinde in quamdam positionem inferiorem redacta est;

3) saepius catholici recedunt in positionem defensivam quam abusive « apologeticam » vocant et nec de veritate scientifica inquirenda, nec de Creatoris opere observando curant, talia « adversariis » ut aiunt, relinquentes.

Ideo congruum videtur ut occasione Concilii oecumenici Commissio permanens instituatur catholicorum scientiarum peritorum, qui consulant de momento talium acquisitionum scientiarum naturalium et de eorum influxu in vitam intellectualem et mores fidelium, et qui solutiones proponant tot problematum quae oriuntur ex comparatione inter methodum scientificam quam exactam vocant et veritatis deductionem quae in philosophia et theologia christiana adhibetur.

(*N. B.*: Enunciata propositio litteris Superiori Generalis M. S. F. S. adnexa est).

P. EDMUNDUS DÉAGE
Superior Generalis
Missionariorum S. Francisci Salesii de Annecio

17

Rev.mi P. GILBERTI FINI

Superioris Generalis
Congregationis Presbyterorum a Ss. Stigmatibus D. N. I. C.

Roma, 15 agosto 1959

Eminentissimo Signor Cardinale,

Con animo filiale ho ricevuto la lettera del 18 giugno c. a., Prot. n. 1 C/59-2023, che l'Eminenza Vostra, nella Sua qualità di Presidente della Pontificia Commissione Antipreparatoria per il prossimo Concilio Ecumenico, ha creduto d'inviarmi e ne ho letto con attenta considerazione le autorevoli richieste.

Dopo matura riflessione, ed aiutato da prudenti studiosi della mia umile Famiglia religiosa stimatina, desidero sottoporre all'Eminenza Vostra, e per mezzo Suo alla Pontificia Commissione, i punti succintamente elencati nei fogli allegati a questo mio scritto.

Le tesi indicate non sono delle novità in senso stretto, ma accennano ad argomenti attuali, motivo di frequente discussione sulle pagine di libri e di riviste ecclesiastiche e laiche: spesso con quanta impreparazione e confusione!

La S. Chiesa, attraverso la voce dei Padri Conciliari, potrà anche con il suo Magistero Solenne illuminare nella Verità le menti dei suoi figli e precisare la perniciosità degli errori.

Desidero unirmi in tal modo alla voce di tanti Sacri Pastori e dotti ecclesiastici per contribuire al miglior esito del Concilio, al rinvigorimento della Fede tra il popolo cristiano e all'esaltazione della S. Chiesa.

Voglia lo Spirito Santo elargire alla Chiesa, sua diletta Sposa, al Vicario di Cristo ed a quanti si adopereranno attivamente ai lavori del Concilio Ecumenico l'abbondanza dei suoi Doni Divini.

Mi è cara l'occasione per umiliare all'Eminenza Vostra Illustrissima e Reverendissima i sensi del mio religioso ossequio.

Baciandole la Sacra Porpora mi confermo dell'Em.za Vostra

obb.mo servitore

P. Gilberto Fini

Superiore Generale degli Stimmatini

Doctrina

Sequentia doctrinae capita videntur a Concilio opportune revocari et auctoritate declarari posse:

1. Elevatio hominis ad finem supernaturalem, nempe ad communicationem vitae divinae per visionem beatificam.
2. Natura gratiae sanctificantis tamquam habitus supernaturalis quo homo iam in via particeps fit naturae divinae.
3. Vocatio omnium hominum ad perfectionem vitae supernaturalis.
4. Perfectio vitae supernaturalis consistit in Caritate.
5. Natura Ecclesiae tamquam Corporis mystici Christi, ac proinde identitas Corporis mystici et Ecclesiae Catholicae.
6. Missio Ecclesiae est essentialiter spiritualis et apostolica, respiciens nempe salutem animarum, ac proinde transcendit officia mere temporalia, quae societati civili relinquit: quamquam et hac in re Magisterium suum exercere valet.
7. Maria Virgo est Mediatrix omnium gratiarum.
8. *In re morali*:

a) Notio peccati tamquam offensae personalis Dei et mortis vitae supernaturalis (contra modernum amoralismum, de quo mentio in Concilio opportune fieri censeo, utpote de gravissimo morbo aetatis nostrae);

b) Organica expositio doctrinae catholicae de Matrimonio, cum particulari habitudine ad eiusdem indissolubilitatem atque ad officia coniugum;

c) Vindicetur dignitas et excellentia vocationis ad statum religiosum, cuius valor non semper apparet satis bene cognitus.

Catechesis

1. Quaenam media excogitanda ut praedicatio catechetica ad adultos perveniat.
2. Optandum videtur ut praedicatio catechetica ad fideles, retinens utique characterem stricte doctrinalem, sit minus technica, ita ut vitentur formulationes quae nonnisi theologiae peritis intelligibiles sunt.

Amplior etiam notitia tradatur fidelibus de natura vitae supernaturalis, de ascetica ac de re liturgica.

Regimen Ecclesiae

Eadem fere ratione qua Ecclesiis orientalibus autonomia quaedam liturgica et canonica agnoscitur, absque praeiudicio unionis Ecclesiae

Catholicae, nonne et aliis Ecclesiis, praesertim missionariis, inter populos plantatis qui culturas valde diversas possident, maior autonomia concedi potest in re liturgica et canonica, iuxta indolem propriae culturae: sub vigilantia utique Apostolicae Sedis ac cum debita ab eadem dependentia?

Liturgia

Reformatio liturgica — sive quoad celebrationem Missae, sive quoad administrationem Sacramentorum — quae abhinc iam pluribus annis incepta est eo intentu ut sacri ritus intelligentiae fidelium clarius proponantur, organice et, quantum, possibile, complete aggredienda videtur.

Disciplina

1. Tractandum videtur in Concilio problema de distributione magis aequa Cleri inter diversas dioeceses et diversas nationes.

2. Censeo Concilium rem valde opportunam facturum si praxim exercitiorum spiritualium auctoritate sua laudet ac commendet, tamquam medium efficacissimum ad vitam supernaturalem ordinandam: praesertim pro Clero, cui obligatio annua, potius quam triennalis, proponenda videtur.

3. Cum pars quaedam Cleri adhuc occupationibus teneatur quae minus cohaereant actuali urgenti necessitati actionis pastoralis, proponendum videtur ut laici seligantur ac praeparentur ad huiusmodi occupationes exercendas.

P. GILBERTUS FINI
Superior Generalis
Congregationis Presbyterorum a Ss. Stigmatibus D.N.I.C.

18

REV.MI P. CHRISTOPHORI O'TOOLE

Superioris Generalis Congregationis a S. Cruce

Romae, die 7 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Praesentibus litteris iunctas habeas nonnullas propositiones quas, rogato Eminentiae Tuae obsequentes, humillime concinnavimus ac reverenter nunc submittimus.

Officium longe maius nobis nunc superest, i. e. enixis precibus Deum efflagitare ut Concilium Oecumenicum quod proxime celebrabitur, quam plurimos ac uberrimos afferat fructus spirituales, quibus Ecclesia, dilectissima sponsa Christi, adhuc laetari valeat.

Interea, eo quo par est obsequio, eiusdem

Eminentiae Tuae me profiteor
Addictissimum in Domino

P. Christophorus O'Toole
Superior Generalis Congregationis a S. Cruce

I. De doctrina

1. *De Sacerdotio.*

Perutile videtur naturam essentialem sacerdotii adhuc clarius definire. Recentioribus enim temporibus nonnullae probatae sunt doctrinae circa naturam Sacerdotii, quae parum congruere videntur cum iis quae a Sacrosancto Synodo Tridentino docentur. Urget praeterea animos oculosque omnino in genuinam Sacerdotii Catholici naturam convertere, praesertim ex eo quod, attento Actionis Catholicae incremento, nimio urgeri videtur illud quod sacerdotium laicorum appellant.

Huc spectat praeclarum magisterium Summi Pontificis Pii XII f. r. quod habetur in eius Allocutione ad utrumque Clerum (*A. A. S.*, XLIII, 1951, pp. 26-36).

His etenim novissimis diebus legendae mihi obvenerunt nonnullae animadversiones quae Episcopo attribuuntur cuiusdam magnae dioecesis in America Septentrionali, quaeque huiusmodi magisterio funditus obtrectare videntur.

2. *De Ecclesia et Civitate.*

Hac nostra aetate quae politica et sociali evolutione quam maxime obsignatur, cum revera haud paucae circumstantiae necnon rerum locorum condiciones iam fere ubique commutatae sint, ne supervacaneum diiudicetur relationes quoque inter Ecclesiam et Rem Publicam pressius praefinire.

3. *De Apostolatu et de vita interiore.*

Cum labor apostolicus seu apostolatus nimis aliquando urgeatur, videtur quodammodo quod ipsa anima apostolatus, quae est vita spiritualis in supremum discrimen adducatur. Quare, ad vitanda pericula et insidias quae intime cum « Activismo » connectuntur, maximi videtur esse momenti genuinam catholicam doctrinam integre instaurare.

4. Neque supervacaneum habeatur relationes Catholicorum eorumque modum sese gerendi erga illud quod « Interfaith Movement » nomine venit apte et recte definire.

II. De liturgia

1. *De usu linguae vernaculae.*

Haud raro in Ecclesia Occidentali sermo deductus fuit de usu linguae vernaculae in celebratione Missae necnon in recitatione Divini Officii instaurando.

At, iuxta nostram submissam opinionem, si unquam lingua latina a Liturgia Ecclesiae Occidentalis auferatur, certe unum ex praecipuis vinculis unitatis deficiet.

Neque videtur participatio fidelium Sacrificio S. Missae ab usu latini idiomatis ullo modo praepediri, cum hodie ubique in promptu habeantur textus Missalis Romani optime translati, saltem in praecipuis linguis.

Instauratio itaque linguae vernaculae sive in celebratione Missae, sive in recitatione Breviarii devotam participationem fidelium potius perturbare quam expedire videtur.

2. Pius usus Missarum, sive quae tantum recitandae veniunt, sive quae solemniter canendae, magis urgeri deberet, ut activa et quotidiana participatio fidelium Sacrificio Missae magis magisque promoveatur.

3. Latior facultas Missam serotinam celebrandi eo attingere deberet ut concursus populi christiani ad Sacrificium et ad Communionem crescat in dies.

4. Optabile videtur privilegium celebrationis Missae in Feria V in Cena Domini ad omnes sacerdotes extendere.

III. De vita religiosa

1. Super candelabrum ponatur can. 487 *C.I.C.* : « Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est ».

Neminem certo effugit quaedam actualis propensio ad parvifaciendam vocationem ad vitam et sacerdotium religiosorum. Gravis enim exstat hodie difficultas in religiosis vocationibus adhibendis, etsi undique invocentur religiosi qui in scholis tam secundariis quam primariis doceant.

Excellentiam, itaque, vitae religiosae, iuxta praeclaram Ecclesiae traditionem, laudibus efferre ne dedignandum videatur.

2. Relationes inter utrumque clerum, praesertim in iis quae apostolatum in dioecesi spectant, ut aptius et magis expresse definiantur valde optandum est.

Haud raro etenim, praescriptis Codicis Iuris Canonici minime obstantibus, quasi extranei et irrepti considerantur religiosi, si umquam opera apostolatus paroecialis aggrediantur.

3. Opportunum existimatur si Ordinarii Locorum, in committendis paroeciis alicui familiae religiosae, quamdam formam contractualem sequantur quae iuxta principia maioris uniformitatis et aequitatis ordinata atque redacta sit.

IV. De educatione

1. Programma — academicum, sociale et physicum — quod in variis seminariis adhibetur, indiget ut melius aptetur seu accommodetur iuxta novas ac magis exultas hodiernae Societatis condiciones, ita ut futuri Sacerdotes facilius valeant quaestiones et difficultates modernas persolvere, simulque adlectio vocationum religiosarum inter iuvenes aetatis nostrae excitetur et augeatur.

2. Valde urget in Seminariis necessitas iuvenes exercendi in eloquentia, praesertim relate ad apostolatum quod radiophonicum vel Televisificum appellant.

3. In Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis, e. g. validior conatus invocatur ab Ecclesia ad efficacius permeandam vitam et activitates Universitatum Civilium. Si Ordinarii locorum huiusmodi necessitati minime prospexerint quicumque conatus pro nihilo habendus erit.

En cur quae « Newman Clubs » vocant non undequaque huic necessitati suppeditare videntur.

Plerumque, qui Universitatibus laicis praesunt talibus animis dispositionibus ornantur, ut quodcumque auxilium quod ab Ecclesiastica Auctoritate iisdem suppeditari poterit, libenti animo excipiant.

Expedit proinde ut profundius inspiciantur tales mutatae relationes, ita ut non solum fidem alumnorum catholicorum qui studiis universitariis in publicis institutis incumbunt integram tueri valeamus, sed et in ipsos docentes et Universitates valide influere possimus.

4. Universitates quae sese catholicas profitentur, quaeque uti tales ab Ordinariis agnoscuntur, praesertim in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis, optandum sane est ut etiam ab Apostolica Sede probentur, etsi minime titulo pontificio decorentur.

In quibusdam circumstantiis, in practicis relationibus cum Gubernio Foederali Americae Septemtrionalis, convenit ut Universitates Catholicae quae ab Auctoritate Civili agnoscuntur, minime a S. Sede titulo pontificio decorentur.

5. In his diebus, in territoriis missionariis maior diligentia adhiberi debet in promovendo educationem superiorem per medium collegiorum et universitatum ut plures duces catholici formentur.

V. De disciplina

1. *De Sacerdotibus censura suspensionis irretitis.*

Conditio sacerdotum qui poena suspensionis a divinis plectuntur, miserabilis sane aliquando apparet. Saepe, cum suspensio inflicta fuerit, Ordinarius existimat sibi nihil amplius agendum superesse ad recuperandos huiusmodi sacerdotes.

Convenit, itaque, ut revivificetur tum littera tum spiritus Iuris Canonici quoad hanc spinosam materiam, ita ut sive Episcopi sive Superiores Religiosi omnibus obnitantur viribus ut sacerdotes qui quocumque modo defuerint, ad conscientiam altissimae dignitatis et officii quo vocati sunt, sollicite reduci valeant.

2. *Organizatio laicorum.*

Episcopi et Sacerdotes in relationibus temperandis cum variis associationibus Catholicorum laicorum, solliciti sint potius quam in laicos dominari, eorumdem cooperationem sibi adquirere.

Saepe, ratio qua laici ab operibus apostolatus desistunt vel easdem aggredi pavitant, in eo est quod sive Episcopus in sua dioecesi, sive sacerdos cui supervisio alicuius operis committitur, peculiari quadam ratione sese gerendi quae absoluti imperii nimis scatet, laicos ab incipiendis vel perficiendis operibus avertit.

3. Attentis recentiorum temporum condicionibus, nonne opportunum esset Indicem librorum nova ratione accommodare atque redigere?

4. Hac nostra aetate magni momenti est ut, in seligendo candidatos et pro sacerdotio et pro vita religiosa, maxima prudentia exerceatur praesertim propter auctum morborum mentis et etiam propter difficultates quas tam multi iuvenes, in observando castitatem perfectam inveniunt. Maiores cautelae adhiberi debent priusquam candidati ad ordines sacros promoveantur et etiam ante professionem religiosam tam temporariam quam perpetuam.

VI. *Varia*

1. Convenitne unicuique sacerdoti facultatem concedere indulgentias applicandi Rosariis aliisque rebus devotionalibus?

2. Convenitne parochis et missionariis saepius concedere facultatem administrandi sacramentum confirmationis ut onus Episcoporum praesertim in partibus infidelium degentium exoneretur, et ut receptio huius Sacramenti non differatur.

3. Animadversio quae sequitur refertur praecipue ad Civitates Foederatas Americae Septemtrionalis. Ibi permulta quotidie prodeunt folia catholica quae unice forsan a Catholicis leguntur. Huiusmodi folia parum vel minime in efformanda Acatholicorum conscientia influunt.

Nonne ex unica ephemeride Catholica, valide redacta, quaeque sive Catholicis sive Acatholicis destinetur, melioris et copiosioris frugis spes affulgeret, quam ex omnibus foliis catholicis quae ubique disseminantur?

Folium sic redigendum certe cooperationem omnium episcoporum exigeret, eiusque moderatio probatis laicis committi deberet, qui in hac re sint revera periti.

Hac una ratione videtur Ecclesia Catholica publicam opinionem moderari posse in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis et valide cum aliis ephemeridibus contendere posse.

4. Ut extra discrimen ponatur clarissima traditio qua usus latini sermonis tot per saecula in Ecclesia Catholica decoratur, Ordinarii locorum et Moderatores Religiosi quam maxime exhortandi veniunt, ut quam plurimos studentes Romam mittant qui studium S. Theologiae ibi peragant ac simul latino sermone aptius et facilius exerceantur ita ut, dein, cum ad proprias dioeceses vel ad propriam domum religiosam redierint, habiles evadant ad S. Theologiam alios latine docendam.

5. Perutile videtur, in his temporibus, relationes inter scientias psychologicas, psychiatriam et theologiam moralem, speciatim circa quaestiones responsabilitatis et imputabilitatis, perpendere.

P. Christophorus O'Toole
Superior Generalis Congregationis a S. Cruce

19

REV.MI P. ALBANI COLETTE

Vicarii Generalis Piae Societatis Praesbyterorum ab Assumptione seu Augustiniani ab Assumptione

Rome, le 26 décembre 1959

Eminence,

Les déplacements et l'absence assez prolongée du T.R.P. W. Dufault, Supérieur Général, ne lui ont pas permis en temps voulu de donner la réponse et de recueillir les informations que sollicitait votre lettre du 18 juin 1959.

Il m'a prié de ne pas attendre son retour pour le faire. Aussi je m'empresse de transmettre à Votre Eminence, les vœux et suggestions de la Curie Généralice et de professeurs compétents de nos scolasticats, qui pourraient être l'objet d'un examen plus attentif, en vue du prochain Concile Œcuménique, si la Commission antépréparatoire en reconnaît le bien-fondé et l'utilité.

En m'excusant de ce retard, je prie Votre Eminence dont je baise la pourpre sacrée, de daigner agréer mes hommages respectueux et religieux, en me redisant

de Votre Eminence
le très humble et dévoué serviteur
P. AUBAIN COLETTE
Vicaire Général

QUAESTIONES DOGMATICAE

De Resurrectione Christi et hominum

Exaretur caput dogmaticum de virtute soteriologica Resurrectionis Christi et de resurrectione hominum. De his enim salutis mysteriis documenta conciliorum pauca habent, cum fontes revelationis multa explicite praebeant, ex quibus, omissis adhuc disputatis, caput dogmaticum confici possit. Hac de re vide *Gregorianum* 39 (1958) pp. 201-524, qui fasciculus inscribitur « Christus victor mortis ».

His temporibus commendant talem doctrinae expositionem theologia biblica, studia liturgica, fides de salute non solum animae sed totius hominis a Christo patratae, definitio dogmatis B. V. M. in coelos assumptae, allectatio quam in multos exercent sectae adventistae varii et multiplicis generis, expectatio felicitatis terrestris hac aetate tum intra marxismum tum extra late propagata. Insuper talis definitio vel expositio favebit aequilibrio in praedicatione et pietate, quippe quae pronae sint ad solam mortem Christi causam Redemptionis habendam.

Ob easdem causas expedit totius eschatologiae concinna tractatio, ut Ecclesia et eius evangelium seu bonus nuntius hac aetate angoris et tristitiae sit in mundo signum et praeco verae spei et veri gaudii.

De regno Dei

Elaboretur caput dogmaticum de Regno Dei, quippe quod sit argumentum praecipuum et subtemen praedicationis Christi; in eo omnia continentur, ad id omnia referuntur. Cum doctrinam de Ecclesia ut corpore Christi sanctus Paulus praedicet, Christus ipse Ecclesiam quodammodo ut Regnum Dei describit. Haec Christianae religionis synthesis quam praebent Evangelia et antiqui Patres, aliquantum oblitterata in theologia medii aevi, concinne et integre prostat in Catechismo ex decreto Concilii Tridentini edito (Pars IV, Orationis dominicae secunda petitio). Dein iterum plus minusve oblitterata, a saeculo 19° magis magisque in catechesi ut subtemen expositionis adhibita est, v. g. in recenti catechismo dioceseon Germaniae, et a studiosis exegeseos et theologiae biblicae, tum catholicis tum acatholicis, secundum quod postulat status hodiernus scientiae, saepius et multifariam investigatae, licet acatholici hac in re critice legendi sint.

Propter necessitatem hac aetate, qua multi fere nihil, vel nonnulla parum cohaerentia vel tantum nonnulla accidentalia de religione christiana noverunt, sed simul populi novi ad Ecclesiam veniunt, lucide et sobrie exponendi essentiam et robur Evangelii Christi; — propter adiutorium quod hac in re affert reditus ad fontes et imprimis ad ipsa verba Christi; — propter supradictam actuositatem catecheticam; — et propter rationem habendam profectuum studiorum biblicorum et favoris quo ea studia in theologia, catechesi et pietate hodiernis gaudent, valde optabilis videtur expositio doctrinae pristinae simul et novae de Regno Dei, in qua Ecclesia Christi medium locum organice tenet et de qua decreta conciliorum usque adhuc fere nihil praebent. Attamen memoratu dignum est in Concilio Vaticano nonnullos Patres definitionem Ecclesiae ut Regni Dei exoptasse.

Initium huius capitis doctrinae conficiendi esse possit locus supradictus Catechismi ex decreto Concilii Tridentini editi.

Sensus theologicus exquiritur

Cum, occasione proximi Concilii Oecumenici, argumentum unitatis Ecclesiae aliquando discussum veniet, aliquod doctrinae caput: sensus scilicet certus et praecisus huius effati « *Hors de l'Eglise point de salut* », tangere perutile erit: Talis quaestio permultas angit animas unitatis appetentes.

De Ecclesia ad reditum errantium praeparonda

Ut ovile Christi extraneis quam maxime hospitale fiat, prudenter perquirantur apud viros scientia et experientia praeditos ea, quae acatholicos, praesertim eos qui minus longe a catholica veritate absunt, in Ecclesia catholica sine necessitate offendunt vel ab ea alienant; harum querelarum instituatur elenchus; examinentur, illae quae ex illis, sine detrimento maioris boni, tolli vel emendari possint; deinde, quoad fieri, potest, aptis remediis consulatur. Missio Ecclesiae digna est quae praeferatur quibusdam institutis, consuetudinibus et aliis huiusmodi, diuturno usu caris et acceptis, sed genuinam faciem Ecclesiae eis qui sunt extra, obscurantibus vel plus minusve adulterantibus.

De episcopo

Ut consulatur aequilibrio in catholica doctrina exponenda, Constitutioni dogmaticae Concilii Vaticani de primatu et de infallibili magisterio Romani Pontificis addatur caput de episcopatu. S. Scriptura et Traditio hac de re copiosam et certam materiem praebent, a studiosis catholicis, immo etiam acatholicis, his quoque temporibus investigatam et tractatam, ex qua, omissis rebus adhuc disputatis, uberrimum caput dogmaticum confici possit.

In praedicatione et catechesi, sed etiam in institutione clericorum, tum saecularium tum religiosorum, dignitas episcopi et vitale eius munus in docendo, sanctificando et regendo instanter exponatur et efferatur; insuper clerici omnes ad « venerationem, affectum, fidelitatem » erga episcopum efformentur (cf. *Const. Sed. Sap.,* adnexa Stat. Gen., art. 40).

Etsi vinculum clericorum religiosorum cum episcopo minus firmum est quam incardinatorum et quamvis subditio religiosorum maior ea quam ius vigens statuit, unitati et peculiari indoli religiosarum familiarum obstaret, talis tamen, secundum supradictam rationem, sit re-

ligiosorum animus erga episcopum, ut eum suum episcopum, magistrum, rectorem, sanctificatorem et Patrem in Christo existiment, et non modo administratorem quemdam ecclesiasticum ad quem in nonnullis causis recurrere cogantur.

Quaestiones iuridicae

Index librorum prohibitorum

Multi professores aestimant necessariam, imo urgentem aliquam revisionem legis de prohibitione librorum (legem, ut aiunt de « Index»).

Servanda certe esset aliqua inscriptio in Indice librorum prohibitorum, ab integro tamen recognito praesenti elencho et a multis inutilibus allevato.

Posset etiam augeri talis librorum elenchus complemento aliorum librorum cum censoriis notationibus, ut normis prudentiae.

Normae canonis 1399 ubi ipso iure prohibetur quaedam librorum species videntur supprimendae, quia hodie in praxi fiunt inefficaces.

Alii enim illas ignorant; alii de his parum curant; alii, quamvis de illis solliciti, saepius anguntur, quia informatio deest quando utilis esset et nonnisi post lectionem conscientia efformari posset. Ex altera parte, talium librorum acquisitio et lectio licita facienda esset illis quibus non sunt periculo.

Ex hoc capite, nonne videretur sufficiens lex naturalis et lex moralis communis quae permittit legere libros non commendatos (exclusis tamen libris in elencho absolute prohibitorum recensitis), cum motivo proportionate sufficienti?

De quibusdam querelis in Ecclesia grassantibus

Cum multi catholici, praesertim doctiores, conquerantur de legibus circa prohibitionem librorum et de modo quo Congregatio Sancti Officii agere solet in criminibus, suspicionibus et delationibus ad res fidei spectantibus, res examinentur et, si opus fuerit, opportuna remedia aut legum immutationes indagentur, ne, ob modum quo exercetur, ipsum Sanctae Ecclesiae munus fidem et mores tutandi, in angustias veniat.

Lex requiei dominicae adaptanda

In multorum votis est ut, necessitate impellente, lex ecclesiastica de labore prohibito servili, diebus dominicis et diebus festivis de praecepto, ab integro perpendatur et adiunctis vitae praesentis socialibus et oeconomicis prudenter readaptetur.

De honoribus et titulis minuendis

Abrogentur vel saltem modestius deferantur dignitates et tituli clericorum mere honorifici, quippe qui multis, tum catholicis tum acatholicis hac in re maiori modestiae assuetis, mirationi vel derisui sint et parum cum evangelica simplicitate concordent.

Tituli ecclesiastici ad vera, i. e. non mere honorifica, officia spectantes, sicubi nimis inflati, intricati vel superabundantes sint, item redigantur ad simplicitatem magis evangelicam.

Usus reformandi in Curia Romana

Valde optandum est ut amoveantur certi abusus in moribus publicis Civitatis Vaticanae, qui longe absunt ut religiosam aedificationem praestent, populo et peregrinis periculo sunt Fidei: v. g. in methodo concedendi favores, audientias pontificias, tesseras pro pontificalibus caeremoniis, quibus interveniunt quasi semper eaedem personae, specialiter Religiosae Romae degentes.

Hinc notatur quod Superiores Generales Institutorum qui Cappellae Papali intervenire non possunt, non nisi difficillime et cum astutia indecora, accedere possunt sollemnioribus caeremoniis, et saepius in media multitudine; nimium tempus amittendum esset ad exquirendos modos perveniendi.

Taxae Curiales minuendae

Nonnulli religiosi queruntur:

a) se taxa nimis onerosa gravari, pro permissione concessa mutuorum vel obligationum contrahendorum, cum ipsi de suis difficultatibus nummariis conficiuntur angoribus;

b) se, pro facultatibus et favoribus eiusdem generis et momenti, taxas solvere ponderis maxime diversi, consideratis tantum regionum divitiis.

Disciplina clericalis

De relationibus inter utrumque clerum

Cum in pluribus partibus Ecclesiae relationes inter utrumque clerum saepe debita benevolentia plus minusve careant, examinetur num agatur de statu vel vitio quodam « endemico », cui opportuna remedia afferri possint. *Verbi gratia*:

— foveantur conventus et exinde amicae relationes inter alumnos Seminariorum maiorum dioecesanorum et religiosorum, cum tempus

iuventutis aptius sit quo praeiudicia antevertantur et mutua benevolentia oriatur;

— foveatur temporaria magistrorum permutatio;

— quandoque religiosis idoneis occasio detur vitae religiosae exponendae in Seminariis dioecesanis;

— ut aequalitas sacerdotii plane demonstretur, etiam extra terras missionum minus raro quam hodie fit, religiosi ad episcopatum provehantur.

Compositio « Ternae » ad S. Sedem praesentandae

In novis regionibus ubi extenditur Ecclesia et conveniunt recollectae turmae ex diversis gentibus et nationibus emigrantes; episcoporum nominatio fieri non deberet uniformiter in favorem unius partis ethnicae, quae ut videri potest in U. S. A. videtur sollertius sibi vindicare ius quasi absolutum regendi populum Dei et consequenter « ternam » componendi.

Talis modus agendi movit iudicia vehementia, quae Ecclesiae haud parum faventia, quasdam animas, etiam e clero, abalienarunt.

De ministris acatholicis ad fidem catholicam conversis

Videatur utrum deceat ut ministri acatholici matrimonio iuncti et ad religionem catholicam conversi, si ceteroquin idonei sint et aliis conditionibus servatis, ad ordinem presbyteratus admittantur.

Doctrina de laicorum apostolatu elaboranda

Elaboretur caput doctrinae de laicis sive de populo Dei. His temporibus multa de hac re scripta sunt. Copiosam materiam praebent documenta, allocutiones etc. recentes Summorum Pontificum et actus Congressus de apostolatu laicorum nuper Romae habiti.

Hoc caput tale sit ut consectaria ex eo colligi possint de sic dicta « spiritualitate » laicorum. Cum multi laici, iique optimi « spiritualitatem » suo statui Christianorum in mundo viventium et agentium desiderent, Sacra Synodus eorum exspectationem explere studeat.

Hoc capite doctrinali innitatur retractatio seu revisio canonum 682-725, quippe qui non iam respondeant vero statui rerum, sed necessitatibus apostolicis, nec persuasioni laicorum et desiderio Hierarchiae de partibus magis actuosis a laicis in Ecclesia explendis.

Cum laici maior pars Ecclesiae sint, expedit ut audiantur, quod fieri potest et debet salva triplici potestate quam Summus Pontifex et episcopi a Christo trahunt. Quia « bonum animarum suprema lex esto »,

difficulter eis bonum fiet inconsultis. Ad hoc ordinata media vel instituta si desint, indirecte et inordinate vocem extollent in ephemeridibus et periodicis, publica oratione et praesertim querelis privatis. Propterea condantur media ordinata quibus eorum vox audiatur, v. g. in consiliis paroecialibus, quarum competentia non ad solas res pecuniarias coarctetur, laici idonei voce consultiva gaudeant; item in consilia episcopalia laici quoque admittantur et voce consultiva gaudeant. Sunt iam parochi et episcopi qui quandoque privatim laicos consulunt. Ius posthac praecipiat et ordinet modum constantem eos audiendi.

Optatur efficacior laicorum collaboratio

Sicubi necessitas vel utilitas ferat, praeter nunc vigentem institutionem integram ad presbyteratum, brevior condatur institutio v. g. ad ordinem diaconorum — quibus utrum permittatur uxorem ducere necne, examinetur —, quae praedicent, catecheticam institutionem curent, Sanctam Communionem distribuant, baptizent, orationi fidelium praesint, vario modo conversioni acatholicorum vel catholicorum ab Ecclesia alienorum opera dent.

Nam in terris ubi pauci sacerdotes sunt et paucae vocationes ad sacerdotium, secus impossibile erit contendere cum praedicatoribus, catechistis, ministris et aliis praeconibus protestantismi qui suam religionem propagant breviore quadam et faciliore institutione formati, plerumque matrimonio iuncti nec adstricti ut totam vitam hunc apostolatum exerceant. Paulatim Ecclesiam catholicam submergent, ut patet v. g. e factis et tabellis statisticis quae praebet articulus R. P. Damboriena S. I., De Protestantismo in America meridionali (Nouvelle Revue théologique, nov, et dec. 1958) et ex relationibus (« reports ») hac de re Consilio Oecumenico Ecclesiarum (WCC) editis.

De Const. Ap. « Sedes Sapientiae »

Cum Const. Ap. « Sedes Sapientiae » eique adnexa Statuta generalia institutionem religiosam, intellectualem, apostolicam, quin etiam simpliciter humanam, harmonice ordinent; cum concinna sint et congrua, simul traditione innitentia et necessitatibus huius temporis accommodata; cum de principiis moneant, quasdam res maioris momenti accurate statuant et magis particularia servatis servandis uniuscuiusque religionis indoli et arbitrio relinquant, denique iis quae a bona codificatione exspectantur, respondeant, ea Sacra Synodus elementa fundamentalia ut immutabilia confirmet vel in novo Codice iuris condendo ad ea remittat.

Multi tamen putant titulum de quinto anno theologico, ut in con-

stitutione supradicta exponitur, abrogari vel melius iudicio superiorum regularium relinqui debere.

Cursus eloquentiae

Toto theologiae cursu, assidue provideatur formationi clericorum ad praedicationem sacram omnimode consideratam, theoria et exercitiis practicis, circa compositionem sermonum, elocutionem et orationis actus.

Idque eo accuratius quo frequenter fideles hodie audiunt oratores optimos de re profana disserentes, quo etiam oratores heterodoxi saepe videntur scientia et arte praestantiores.

De vestitu clericorum simplificando

In illis partibus mundi ubi viri hodie vestem talarem deferre non solent, nec clerici, sive saeculares sive religiosi, tali veste induantur.

Ad eos recognoscendos sufficit vestis nigra dicta « clergyman »; ad religiosas familias dignoscendas, quin vestis quae nimis habitum choralem revocat, sufficit modestum insigne quoddam, quale laici deferunt ut significent se ad aliquam societatem pertinere. Talis vestitus magis cum simplicitate evangelica congruere videtur et, nimis artificiosa distinctione et separatione ab aliis hominibus aboletis, clerici tamen de sua dignitate ac de exemplo praebendo, et fideles et infideles de suo statu Deo sacro commonent. Non vestibus, sed moribus distinguantur.

Quaestiones liturgico-pastorales

De lingua liturgica

Cum oporteat actiones liturgicas (sensu Instructionis S. C. Rituum dd. 3-9-1958, c. I, art. 1) praeter alios effectus quos operantur, fidem erudire et pietatem fovere, quod difficilius fit, si textus adhibiti a populo minime intelligantur, omnes actiones liturgicae quae coram populo vel populo participante celebrentur, peragantur lingua vulgari, salva tamen parte sacramentali essentiali in qua intervenit solus minister. Translatio textuum aut eorum retractatio fiat cura episcopatus uniuscuiusque nationis aut regionis linguisticae, quae plures nationes comprehendere potest, et, si ad unitatem servandam necessarium videatur, sub vigilantia Sanctae Sedis.

His cautelis adhibitis usus linguae vulgaris unitati Ecclesiae non nocet, quippe quae magis eluceat eo quod diversis linguis idem cultus Deo deferatur et eadem conferatur gratia, sicut iamdiu diversis linguis eadem

doctrina praedicatur et saepe eaedem preces funduntur; nec nocet sensui mysteriorum, quippe quae sint mysteria fidei, non linguae; nec commoditati fidelium, quippe qui fere omnes linguam latinam ignorent. Hoc tempore quo tot homines a sacris alieni sunt, nihil omittatur quo sacra propiora fiant hominibus.

Concelebratio

Saepius in communitatibus religiosis ubi numerosiores sunt sacerdotes, ut possit unusquisque eorum privatim in altari distincto Missam celebrare, debent omnes non una vice tantum ad invicem celebrare. Quod nullomodo favet orationi matutinae, consequenter, et non sine damno omissae.

Aliquod remedium esset facultas concelebrandi in ritu latino, datis saltem certis circumstantiis, speciatim in feria quinta Coenae Domini, et modo a S. Congregatione competente determinato.

Breviarii reformatio

Multis videtur perutilis amplior Breviarii reformatio in praesentibus temporum et apostolatus adiunctis:

a) quoad eius nimiam diuturnitatem, quae hodie exponit sacerdotes vitae apostolicae addictos, recitationi nimis properatae et parum voluntariae attentioni;

b) quoad linguam adhibitam: Haud parvus clericorum numerus, ne dicam maiorem partem, convenienter intelligit latinum sermonem, et ideo multo minus spirituales fructus expectatos percipiunt quam si possent textum sacrum et liturgicum in lingua vulgari legere;

c) quoad lectiones secundi nocturni, quae revisioni dari deberent et emendari a legendis parum fide dignis et suspicionis.

Suggestio practica: Nonne prudenter et sapienter sacerdotibus ministerio addictis imponerentur:

1) recitatio, sub gravi, precum contracta;

2) oratio obligatoria per tempus determinatum protracta (meditatio vel preces personaliter determinatae)?

De cultu reliquiarum

Caveat Ecclesia et curent Ordinari:

ne falsae vel incertae reliquiae Sanctis attributae venerationi fidelium proponantur et ubi talis casus viguerit, amoveatur;

ne reliquiae fidelium venerationi praesententur, modo qui animas pias vel extraneos offendit, v. g. cum pecunia proxime sollicite;

ut cum debita reverentia conserventur in loculamentis vel armariis sacrorum.

Ritus Baptismi

Ritus baptismi parvulorum aptetur.

Instructio religiosa in populo promovenda

Perseveranter instetur apud sacerdotes, religiosos et religiosas, necnon et fideles laicos, specialiter in certis regionibus, etiam in Urbe, ut instructionem religiosam promoveant apud populum, omnibus modis, locis et temporibus aptatis, cum ex factis quotidianis constet, ignorantiam in tali materia, radicem esse tot errorum et malorum moralium.

Cooperatio sumptibus paroecialibus

Disertius doceantur ubique Fideles obligatione teneri sublevandi eorum ecclesiam (quoad aedificationem et tutelam), opera paroecialia pia et cultus ministros, propriis sumptibus.

Clarius exponendum est tale adiutorium ex iustitia exigi, non solum a divitibus ex superfluis suis, sed ab omnibus Fidelibus, cum generositate forsan aliquanto laboriosa, proportionata tamen opibus cuiusque.

Ritus et communicatio cum orthodoxis

Ad solvendas difficultates quae in quibusdam mundi partibus occurrunt, ubi plures ritus simul existunt optatur:

— ut in tali regione catholici singuli quovis ex ritu proveniant, subditi sint eidem iurisdictionis potestati, observent easdem leges ac praecepta, habeant unicum ecclesiasticum tribunal et ut res quae maximi momenti sunt pro Ecclesia universali (ut scholae, nosocomia, etc.) ab una tantum auctoritate interrituali dependant quo pro utilitate et beneficio animarum oppositionis scandalum auferatur;

— ut in regione quam simul christiani separati cum catholicis inhabitant Ecclesia legem novam statuat de « Communicatione in Sacris », quae lex unica sit pro omnibus et motum unionis promoveat.

P. ALBANUS COLETTE
Vicarius Generalis
Piae Societatis Presbyterorum ab Assumptione
seu Augustiniani ab Assumptione

20

Rev.mi P. GODEFRIDI SPIEKMAN

Superioris Generalis
Congregationis Presbyterorum a Ss.mo Sacramento

Eminentissime Princeps,

Ex animo gratus sum erga Te, quod et ad me, licet tali honore indignum, litteras 1 C/59-2038 dd. 18 iunii 1959 misisti, quas modo demum post peractam canonicam nostrarum in Europa domorum visitationem inspicere potui, quare peto ut tarditatem non voluntariam responsionis excusare benigne faveas.

Statim religiosis nostris tamquam primariam in Adorationibus Eucharisticis diurnis ac nocturnis enixe commendavi intentionem, ut proximum Concilium Oecumenicum felicissimum habeat successum itemque rogavi ut coelestia implorent subsidia pro mirabili actuositate Tuae Eminentiae, merita fiducia Summi Pontificis ad novum hoc arduum graveque munus vocatae.

Verbis Tuis confirmatus, auditis quoque membris mei Consilii Generalis, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico quae sequuntur animo submisso communicare audeo:

1. *De definienda Mediatione Universali Beatae Mariae Virginis.*

Haec Eucharistica Beati Petri Iuliani Eymard familia, peculiari modo ad pietatem erga Immaculatam Virginem educata, libenter animoque filiali fervida iungit vota cum eis quae fere ab universa Ecclesia exprimuntur, ut scilicet, thesaurus fidei marianae cito augeatur novo articulo de Mediatione Universali Beatae Mariae Virginis, in ordine ad distributionem omnium gratiarum.

2. *De functionibus liturgicis coram SS.mo Sacramento publice exposito.*

Providentis Dei beneficio nostra hac aetate factum est, ut pietas eucharistica in forma sollemni Publicae Expositionis Ss.mi Sacramenti valde reviviscat, ad sensum sane et spiritum normarum quas Summus Pontifex Pius XII f. r. opportune impertivit in Oratione habita ad membra Conventus Internationalis Liturgiae Pastoralis (Assisii 1956) et in Encyclica *Mediator Dei,* qua ex re ecclesiae in quibus instituta est

Adoratio perpetua diurna et nocturna quoque, quasi ubicumque multiplicantur.

Optandum itaque videtur ut vigens disciplina rubricarum expeditior largiorque reddatur quod ad functiones eucharisticas attinet, sacrificales scilicet (Missae celebrationem) et sacramentales (S. Communionis distributionem) faciendas coram Ss.mo Sacramento exposito.

3. *De censurarum reservatione mitiganda.*

Cum legislatio poenarum *Latae sententiae* ac earundem multiplex reservatio, ut nunc in Codice Iuris Canonici exstat, tanta afferat incommoda seu difficultates *solis confessariis,* quin exurgat verum bonum pro poenitentibus, sollicitudine pastorali motus, votum exprimo, ut hae *multiplices reservationes* (praeterquam in casibus maximi momenti) *aboleantur* et *alius modus excogitetur promovendi emendationem* peccatorum (v. g. statuendo diversas poenitentias ab ipsis confessariis imponendas). Intacta remanere poterit disciplina poenarum ferendae sententiae.

4. *De formula abiurationis omittenda pro haereticis materialibus.*

Eodem modo, ad faciliorem reddendam conversionem haereticorum in haeresi vel schismate natorum, humiliter propono, ut, in receptione huiusmodi haereticorum et schismaticorum, ab ipsis non amplius exigatur usualis forma abiurationis, sed simplex *Professio Fidei piana.*

Sperans me ad Concilii argumenta apparanda aliquid contulisse, nec irreverenter egisse erga Tuam Eminentiam, sanctam a Te peto Benedictionem; oram sacrae Purpurae osculans me, Eminentissime Princeps, humillimum

Tuum declaro servum

P. Godefridus Spiekman
Superior Generalis Congregationis Presbyterorum a Ss.mo Sacramento

21

Rev.mi P. ALFONSI EICHELDINGER

Praepositi Generalis Congregationis a Resurrectione D. N. I. C.

Roma, 29 ottobre 1959

Eminenza Rerevendissima,

Il nostro Padre Generale secondo il canone 223 citato nella lettera Prot. N. 1 C/59-2039, della Pont. Commissione Antipreparatoria, non ha diritto di essere Padre del Concilio, poichè noi non siamo « Religio clericalis exempta » i cui « Moderatores Supremi » vocantur ad Conc. Oecum. et in eo ius habent suffragii deliberativi (can. 223 § 1, n. 4).

Perciò chiediamo scusa se non abbiamo diritto a presentare « animadversiones, consilia et vota » di cui nella lettera Prot. N. 1 C/59-2039.

P. Edward A. Bates, C. R.
Procurator Generalis

1. Ut Eucharistia sit centrum devotionis fidelium et minus momentum tribuatur aliis devotionibus per novendialia et tridua et similia, quibus quandoque nimium momentum tribuitur.

2. Vita familiaris, quae basis est vitae socialis, magis colatur, et ne distrahantur fideles a familia horis vespertinis tardioribus per conventus sociales et ecclesiasticos. Absentia iuventutis a familia illis horis fovet delicta iuvenilia, quorum incrementum nunc iuste deploratur.

3. Clerus possit licite deferre habitum formae saecularis, id est sine veste talari, extra actus liturgicos, cum vestis talaris in viis publicis ob plurima vehicula automobilia et in eorum usu non levia pericula secum ferat, ut experientia constat.

4. Brevior officii divini forma constituatur, cum ex deficientia numeri sacerdotum iidem longius tempus in aliis ministeriis sacerdotalibus et in itinere impendere debeant, ita ut longius divinum officium aut non integre aut non digne, attente et devote recitare valeant.

5. Latina lingua retineatur in Missa et in Officio Divino necnon in praecipuis partibus actuum liturgicorum, contra tendentiam substituendi in his linguam vulgarem.

6. In paroeciis idea unitatis paroecialis socialis inculcetur et ad vivum actum deducatur per sodalicia paroecialia, quibus tum bonum

spirituale tum sociale et oeconomicum, praesertim meliore fortuna destitutorum, promoveatur.

7. Tribunali matrimoniali dioecesano tribuatur auctoritas ultimae sententiae pro casibus in quibus et ius et factum omnino clara sunt.

8. Commendetur studium alumnorum seminariorum maiorum Romae faciendum, ut hi alumni magis spiritu traditionali Ecclesiae imbui possint.

9. Leges ieiunii et abstinentiae revisioni subiciantur, magis hodiernis circumstantiis adaptentur et uniformes reddantur in toto orbe catholico. Spiritus temperantiae et poenitentiae magis inculcetur.

10. Doctrina socialis catholica prout continetur in Litteris Encyclicis Summorum Pontificum inde a Leone XIII magis in notitiam fidelium feratur ut antidotum contra pericula communismi et atheismi.

Et deus, etc. ...

P. Alphonsus Eicheldinger, C. R.
Praepositus Generalis
Congregationis a Resurrectione D. N. I. C.

22

Rev.mi P. GEORGII LEMOINE

Superioris Generalis
Congregationis Sacratissimi Cordis Iesu Infantis

Massiliae, die 3 ianuarii 1960

Eminentissime Domine,

Litteras Tuas (Prot. 1 C/59-2041) recepi qua vota humilis nostri instituti petis circa res quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Omni cum humilitate et sinceritate, consiliariis generalibus auditis, moderator Congregationis Ss.mi Cordis Iesu Infantis haec exponere censuit.

Constitutio dogmatica de Ecclesia Christi perficiatur, praesertim circa res de episcopatu in genere et specie.

Definitio detur sacerdotii in Ecclesia, contra multas opiniones quae non sane distinguunt « regale sacerdotium » (*I Petr.* II, 9) et sacerdotium proprie dictum seu ministeriale.

Instauretur ordo diaconatus « pleno iure », i. e. non tantum uti gra-

dus ad sacerdotium, sed ita ut sacerdotes « orationi et ministerio verbi instantes » sint (*Act.* VI, 4).

Ordines minores renovari et etiam a laicis exerceri possint, ad presbyteris auxiliandum.

Postulamus ut doctrina quae tenet Beatam Mariam Virginem esse omnium gratiarum mediatricem, corredemptricem humani generis ideoque matrem nostram definiatur.

Sunt sacerdotes qui sine praeparatione orationis ad Missam celebrandam accedunt. Multi fideles (et quandoque heu sacerdotes) nesciunt aut nolunt gratias aperte Deo agere post receptionem Ss. Eucharistiae Sacramenti. Utile videtur in memoriam omnium denuo proclamare regulas ad fructuose recipiendum Panem caelestem.

Optamus instaurationem generalem Liturgiae ad mentem Pontificum Romanorum S. Pii X et Pii XII f. m.

Utilitas frequentis confessionis apparet ex praxi, necnon ex praescriptionibus iuris, quoad seminariorum alumnos, quoad religiosos, etc.) ex multis romanis documentis. Atqui innumeri sacerdotes persuadent, et quandoque moraliter cogunt, poenitentes, qui habitualiter non committunt peccata mortalia, ne utantur poenitentiae sacramento nisi raro et post longum temporis intervallum, v. g. plurium mensium.

Et hoc, non in casibus particularibus, sed ex regula generali.

Nobis hoc videtur ex una parte non favere directionis spiritualis praxi (directio enim saepissime datur sacramenti occasione) et ex altera parte impedire indulgentiarum lucrum. Etenim ad eas lucrandas requiritur frequens confessio. Ita amittitur magna meritorum massa ab Ecclesia militanti et patienti. Nobis ergo videretur bonum si commendaretur denuo frequens confessio, et lucrandi praxis indulgentias.

Ex hoc apparet, et fideles murmurant, multos sacerdotes non aestimare directionem animarum. Unde utilitas renovationis disciplinae.

Una ex maioribus temporis huius obligatio videtur esse institutio adultorum necnon iuvenum. Fortiter promovendum et sine effugio possibili statum scholae catholicae et renovanda sunt decreta et doctrina Ecclesiae quoad ius suum ad instituendum populum christianum et ius cuiusque patrisfamilias utendi schola catholica pro suis filiis.

Eminentiae Tuae
add.mus ac humilis servus in D.no

P. Georgius Lemoine
Superior Generalis
Congregationis Sacratissimi Cordis Iesu Infantis

23

Rev.mi P. RENATI ZIGGIOTTI

Rectoris Maioris Societatis S. Francisci Salesii

Roma 10 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

In nome del Rettor Maggiore della Congregazione Salesiana, in visita ad alcune Nazioni dell'America Latina, mi pregio porgere a V. Em.za Rev.ma gli umili voti della Società Salesiana per il prossimo Concilio Ecumenico.

Solo prego V. Em.za Rev.ma a voler benevolmente scusare l'involontario ritardo, dovuto a ragioni varie, tra cui le prolungate assenze dall'Italia del predetto Superiore Generale.

Chino rispettosamente al bacio della S. Porpora mi professo

di Vostra Eminenza Reverendissima
obb.mo servo

Sac. Luigi Càstano
Procuratore Generale
della Società Salesiana di S. Giovanni Bosco

La Società Salesiana di San Giovanni Bosco, memore delle sollecitudini e della attività svolta dal suo Santo Fondatore durante il Concilio Vaticano per la definizione dogmatica della Infallibilità papale, facendo suoi gli aneliti e le speranze del Santo Padre e dell'Episcopato circa il bene che ridonderà alla Chiesa dal nuovo Concilio Ecumenico, auspica che vengano affrontate tutte le questioni dalla cui soluzione deriverà l'anzidetto bene spirituale della Chiesa e delle anime.

Avendo incaricato il Pontificio Ateneo Salesiano della preparazione sistematica di tali questioni, per proprio conto si permette di sottoporre umilmente alla Commissione Preparatoria dei lavori del Concilio le seguenti considerazioni ed i seguenti voti:

1. L'amara constatazione dell'imperversante edonismo nella concezione dello scopo della vita, che — purtroppo — guida non solo coloro che sono fuori o si sono allontanati dalla Chiesa, ma anche non pochi dei fedeli che pretenderebbero conciliare le pratiche cultuali con

siffatto modo di agire, porta ad auspicare che tutto l'insegnamento religioso nelle sue varie branche, sia polarizzato a far accogliere, credere ed amare « Iesum Christum, et hunc crucifixum » (*I Cor.*, 2, 2).

In modo speciale si vede la necessità che tutta la formazione teologica sia dominata ed animata da questa verità basilare, la cui previa assimilazione da parte dei sacerdoti e dei religiosi, e la susseguente sincera adesione da parte dei fedeli, costituiscono l'insostituibile punto di partenza per la conoscenza riflessa e corrispondente pratica dei doveri morali-religiosi, individuali e sociali.

2. Considerando le energie di cui può disporre la Chiesa per la attuazione di questo programma, non è difficile ricavare l'apporto decisivo rappresentato da un rinnovato, sistematico, armonico collegamento delle attività del Clero secolare e del Clero regolare o religioso, nonchè di tutte le Famiglie religiose.

A questo scopo ci si permette di osservare come alla diffusione programmatica di tali forze nelle singole diocesi, non sia necessario e nemmeno utile il pretendere di vedere ridotte il più possibile le differenze che separano il Clero diocesano, fondamentalmente legato ad un determinato territorio, dalle Famiglie religiose che hanno già raggiunto o tendono a raggiungere il grado di Religioni o Istituti Secolari di Diritto Pontificio, quasi che l'ideale per una perfetta intesa debba essere rappresentato dalla comune monodiocesanità degli elementi da collegare verso il raggiungimento del medesimo scopo della salvezza delle anime.

A parte il fatto che la vitalità degli Istituti di Diritto Pontificio sarebbe compromessa se ogni diocesi potesse esercitare un suo influsso nel modo di esplicare i ministeri propri di ogni famiglia religiosa (can. 497, § 2), o nella attribuzione dei compiti sacerdotali ai membri degli Stati di perfezione ivi residenti, nello spostamento da una casa all'altra, ecc. ..., non si può certo misconoscere il coefficente recato da tali Istituti all'armonizzazione delle esigenze della universalità della Chiesa con le necessità spirituali delle singole diocesi.

Perciò la Società Salesiana, mentre spera che l'istituto della esenzione, anche se eventualmente ritoccato nelle sue accidentalità, continui ad essere posto alla base dei rapporti degli Istituti Clericali che già lo possiedono o a cui verrà esteso con gli Ordinari del Luogo, fa voti perchè a superare le eventuali divergenze promananti dalla diversità degli interessi — locali ed universali —, intervenga preventivamente, in modo sistematico il Nunzio o il Delegato Apostolico.

3. Sembrerebbe che alla attuazione di questi sistematici interventi del Rappresentante Pontificio nel collegamento programmatico dell'attività delle Famiglie Religiose con gli intenti degli Ecc.mi Vescovi e

del Clero secolare nelle singole diocesi, potrebbe conferire assai il rendere i Superiori religiosi in qualche modo partecipi alle decisioni che vengono prese nelle Conferenze Episcopali, sia sentendone previamente il parere, sia facendoli partecipare con voto consultivo (cf. can. 286, § 4) a dette riunioni, sia scegliendo tra i membri delle commissioni preparatorie un numero proporzionato di religiosi.

4. Ma, come per una fusione efficace delle forze diocesane con quelle delle Famiglie religiose per il maggior bene delle anime, importa che i Religiosi prendano coscienza delle necessità spirituali della diocesi relazionandole con gli scopi ed i risultati spirituali dei ministeri propri dei loro Istituti, e conseguentemente siano disposti a compiere eventualmente sacrifici nei propri quadri del personale religioso addetto a tali ministeri, se debitamente richiesti di ciò dal rappresentante pontificio, non è meno necessario che gli Ecc.mi Vescovi per conto loro valutino il contributo — anche se non sempre di immediato e visibile risultato — arrecato dall'opera svolta dagli Istituti Religiosi nella determinazione della vita religiosa delle proprie diocesi.

Sia consentito un esempio: in una diocesi ove scarseggiano i sacerdoti diocesani per i comuni ministeri e vi fiorisce invece una scuola retta da religiosi sacerdoti, il Vescovo può certamente rivolgersi al rappresentante pontificio perchè tratti presso il competente Superiore religioso la destinazione di qualcuno di quei sacerdoti per il ministero in diocesi (evidentemente sempre nelle forme che a giudizio di detto superiore siano le più idonee a conservare tali suoi sudditi legati all'Istituto ed all'osservanza religiosa); ma ove questo importasse un certo aggravio economico all'Istituto Religioso costretto a pagare uno stipendio adeguato agli insegnanti chiamati a sostituire i propri soggetti, la Diocesi favorita dalla prestazione dell'Istituto Religioso dovrebbe ex bono et aequo sollevarlo dal predetto aggravio economico.

5. Le esigenze della compattezza dei vari Istituti Religiosi, nonchè la riconosciuta provvidenzialità dei medesimi — a seconda della proclamata santità di chi li ha fondati —, inducono a ritenere che nelle varie diocesi ove i vari Istituti svolgono la loro opera, specialmente se nel campo educativo, debbano essere prese in considerazione le peculiari tradizioni religioso-educative di tali Istituti, per cui sembrerebbe conveniente che gli Ecc.mi Vescovi non dovrebbero prendere misure restrittive al riguardo, quale può essere, p. e., l'interdizione della S. Messa quotidiana obbligatoria per la gioventù che frequenta tali scuole, specialmente trattandosi di collegi o convitti, senza previo accordo con i Superiori Religiosi centrali, responsabili della conservazione dello spirito e delle tradizioni del proprio Istituto.

6. Considerando il dovere di armonizzare con l'unità parrocchiale la crescente necessità di ministeri specializzati per le varie categorie (gioventù, studenti, artigiani, universitari, professionisti, ecc. ...), sia nei paesi ad una sola parrocchia, sia ancor più nei centri a più parrocchie, appare evidente quanto contribuirebbe a un vantaggioso collegamento delle forze del Clero secolare e regolare una attribuzione sistematica e relativamente stabile, da parte del Vescovo locale, delle mansioni da svolgersi dal clero parrocchiale e dal clero religioso, armonizzando adeguatamente l'autorità dei parroci con l'autonomia richiesta da una sufficiente esplicazione delle varie mansioni.

Alla realizzazione di questo collegamento contribuirebbe grandemente un certo qual grado di vita comune del Clero delle parrocchie di uno stesso centro, o almeno l'azione comune di detto Clero di un medesimo centro, ove seguendo le direttive e sotto il controllo del Vescovo diocesano (con gli adeguati provvedimenti finanziari, ecc. ...), si distribuissero tra il Clero secolare e quello regolare i vari compiti imposti dalla cura delle varie categorie dei fedeli, assegnando, p. e., ai tali sacerdoti del Clero parrocchiale il compito dei sindacati cattolici, delle opere missionarie, ecc. ..., ai religiosi del tale Istituto la cura degli universitari e professionisti, ai tal'altri religiosi la direzione dell'oratorio interparrocchiale, ecc. ..., sentendo in solidum la responsabilità della maggior efficienza cristiana di tutta la popolazione.

7. Passando dal piano diocesano e parrocchiale a quello nazionale, la stessa odierna solidarietà dei nemici della Fede, raccomanda l'intesa e l'unione delle forze cattoliche, donde la necessità che in adeguate riunioni dell'Episcopato e dei Religiosi, con l'intervento armonizzatore delle diverse entità compiuto dal Rappresentante Pontificio, vengano prese comuni decisioni per affrontare sistematicamente la soluzione dei vari problemi spirituali, stabili e transitori, della nazione, venendo — ove lo si ritenga conveniente — ad una distribuzione del lavoro per ottenere il risultato con minore dispersione di energie ed inutili doppioni: p. e. i Religiosi dell'Istituto tale si incaricano della stampa specializzata per la gioventù, quelli di un altro Istituto si assumono l'incarico dei mezzi audiovisivi, ecc.

8. Le crescenti difficoltà di ogni genere suscitate dai nemici della Chiesa contro le attività delle Famiglie Religiose (scuole, ospedali, attività ricreative, ecc.), inducono a ritenere indispensabile una intesa sempre più completa delle varie Famiglie Religiose risolventesi in ben studiate comuni iniziative e stabili Federazioni, da attuarsi sotto la guida del Rappresentante Pontificio di ogni nazione, intermediario con l'episcopato locale.

A titolo di esempio, ci si permetta di segnalare l'opportunità che, ove speciali circostanze locali non lo vietino, sorga in ogni nazione una specie di società di mutuo soccorso tra le varie Famiglie religiose, per provvedere adeguatamente alla condizione economica dei professi dimessi, specialmente quando questa potesse essere oggetto di contestazione presso le autorità civili.

9. Per ottenere che le varie Famiglie religiose si sentano più unite nell'opera che sono chiamate a svolgere nella Chiesa, la Società Salesiana si permette di chiedere che venga istituita — come fu già richiesto nel 1° Congresso Generale degli Stati di perfezione nel 1950 — la comune festa dei Santi Fondatori e Fondatrici, ed auspica che in tutti i centri ove esistono istituzioni di diverse Famiglie religiose, tale festa venga celebrata con la partecipazione di tutti i religiosi alternativamente nelle chiese di dette Istituzioni, onde si renda palese al popolo cristiano l'unità di intenti delle varie famiglie religiose.

10. Siccome poi la Società Salesiana ha ricevuto la preziosa eredità dal suo santo Fondatore della devozione a Maria Ausiliatrice — non però come devozione peculiare del proprio Istituto ma come armonico coefficiente della fedeltà al Papa e dell'amore alla Chiesa, di cui la Vergine SS. specialmente in straordinari frangenti di questi ultimi secoli ha voluto rivelarsi il grande aiuto predisposto dal Signore — si permette di chiedere umilmente al Concilio Ecumenico che trattandosi di una devozione mariana già diffusissima e molto sentita dal popolo, *venga estesa alla Chiesa Universale la solennità del 24 maggio in onore di Maria SS., aiuto del popolo cristiano,* glorificando in tal guisa un titolo mariano che teologicamente rivela la parte di Maria SS. nella impetrazione delle grazie divine alla Chiesa, storicamente evoca le grandi manifestazioni dell'amore materno della SS. Vergine al Popolo Cristiano guidato dal Sommo Pontefice, e dal punto di vista sociologico risponde ad una devozione profondamente radicata nel popolo cristiano di tutto il mondo.

24

Rev.mi P. IOSEPHI VAN KERCKHOVEN

Superioris Generalis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu

Romae, 19 novembris 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris Tuis, quas perofficiose nobis misisti, rectum putavimus respondere, pro conditione nostra, pauca, quae sequuntur, argumenta proponendo, scilicet:

1. De fundamento iuridico creando, quo nixa Instituta, quae Fidei Propagandae destinata sint, efficacius in unum collaborent.
2. De formatione Catechistarum promovenda, ita ut, statu eorum iuridice agnito, ad Ordines minores et maiores (excluso sacerdotio) admitti possint.
3. De relatione inter Clerum saecularem et regularem.
4. De mitigatione legis, quae de prohibitione librorum tractat.

Quae quamvis non sint argumenta maioris momenti, ex praxi tamen vitae pastoralis desumpta, nobis quadam consideratione digna videntur.

Dignetur Eminentissimus Princeps suscipere famuli sui humillimi obsequium, quo faustissima quaeque ac prosperrima Eminentiae Tuae adprecans

Tibi se in Corde Iesu addictum declarat

P. Ioseph Van Kerckhoven
Superior Generalis
Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu

25

Rev.mi P. ALOYSII HOUDIARD

Superioris Generalis
Congregationis Religiosorum S. Vincentii a Paulo, Patrum et Fratrum

Rome 21 août 1959

Eminence,

Par votre lettre N. 1 C/59-2045, vous avez bien voulu avoir la confiance de solliciter de ma pauvre personne, quelques avis touchant le futur Concile Œcuménique.

Avec joie je me suis conformé à votre désir et c'est devant Dieu que j'ai écrit ces quelques notes, me proposant de vous envoyer ultérieurement un travail plus conséquent sur la Doctrine Sociale de l'Eglise.

En vous demandant de me bénir, je vous prie de daigner agréer, Eminence, l'hommage de mon profond respect et de ma filiale soumission.

P. Louis Houdiard
Supérieur Général

De doctrina et disciplina

Identidem per saeculorum decursum, postquam divinus paterfamilias « seminaverit bonum semen in agro suo, dum dormirent homines venit inimicus et superseminavit zizania in medio tritici ». Quae zizania licet Christus humanam fragilitatem et hostis generis nostri malitiam probe noscens, usque ad finem mundi permansura praediscerat, Pastorum tamen Ecclesiae est pro suo posse extirpare et eradicare.

Nostris autem temporibus huius modi malae plantae in immensum succreverunt in omni genere activitatis: sive doctrinae, sive morum, sive disciplinae ecclesiasticae. Breviter hanc triplicem provinciam perlustrare placeat, ut Patres Concilii sub ductu Spiritus Sancti valeant in quolibet campo meliora remedia indicare.

I. *De Sacra Doctrina tuenda*

Principem locum in bonis Ecclesiae promovendis tenet lumen veritatis, sive naturali ratione hominibus inditum, sive supernaturali revelatione humano generi patefactum: quod lumen si extinguatur, iam via salutis hominibus praecludetur.

Iamvero undequaque errorum multiplicium colluvies exundat et omnem facultatem recte cogitandi de rebus divinis et humanis adimere videtur. Sed quod maxime dolendum est, inter ipsos ministros Christi in variis regionibus errores undique serpentes irrepserunt ita ut non raro deprehendi possint sacerdotes, inter iuniores praesertim, quibus nil iam certum esse videtur, qui opera veneno mortifero referta pervolutantes, in totalem relativismum prolapsi sunt. Auctores pessimos, sive Evolutionismum integralem propugnent, sive Exsistentialismum doceant, sive resuscitent errores Albigensium et Catharorum, sive Protestantium placita proponant, hi sacerdotes frequentant et ab his omnibus aliquid veritatis accipiendum aestimant, ita ut Christifideles ab ipsis edocti, quid verum sit quid falsum iam non discernere valeant et ab ipsis suis pastoribus in erroris barathrum praecipites dentur. Habetur ubique pruritus novitatis et opinionum a sensu Ecclesiae et ab ipso definito dogmate saepe aberrantium indefinita varietas. Nec hic intentio nostra est omnia huiusmodi commenta enumerare: de animae spiritualitate, de statu primi hominis et natura peccati originalis, de realitate corporeae resurrectionis, de igne aeterno inferni, de reali Christi Domini praesentia in SS. Eucharistia, de ipsius Dei natura eiusque attributis, a pluribus varii miscentur sermones dubium atque errorem spargentes.

Potius ad radicem huiusmodi perversionis mentium in iis qui sal terrae a Christo dicuntur manum pro opportuno remedio suppeditando admovere oportet. Hanc porro radicem absque nullo dubio in deficiente tironum formatione doctrinali indicare convenit.

Constat ex multiplicibus exemplis non tradi iam Seminaristis eam Philosophiae ac Theologiae sanam doctrinam, qua in veritate sive naturali sive revelata edoctis, contra virus erroris et haereseon perversiones praemuniantur. Philosophiam perennem quam Ecclesia ut sibi propriam vindicat, non solum ignorant sed saepe contemnunt, ad scriptores moderniores sese convertentes, heri ad Bergsonium, Mauritium Roy aut Blondellium, recentius ad Sartrium aut Theillardum, vel Duméry cuius plura opera nuper in Indicem librorum prohibitorum relata sunt.

Hinc maxima interest ut:

1. Formationi alumnorum in Seminario praesertim maiori a magistris optima doctrina instructis provideatur et omnino secundum principia et rationem Doctoris Angelici, iuxta Iuris Canonici praescripta et ut Sedes Apostolica sedulo invigilet ut Episcopi hanc primariam institutionem sui cleri sedula cura procurare et promovere ne desistant.

2. Ut magistri ipsi in Romanis Atheneis quantum fieri potest, vel in aliis Universitatibus sanae doctrinae fama gloriantibus instituantur, ne accidat quod nostris alumnis audire datum est: lectorem scilicet

Theologiae in quadam Universitate Catholica praelectiones de Trinitate exorientem, suis auditoribus declarare: « doctrinam quidem dogmaticam de Trinitate ego ipse penitus ignoro, et Sanctum Thomam nunquam adivi; quapropter unice documenta historiae de evolutione huius doctrinae Trinitariae pervolvemus! ».

3. Ne permittatur tironibus seminariorum, quin et Universitatum, quoslibet auctores perlegere, nulla habita ratione prudentiae de vitando periculo perversionis et sepositis prohibitionibus, iudicio et normis Iuris Canonici, praesertim can. 1385.

4. Ne desint Pastores in sua quaque dioecesi officio suo invigilandi in scripta imprimis de rebus religiosis edita et se veram censuram adhibendi ne fideles fidei detrimentum accipiant neve ipsi Pastores ut canes muti redarguantur, non valentes latrare contra lupos gregem sibi commissum invadentes.

Unum addere oportet in hoc genere vigilantiae doctrinalis. His ultimis decenniis, serpentibus undequaque perversis doctrinis, de quibus in suis Encyclicis *Humani Generis* et in pluribus allocutionibus vehementer docuit S. P. Pius XII, quidem etsi rari inventi sunt servi Ecclesiae, sive clerici sive laici debita doctrina instructi, qui adversus errores huiusmodi fortiter dimicare susceperunt. Infensos utique habuerunt quotquot novis opinionibus favebant; qui ut facilius hanc veritatis propugnatorum censuram a se repellerent, hunc ipsum sanae doctrinae zelum sub fucato nomine *integrismi* damnare ausi sunt. Quae integrismi accusatio, si forte in aliquo casu quamdam speciem exaggerati traditionalismi seu animi quemlibet progressum vel adaptationem adversantis carpere contingeret — quod non erat alicuius erroris vitium sed actionis defectus — plerumque hoc nomine optimi quique veritatis defensores et maxime generosi Ecclesiae filii redarguebantur et ab incepto suo in veritatis integritate propugnanda non semel ab ipsis Ecclesiae praesulibus prohibiti sunt.

5. Hinc ultimo providendum est ne boni cum malis pari ratione damnentur et ut a zizaniis bonum triticum dignoscatur: cuius discriminis ratio in casu dubio per recursum ad Sedem Apostolicam eiusque Dicasteria imprimis ad Sanctum Officium facile invenietur.

II. *De morum reformatione*

Cum humana natura, etsi gratia Christi Salvatoris restaurata, sit ad bona sensibilia et ad vitia proclivis, mirandum sane non est singulis aetatibus Christifideles et ipsos Christi ministros et religiosos viros ad ima ferri et variis criminibus obnoxios esse, quibus Ecclesia, boni Sama-

ritani exemplo instructa, indesinenter mederi satagat. Plura a pluribus haud dubio hac de re dicentur. Quaedam mihi necessario notanda occurrunt, sive quoad clericos, sive quoad simplices fideles:

1. Ad clericos quod attinet, dolendum valde est plures ex ipsis in dies magis ad eas spernandas Ecclesiae leges esse pronos quibus ipsi a saeculi vanitatibus, spectaculis et scandalis arcentur;

a) veste clericali exutos saepe, ulla ratione cogente, per vias civitatum ambulare cernuntur, nullo iam discrimine exteriori a saecularium vita discrepantes, nullo idcirco argine interposito a vitae mundanae flumine protecti;

b) hinc plures ulterius procedentes, non sine fidelium scandalo et sui ipsius detrimento, ea loca frequentant a iure Ecclesia ipsis passim interdicta (can. 138); non solum tabernas, sed et publica et promiscua balnea, theatra, immo et instituta nudismo reservata;

c) libros ac periodica mundana et obscena, absque vera pastorali necessitate aut utilitate, plures passim et diuturna habitualique lectione pervolutare noscuntur;

d) frequentationes periculosas atque suspectas, quin et peccaminosas ac criminosas, quosdam non ita raro fovere constat, ex quibus aliquos identidem Ecclesia mater e sinu suo arreptos et in adversa castra transfugas dolet.

His et aliis similibus incunctanter et provide occurrere urget.

1. Quoad Christifideles, plura adhuc et gravia spiritualia damna, vel resecare vel praevenire necesse est, ut omnes quantum fieri potest se dignos vocatione sancta ostendant:

a) iam penitus apud universos fere extinguitur spiritus paenitentiae et illius necessariae austeritatis de qua Apostolus: Nolite conformari huic saeculo; omnigena enim sensuum oblectamenta sibi indulgere plerique res videtur et licita et conveniens, a vitae ratione tamen Christi crucem ferentis prorsus aliena. Quid inde mirum, si exoriente tentatione et flante vento passionum, facili clade prostrati deiciantur, lugente demortuos filios Matre Ecclesia: Cur non denuo instauraretur ieiunii et abstinentiae lex, conditionibus temporum utique accommodanda?

b) Quae de clericis dicta fuere, valet et pro fidelibus quoad spectacula, balnea, choreas aliasque frequentationes spiritui christiano adversa;

c) Plura de usu christiano instrumentorum radiophoniae et televisionis conscientiae fidelium inculcanda erunt, sive haec in publicis aulis aut palestris prodantur, sive intra domus familiaris parietes, evanescente hac de causa consuetudine preces vespertinas in communi fundendi;

d) Et quid dicam de veste et cultu muliebri, quo semper velut laqueo inimicus animas attrahere et pervertire consuevit?

Et si Ecclesia nolit iudicare de iis quae foris in mundo effrontes vagantur, quidni leges severiores et praecepta opportuna ferret de his quae templa ingrediuntur et ad sacramenta accedunt?

e) tandem instaurandus et renovandus omnino videtur sensus christianae oboedientiae, hoc currente saeculo, spiritu rebellionis et revolutionis infecto; mentique fidelium inculcandum est principium Pauli Apostoli « Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit; non est enim potestas nisi a Deo » (*Rom.* XIII 1). Cui principio christianae subiectionis radicaliter contraponitur dictum angeli rebellis « Non serviam ». Sed iam hoc ultimum ad disciplinam potius spectare videtur de qua breviter pauca notanda veniunt.

III. *De firmanda disciplina ecclesiastica*

Disciplina hic intelligitur ea qua tum in Ecclesia, tum et in aliis societatibus christiano spiritu imbutis ordo servatur a Deo constitutus et subiectio inferiorum ad superiores, sine quibus ipsa societatis ratio evanescit. Hanc disciplinam et sensum subiectionis apud plurimos tum clericos tum Christifideles parvipendi et despici videmus.

1. Apud clericos:

a) in promovendis filiis suis ad sacrum presbyteratus ordinem utique quaerit Episcopus a neo-Sacerdote: Promittis Episcopo, Ordinario tuo, reverentiam et oboedientiam? Quis tamen asseret omnes Christi sacerdotes suo promisso stare? Nec raro audire est Praesules deplorare se non posse a suis clericis debitam obtinere subiectionem;

b) sed quod maxime dolendum est, apud ipsos Seminariorum alumnos, nondum in Sacris Ordinibus constitutos, mos invaluit de suis praelatis, immo de proprio Episcopo irreverenter verba miscere.

Hic imprimis urgendum erit dictum poetae « Principiis obsta; sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras! Et tironibus sacerdotii, ille spiritus fidei alte inculcandus est quo intelligant quod meminit Apostolus « In praepositis Ecclesiae ipse loquitur Christus » (*II Cor.* 13, 8);

c) aliud et grave inconveniens irrepsit in Ecclesiasticam Hierarchiam, his ultimis temporibus, cui absque dubio efficaciter mederi oportet; constituta sunt enim, pro nostrae aetatis conditionibus quae maiorem exigunt colligationem et collaborationem inter ipsas dioeceses, sic dicta organa interdioecesana, organismi foederativi; quae, tamen, si nimis multiplicentur et variis facultatibus plus aequo instruantur, ipsi Constitutioni Ecclesiae divinitus ortae contraire invenientur, singulis Episcopis in suis dioecesibus, propria auctoritate sublata vel constricta.

Exempla habentur non admodum rara, ubi simplices sacerdotes secundi ordinis, normas, mandata, directivas ut aiunt et rationes agendi in apostolatu aut administrationis perfunctione tenendas ad aliarum dioecesium sacerdotes transmittunt, inscio immo aliquando invito et contradicente tum proprio Episcopo mandantis, tum Episcopo sacerdotum qui talia ab extra recipiunt mandata. Quis non videat talem conditionem et abnormem esse et multis difficultatibus viam parare?

2. Apud fideles maxime urgendus erit supradictus sensus debitae subiectionis in suos diversi ordinis praelatos:

a) in sacerdotes utique et spirituales moderatores, refraenando morem qui apud quosdam laicos invalescit suis sacerdotibus praeeundi, etiam in rebus religiosis et in apostolatus exercitio;

b) in parentes, restaurata necessaria reverentia filiorum in eos qui et genuerunt et ad plenam aetatis adultae perfectionem eosdem ducere debent;

c) in varios societatis civilis praepositos, sive supremos, sive intermedios et infimos, in mentem fidelium revocantes quod Apostolus indubitanter de ipsis ethnicis principibus asserebat: Ministri enim Dei sunt: (*Rom.* XIII 6), immo quod et Dominus Noster Praesidi Pilato affirmabat: « Non haberes potestatem adversum me ullam nisi tibi datam esset desuper ».

Non enim alia ratione ordo civicus undique subversione corruptus redintegrari poterit, manente forma democratica regiminis politici, nisi Christifideles in corpus societatis verbo et exemplo spiritum sincerae subiectionis infuderint « non solum propter iram subditi sed etiam propter conscientiam » (*Rom.* XIII 5).

Ceteris plurimis non omissis, haec tamen principaliora Patribus Oecumenici Concilii, pro modulo nostro suggerere nobis visum est.

Interim « Spiritum gratiae et precum » « assidue invocantes », optamus ut Universalis Synodus proxime colligenda, Ecclesiam Christi valeat intime renovare eamque longe, lateque extendere « Ut filios Dei, qui sunt dispersi congreget in unum! » (*Ioan.* XI 52).

De Actione Catholica

In sua allocutione prooemiali diei 5 octobris 1957 ad secundum Conventum Apostolatus laicorum ex toto orbe Romae coactum, Pius Papa XII de quadam lugenda et sat diffusa loquebatur molestia — « un regrettable malaise assez largement répandu » — qua laborat Actio Catholica. Qua quidem molestia sive angore abhinc fere 30 annis variae

Actionis Catholicae Associationes et premuntur et ad invicem infenso animo adversantur. Cuius molestiae naturam et originem primum fusius describere liceat, ut subinde quid remedii afferrendum sit suggeratur.

I. *Natura molestiae Actionis Catholicae*

Constat in primis acceptione nimis angusta ac restricta huius vocabuli « Actio Catholica, ad determinatos coetus coarctati, quales sunt I. O. C. (Iuventus Opificum Catholicorum), I. E. C. (Iuventus studiis addicta), A. C. O. (Actio Catholica Operariorum), etc. ... in quorum gratiam, quoddam monopolium tali ratione constitutum est. Quotquot praeter illas habebantur Consociationes, e finibus Actionis Catholicae exsulabant et eo ipso quadantenus videbantur favore Praesulum Ecclesiae destitutae, quin immo ipsis et offensae et quasi despectae. Sic accidit ut per tricennium Actio Catholica sic accepta et circumscripta primatum gereret in damnum quarumlibet sodalitatum apostolicam activitatem navantium; quin et suspicionem et damnationem inferebat iis qui alia ratione sub diversis vexillis pro Regno Christi militabant « Vos, cum non sitis Actionis Catholicae sodales, ex hac nostra dioecesi exclusos sciatis! ».

Ut brevi dicam: species excrevit in genus et cuculus, dum adolesceret e nidulo proiecit aviculas ante se ortas. Sicque in damnum animarum, pro dolor! Actio Catholica facta *Organizatio unitaria,* dum oporteret ipsam esse *Organismum foederativum.*

Quot numeranda sunt opera de Ecclesia Christi hucusque optime merita, quae saeculo elapso et primis huius saeculi decenniis in militia Christi primum agmen ducebant, sed cuius apostolicus impetus fractus constitit, cuius navitas vituperio patuit, eo quod Actionis Catholicae tessera non essent insignita!

II. *Causae eiusdem molestiae*

1. Praecipua huius angoris ratio ab ipsius vocabuli Actionis Catholicae usu pendet. Initio tali nomine vocabantur quaedam iuvenum agmina, quae gallice « mouvements » dicuntur, post invitamentum S. P. Pii Pp. XI ad laicorum apostolatum exorta.

Mos paulatim invaluit ipsis tale nomen exclusive reservandi, dum alia opera iam tum existentia vel postmodum nascientia huiusmodi titulum non prae se ferebant, quippe quae autumabant talem denominationem sibi non esse essentialem.

Res videretur prima specie parvi momenti; cum in nudo vocabulo totum negotium consisteret: quid refert nomen, dummodo labor apostolicus ab omnibus praestetur.

Sed mox apparuit laborem apostolicum talium Associationum titulo Actionis Catholicae non insignitarum, immo et ipsarum vita et existentia hac ratione in discrimen adduci, ob praedictum vocabuli monopolium.

2. At crevit adhuc praefatum « malaise » sive molestia, quia brevi deventum est ad doctrinae cuiusdam elaborationem, qua sectionibus Actionis Catholicae, ipsisque tantum tribuebatur delegatio potestatis hierarchicae, sive « Mandatum », ut aiunt, qua publici iuris fiebat in Ecclesia Apostolatus laicorum.

Cumque in oculis multorum plurimum valeat id quod est publici iuris, seu ut dicitur « officiale » iam velut res nullius et omnino despicienda censetur quod tesseram Actionis Catholicae non prae se fert.

3. Nec solius speciei seu honoris res est. Agitur de iuridico « mandato » seu auctoritate Actionis Catholicae. Sunt qui loquntur de mandato explicito et implicito. Sed ubi incipit vel desinit implicitum huiusmodi mandatum? Datur et mandatum pro tali provincia seu fractione activitatis, quam proinde consociatio haec aut illa facile sibi asciscit, ut exclusive propriam, reiecta qualibet aliorum concurrentia quae dicitur. Quo invalescit superius deploratum monopolium, refraenatis quibusque aliorum activitatibus.

Quis non videt quantis obscuritatibus et aequivocis acceptionibus pateat notio Actionis Catholicae et hierarchici mandati eidem facti et quanto referat ut quamprimum talis notio elucidetur et ab omni interpretatione nimis restricta arceatur. Nec cunctandum est ullo modo, cum in dies crescat, in damnum utique Ecclesiae et animarum contentio inter Actionem Catholicam et reliquas apostolatus catholici formas.

III. *Reformatio quam auspicamur*

Actio Catholica requiritur quae non sit coarctata sed omnibus patens et aperta. Quod sequentibus rationibus commendatur:

1. Eo quod Apostolatus non sit opus humanum quod unice humano criterio et arbitrio subiacet; sed e contra opus divinum a Spiritu Sancto procedens, qui ubi vult spirat et in dies suscitat et promovet in Ecclesia Dei novas pro temporum necessitate apostolatus formas; nec divino Flamini sunt veluti a priori praecludenda ostia; nec his in operibus propriis, pure humanis, conceptibus inhaerendum est sed Spiritus gratiae obsequendum.

Speciminis gratia recolatur multiformis Ordinum et Congregationum

religiosarum varietas, quae divino afflante Paraclito per saeculorum decursum in Ecclesia Christi floruerunt! Quidni in laicorum apostolatu eiusdem rationis diversitas admittatur? Quare quaedam formae tantum talis apostolatus, ceteris exclusis, titulo et privilegiis germani apostolatus insigniantur, Spiritus Sancti veluti libertate constricta? Hic pariter valet dictum Salvatoris: « In domo Patris mei mansiones multae sunt », non solum ob activitatum species diversas, sed in eadem specie ob varias rationes ad eumdem finem tendendi, non se invicem excludentibus, quin potius mutuo sese fulcientibus horum illorumque industriis.

2. Ipsa natura hanc nos edocet diversitatem: In ordine mere naturali ad hominum multiplicibus subveniendum necessitatibus, quanta artium varietas, sive pro cibo procurando, sive pro tecto et aedibus variis astruendis, sive pro vestibus, pro vectura, pro ipso otio vel ludo ad animi remissionem suppeditandis! Quidni similiter ad animarum indigentiis providendum pari ratione multorum navitatem convergere oporteat?

Decet nosmet indole et dotibus a Deo acceptis diversos agnoscere, quin et diligere. Nemo solus, nec item opus vel institutio quaelibet sola, mundo salvando sufficit; in Christi Corpore Mystico sumus omnes invicem membra.

3. Sic dictum « monopolium » discordiam fovet. Non enim dissensio vitari potest, ubi alii proprio iure vivendi et operandi privantur. Qui sibi exclusive arripit iura omnia, reliquos ad interitum adigit, veluti asphyxia perimendos, et ad repugnandum provocat, quidquid sit de singulorum recta immo optima intentione.

IV

Nec menti Ecclesiae consona est haec ratio agendi. Semper visa est Sancta Sedes favere diversitati operum ad apostolatum spectantium.

1. « Ubicumque inveneritis, sic S. P. Pius XII ad italicae Actionis Catholicae sodales, pro Christi et Ecclesiae causa sinceram voluntatem, sagacem et perspicacem navitatem, *sive in vestris ordinibus, sive extra Actionis Catholicae septa, etsi novas prae se ferant apostolatus formas dummodo germanas, gaudeatis oportet;* ne illas prohibeatis, quin immo amico animo easdem adeatis et ipsas iuvetis. Tot tamque urgentes sunt necessitates quibus Ecclesiae occurendum est, ut accepta sit quaelibet manus suum offerens generosum concursum » (7 septembris 1947).

b) Idem invitamentum legi potest in nuntio radiophonico ad Conventum Congregationum Marianarum, Barcinone die 7 decembris 1947 coactum: « Errori quorumdam praevertere oportet, qui zelo forte lauda-

bili ad uniformem rationem reducere conantur activitates in salutem animarum tendentes, easque omnes uni typo communi adaequare, *quadam myopia laborantes,* quae a traditione et suavi mente Ecclesiae omnino aliena est, cui Paulus Apostolus haereditatis instar, hanc reliquit doctrinam « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus (*I Cor.* XII 4). Et sicut in exercitu alia et alia habentur armorum et copiarum genera, sua ipsa varietate et cooperatione ad victoriam ducentia; sic et Ecclesia, praeter alias zeli apostolici formas, etsi magni faciendas et necessarias, *Ecclesia cupit et fovet etiam institutiones apostolatus saecularis,* quales sunt Congregationes marianae; *ipsas vult florere* et *crescere iuxta proprias methodos,* unde appareat in militia Christi haberi multiplicem et fecundam varietatem apostolatus catholici variis operibus et institutis constantem, quae intensa navitate sub regimine Supremi Pastoris Ecclesiae operantur ».

c) Item ad Actionem Catholicam Italiae Pius Papa XII, die 5 septembris 1940 haec dicebat:

« Actio Catholica iuxta se alias consociationes agnoscit, ecclesiasticae auctoritati pariter subiectae, quarum quaedam finem apostolicum similiter prosequentes et *ipsae hierarchici apostolatus adiutrices dici possunt.* Has Associationes inter et Actionem Catholica, quis non intelligat quantum requiratur ut mutua intercurrat benevolentia, lata comprehensio, sincera cooperatio ».

d) Non favet Ecclesia exclusivismo quem dicunt. Parochos Urbis et concionatores sacrae Quadragesimae, die 10 martii 1955, S. P. Pius XII alloquens similiter dicebat:

« In computandis viribus vitandum est vitium quod non raro occurrere videmus. *Ex his scilicet viribus quaedam a parocho ignorantur, quaedam minoris aestimantur* vel *penitus detractantur, nisi forte et aperte refringantur.* Omnes, precor, brachiis apertis excipite, cunctis inceptis benedicendo quae approbat Ecclesia. Sacerdoti non licet, nisi iusta de causa, vexilla attendere sub quibus Christifideles coguntur nec insignia quae gestant, dum sint Ecclesiae benedictione ornata. Optatus veniat quisquis se vobis in adiutorium praesentet. In immensum patet dominicus ager et innumeris indiget operariis ut debite excolatur ».

e) Quibus omnibus allatis ambigendum non est quin Ecclesiae arrideat Actionis Catholicae « unitas multiformis »; quam rursus idem S. P. Pius Papa XII ad iuventutem Opificum Catholicorum — I. O. C. — Romae in Conventum coactam, die 25 augusti 1957 verba faciens sequenti ratione inculcabat:

« Utinam vestrae Consociationis sodales, sua praesentia, suaque cum ceteris eodem generoso spiritu animatis coetibus collaboratione valeant

huiusmodi laboris conceptum in officinas aliasque opificum sedes vel tirocinia immittere ... *Expleatur apostolatus vestri activitas sub quodam prospectu " universalitatis "*... ut aiunt, *viribus unitis cum sodalitatibus* aut publici aut privati iuris ad eumdem finem adlaborantibus ».

V. *Problematis solutio*

Nulla praedictae difficultatis solutio prostat praeter eam quam ipse S. P. Pius Papa XII proposuit in supralaudata allocutione ad Conventum apostolatus laicorum ex toto orbe, Romae, coactum: emendatio scilicet (sive reformatio quam dicunt) vocabuli, et emendatio structurae.

1. Emendatio vocabuli sive « terminologiae ».

Nil maioris interest quam sedulo invigilare in verborum significationem, in terminorum propriam acceptionem, si quis velit ipsas res significatas sarta tecta servare; quod quidem maioris interest cum de Ecclesiae sermone agatur qui vim sibi vindicat universalem.

Quapropter omnino necesse est ut vox Actio Catholica studio partium subtrahatur, *quacumque significatione specifica et restricta exspolietur* ac *sensu generico sibi connaturali,* iam ab omnibus accipiatur *omnes sub se species conglobante.*

Ad hoc sufficiet ut vox « Actio Catholica » reservetur ut ait Pius XII « summae omnium apostolatus laici formationum quae ut tales sive in quocumque natione, sive inter nationes universae agnitae sint, et quidem a propriis Episcopis in singulis nationibus, sive a Sancta Sede quoad coetus per varias nationes diffusos. Sufficeret proinde ut quilibet activitatis coetus proprio vocabulo veniret ac sua veluti forma specifica insigniretur, nec genericum titulum sibi proprium faceret ».

Hinc in posterum utique sermo esset de Iuventute Opificum Catholicorum, de Iuventute studentium Catholicorum, de Iuventute Patronatuum (Patronages) etc. ... at neutra ex his sodalitatibus sibi ut proprium ascisceret nomen Actionis Catholicae, sicut nullis ephemeridibus permittitur ut sibi arripiant exclusivum catholicae Editionis vel Proelii titulum: sic tandem deveniretur ad multiformem illam unitatem a pontificiis oraculis propugnatam.

Hac vocis significatione determinata, Concilii Oecumenici Patres conditiones clare definirent quibus coetus aliquis Catholicae Actionis nomen mereretur. Nec enim fas est tali titulo cohonestare quamlibet navitatem quae Actionis Catholicae indoli non respondeat.

2. Emendatio structurae.

Determinata mox significatione vocis, ad rationem practicam iam deveniendum erit coordinandi sive in eadem dioecesi, sive in quacumque

natione, sive inter nationes, diversos Actionis Catholicae coetus, non quidem modo unitario quem dicunt, sed ratione foederativa. Actio Catholica ad hoc in primis tendit, ut nulla anima, sanguine Christi redempta, Christi influxui et gratiae subtrahatur. Hunc Christi influxum salutiferum Ecclesia cuique animae humanae, non una excepta, materne providere satagit. Hoc studium apostolicum primarium in ima formatione Actionis Catholicae, cellula scilicet paroeciali se prodet, Consilio constituto paroeciali cuius munus erit singula opera seu coetus intra paroeciam existentia confoederare et ad invicem ordinare. Consilium hoc in centro positum, nec tamen omnia in unum quid cogens, internam cuiusque coetus structuram intactam servaret, non tantum theorice sed practice et iure, singulorum agendi et organizandi methodos ut legitimos agnoscens; vitam et activitatem cuique propriam, statuta, ordinem hierarchicum, functiones ac legitimam autonomiam singulis sodalitatibus integra vindicaret.

Attamen ad Consilium hoc paroeciale Actionis Catholicae spectaret statutis temporibus activitatem diversorum coetuum inspicere, quo valeat iudicare de genuina ipsorum vi agendi catholica, ne sub praetenso titulo Actionis Catholicae existant opera solo nomine talia. Eidem Concilio competeret progrediente tempore ad rationem Actionis Catholicae perducere ea nova incepta initio forte ab eadem aliena et pedetentim ad veri et feracis apostolatus catholici indolem accedentia.

Quae de Consilio paroeciali dicta sunt, simili ratione gradatim superioribus Actionis Catholicae ordinibus applicanda erunt, constabilitis Consiliis interparoecialibus, dioecesanis, e tota natione coactis et tandem inter nationes.

Non pertimescenda est diversitas ipsa, quae e contra magnum est bonum, sed potius confoederationis vel mutuae comprehensionis defectus.

Conclusionis instar hoc summum notetur: Non hic agitatur quaestio mere iuridica sed problema apostolicum quod salutis animarum maxime interest; quae quidem salus nimis constricta ordinatione pessumdatur. Messis quidem multa in immensum succrescens; operarii admodum pauci, quos, si in sinum largi cuiusdam ac flexibilis organismi omnes coadunare voluerimus, centuplum fructum sine dubio in horrea Patris aeterni congregabimus.

De activismo

Quanam de causa, variae Actionis Catholicae Associationes, quas Summi Pontifices suscitarunt, a quibus magnos fructus expectabant, in multis regionibus elangues sunt et apud hominum turbam fere nil momenti habent?

Ratio est quod Associationes praedictae « anima Apostolatus » carent. Cuius inopiae, Sua Excellentia Dominus Théas, Montis Albani Episcopus, in suis ephemeridibus diei 14 decembris 1944, in memoriam revocabat. Sic ait:

« Sua Sanctitas, in audientia quam mihi largiri dignatus est, imperia diserta dedit... Primum imperium: nihil magis refert in Apostolatu sive sacerdotum, sive laicorum quam Vita interior, Vita unionis cum Deo, Vita de qua sic loquitur Apostolus: Vita vestra abscondita est cum Christo ».

« Haec ultima verba Summus Pontifex pluries repetivit, qualemcumque virtutem operibus apparentibus fortiter denegans, nisi ista unione cum Christo fecundentur. Sine divina gratia, nulla stat res ... Sine Vita interiore, quilibet apostolus, in haeresim actionis labitur ».

Heu! Summi Pontifices, etsi verba sua urgeant, etsi *doctrinam exponant,* non audiuntur; nam hic, non de pura disciplina, sed de vera doctrina catholica agitur.

Hoc argumentum breviter explanare aggredior.

I - Summi Pontifices, definitionem militis Actionis Catholicae, veram eius notionem enucleate exposuerunt.

1. *Miles Actionis Catholicae delectus Christianus esse debet*:

a) Hanc doctrinam Episcopis Italiae S. P. Pius Papa X distincte tradidit:

« In primis quidem in omnium cordibus fixum sit instrumenta deficere nisi operi cui adhibenda sunt, apta efficiantur, Actio Catholica, quoniam omnia in Christo instaurare sibi proponit, verum constituit apostolatum ad honorem et gloriam ipsius Christi. Ut recte expleatur, gratia requiritur divina quae Apostolo non datur, nisi Christo ipse uniatur. Cum Iesum Christum in nobis efformaverimus, tunc facilius eumdem familiis societatique restituere poterimus. Ideoque quotquot ad regendam vel promovendam actionem catholicam vocantur aut se eidem dederint, *ipsi catholici sint oportet firmissimi, de sua fide certi, in religionis rebus recte edocti, sincere Ecclesiae obsequentes* et praesertim huic supremae cathedrae apostolicae, Vicarioque Iesu Christi in terris; *vera pietate ornati, virtutibus praeclaris, moribus integris, vitaque adeo exemplari ut omnibus exemplo sint efficaci* » (die 11 iunii 1905).

b) Sua Sanctitas Pius XI fere in omnibus sermonibus, in suis ad universos Episcopos litteris, eamdem doctrinam magni momenti inculcandam nititur.

Ad Episcopos Columbiae, die 14 februarii anno 1934, hanc epistolam ab *Osservatore Romano* die 20 aprilis 1934 publici iuris factam mandabat:

« Il ne sera pas inutile de signaler que la tâche de l'A. C. doit en premier lieu remplir parmi les organisations de jeunesse... et parmi celles des adultes, c'est la droite et complète formation religieuse et morale, basée sur une solide piété, une honnêteté de mœurs éprouvée... *attendu qu'il ne sera pas possible de procurer une efficace et généreuse coopération à l'apostolat hiérarchique, si ce n'est pas des personnes menant une vie chrétienne irréprochable, bien convaincues et éclairés des vérités de foi et animées d'un ardent amour pour Notre Seigneur et les âmes* ».

Ad Episcopos Brasilienses, eamdem doctrinam litteris de Actione Catholica, diei 27 octobris 1935 exponit:

« Ac primo quidem vos hortamur, ut omni studio ad eorum formandos effingendosque animos incumbatis, qui in Actionis Catholicae agminibus militare velint; horum *namque institutio de re religiosa, morali ac sociali ad apostolatum hac aetate afficaciter obeundum perquam necessaria videtur* » (*Quamvis nostra*).

Ad Episcopos Mexicanos, litteris diei 28 martii 1937, Sua Sanctitas eodem sensu urget:

« Neque vero muneris amplitudo suadere vobis debet, ut numerum potius prosequamini quam virtutem sociorum laboris; sed quemadmodum Magister Dominus post longam praeparationem paucos sane annos in Apostolatu peregit, neque multos in Apostolicum collegium sociavit, sed lectos viros, qui Regnum ipsius in orbe terrarum constabilirent, ita et vos, Venerabiles Fratres, *ante omnia curare debetis, ut Actionis Catholicae Moderatores et praecones, ad principia supernaturalia penitus conformentur* quin anxietate efficiamini, si principio " *pusillus grex* " tantummodo existat » (*Firmissimam Constantiam*).

c) Si ad Papam Pium XII nos convertimus, eamdem veritatem saepe saepius ab Illo exponi comperimus. Sufficiant haec verba quae, die 4 septembris 1940, ad Actionis Catholicae militantes dirigebat:

« Il fondamento precipuo dell'Azione Cattolica, vuol essere la unione con Dio, vale a dire, se i suoi membri porteranno nell'Apostolato una profonda formazione religiosa, spirituale e culturale... l'appartenenza all'Azione Cattolica implica una selezione, domanda uno spontaneo slancio di dedizione generosa che non indietreggia nell'offerta e nel sacrificio di se stesso, impone e determina una squisita preparazione e formazione ... Sopra ogni altra cosa Noi raccomandiamo la preghiera, la cosciente partecipazione al Sacro Sacrificio della Messa, la frequenza ai Sacramenti, gli Esercizi Spirituali e... l'animo del Sacrificio gran legge e condizione della fecondità dell'Apostolato » (*Se a temperare*).

2. Haec militantis Actionis Catholicae formatio, Apostolatum ipsum praecedere debet.

a) Pii XI, Papae Actionis Catholicae ea, in genere, mens est ut ipsius Christi Redemptoris exemplum omnes ante oculos habeant, intelligantque in duas partes Salvatorem vitam suam divisisse, quarum altera, per 30 annos, in contemplatione versa est, altera vero praedicatione et trium annorum apostolico labore impletur. Eidem Papae placet methodum quo Salvator ad Apostolorum formationem usus est, in memoriam revocare. Illorum praeceptor et magister, tribus annis, esse voluit, et tantummodo post Spiritus Sancti receptionem, illis regiones mundi evangelizandas tradidit.

Litterae ad Episcopos Mexicanos, de quibus supra, hoc abundanter demonstrant.

b) Idem Summus Pontifex, 1200 Iocistas Galliae in audientiam recipiens, die 24 septembris 1921, sic eos affatus est, secundum *Osservatore Romano* diei 26 eiusdem mensis:

« Vous devez réfléchir bien souvent que l'essentiel de la vie du Rédempteur, la résumé de toute son œuvre, *la perfection de son œuvre, ce fut la formation, la préparation de ses apôtres*... Sa suprême appréhension était de les quitter, sans qu'ils fussent devenus parfaits et alors il leur promettait le St-Esprit. Je vous enverrai le St-Esprit et il vous dira toute la vérité. Il finira votre formation. *Quand* il les a vus formés, *quand* il les a vus remplis du St-Esprit, *quand* il les a vus parfaitement éclairés, alors il est remonté au ciel. Sa grande œuvre était accomplie. Il pouvait leur dire: Euntes docete, allez donc de par le monde; allez et prêchez partout. *Voyez comme vraîment la préparation des Apôtres est l'œuvre de Notre Seigneur c'est la préoccupation essentielle de sa divine pensée* ».

c) Recurrente Sancti Aloysii Canonizationis secundo Centenario, Pius XI Reverendissimo Patri Ledokhowski Litteras Apostolicas mittebat quarum verba clariora et pretiosiora esse non possent.

« Quo qui interiorum, earum patrimonio virtutum, quae in Aloysio mirifice eluxerunt, destituti sint ac careant, non eos profecto ad vitae pericula et certamina, non eos ad apostolatus coepta satis armatosque fore existimabimus, sed *factos veluti aes sonans et cymbalum tinniens*, aut nihil profuturos, aut forte nocituros illi ipsi causae, quam agendam defendendamque susceperint, quemadmodum superioribus aetatibus haud semel evenisse in comperto est. Itaque nonne tempestive, opportuneque in haec tempora incidunt saecularia eiusmodi Gonzagae sollemnia, quippe qui suae exemplo vitae iuvenibus, ad externa ingenio proclivibus atque ad prosiliendum in vitae actionem promptissimis, *suadeat*

ut proximos et rem catholicam ne ante curent, quam se ipsi interiorum virtutum studio atque exercitatione perfecerint » (*Singulare illud*).

Quibus diversis documentis, Summorum Pontificum luce clarior mens circa militis Actionis Catholicae dispositiones apparet.

II - Sed pro dolor! non omnes illis obsequuntur.

1. Plures Actionis Catholicae Associationes — hic praesertim de Apostolatu Galliae loquor — ut populum attrahant, illi speciem quamdam humanam praebent « un idéal d'humanisme », ut dicunt. In suis conciliabulis, vitam aeternam, conatus et carnis crucifixionis necessitatem silentio praetereunt; in his sermo est de humanae personae sublatione; in suis ephemeridibus de nostra terrestri conditione, de vita humaniore, faciliore, iucundiore reddenda tractatur. Et si forte de eorum vita christiana Actionis Catholicae militantibus sermo habetur, illis religio sub specie cuiusdam medii, ut via ad meliorem vitam obtinendam proponitur.

2. Nonnulli istarum Associationum circuli, parvis fructibus apostolicis contenti sunt. Illis enim magno pretio est: omnes ephemerides distribuisse, sollemnitates quasdam exteriores cum felici exitu conduxisse, in conventu quodam multos homines coadunasse. Multum valere in turbis, periti in scientiis professionalibus vel moralibus videri, pluris aestimatur quam vitam propriam moralem et religiosam perficere.

3. Praesertim, uti dicunt, cavendum est ne populo Associatio appareat ut parochi propria, ut coetus catholicorum ad sacerdotis influxum ampliandum. Associatio apparere non debet confessionalis, scilicet religiosa, scopos mere religiosos prosequens.

Obiectivus Actionis Catholicae militis conceptus sic describitur: « Ab Associatione, nec militantibus suis, nec a fortiori novitiis in apostolatu, nec generatim suis sequacibus, fidelitas absoluta vitae religiosae imponi debet. Huius fidelitatis exigentia in eo deveniret ut multi iuvenes, praesertim militantes tirones quibus vita religiosa adhuc aliena est, ab Associatione discederent.

Ceterum multis in casibus, magis apostolicum est militantibus, ut iocis populique laboribus immixti sint quam ut religiosas caeremonias participent. Immo certum est vitam christianam non in exercitiis religiosis, sed in caritate (non supernaturali, ut ex conceptibus apparet) et liberalitate consistere ».

III - Illa inobedientia versatur in materia doctrinali de qua nemini disceptare licet, cui e contra ab omnibus obsequium praestandum est.

Pius Papa XII in sua epistola circa *Apostolatum per orationem,* hoc principium doctrinale luculenter exponit.

Scribit enim: « Apostolatus vester omnibus christianis hoc princi-

pium doctrinale utilissime memorat, scilicet: neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus » (*I Cor.* III 7).

Totius mundi conversio, e duabus subordinatis causis, actione scilicet Dei et apostoli exurgit.

1. Deus ut Causa principalis. Ipse, Ipse solus gratiam concedit. Iam ex hoc capite clare apparet Sanctitatem Apostoli, cum sui laboris fecunditate relationem intimam habere. Gratiam suam enim illi Deus generaliter elargitur, qui eam ab Ipso postulat iuxta promissionem suam: « Petite et dabitur vobis ».

Iamvero, ut scribit Sanctus Thomas (II II q. 83, a 11) « Quanto Sancti sunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces ».

Quapropter cuiusque animae potentia, non qualitate aut suae actionis extensione mensuratur, sed coniunctione cum Deo qua fruitur. Sanctus Ioannes Vianney nunquam e sua paroecia egressus, suis tamen precibus et poenitentia a Deo obtinuit ut undequaque ad se animae confluerent et ad paenitentiae sacramentum accederent.

2. Sanctitas Apostoli alia ex parte requiritur eo quod Apostolus Causa Instrumentalis in apostolatu constituatur. Ut enim aliquis munere instrumenti fungi queat, qualitatibus et energiis talibus instruatur oportet, quibus idoneus fiat ad Causae principali inserviendum. Non enim securis a lignario assumeretur nisi vim secandi sibi inditam haberet.

Cum autem Iesus Christus « indigere membrorum suorum auxilio » velit, cum ad effundendos Redemptionis thesauros, Corporis Mystici membris uti velit, tamquam divinae gratiae instrumentis, in eis reperiat qualitates quibus aptos ad hunc effectum producendum reddentur, necesse est.

Atqui una tantum est qualitas qua Deo homo uniatur, una tantum dispositio quae illum Deo acceptum reddat, nempe vitae et morum Sanctitas. « Haec, ait Pius X, quae demum est supereminens Iesu Christi scientia, sacerdoti — a fortiori laicis — si desit, desunt ei omnia. Nam ab ea disiunctae ipsa exquisitae doctrinae copia... ipsa agendi dexteritas et sollertia, etiamsi emolumenti aliquid vel Ecclesiae, vel singulis afferre possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt flebilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affluat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere (*Haerent animo,* die 4 augusti 1908).

Duplici titulo igitur in quolibet Apostolo Sanctitas exigitur:

Ut gratiam qua animae sublevantur, a Deo Causa principali, obtinere possit, et

ut in manibus Dei, instrumentum aptissimum, virtutem divinam nullatenus impediens sed plene effundens, evadat

Ad conclusionem

Placeat Concilio Oecumenico.

1. Voluntates Summorum Pontificum fortiter urgere et ab omnibus Actionis Catholicae militantibus exigere, ut sint delecti Christiani, ut idoneam praeparationem recipiant, antequam apostolatum activum adeant.

2. Favere Institutionibus quae hanc formationem secundum documenta pontificia distribuunt.

De doctrina sociali Ecclesiae

1. Christifideles permulti Ecclesiae doctrinam socialem penitus ignorant; inter eos qui eiusdem aliqualem cognitionem habent, quidam autumant eam esse inter opiniones libere disputandas permissam.

Nec desunt sacerdotes talem persuasionem foventes. Cui erratae opinioni contradicit omnino quod S. P. Pius Papa XII, die 29 aprilis 1945 affirmabat Conventum Actionis Catholicae Italiae alloquens « *Obligandi vi praedita est* (*haec doctrina socialis Ecclesiae*), *nec quisquam valet ab ipsa recedere absque fidei ordinisque moralis discrimine* ».

Anno 1947, idem Summus Pontifex asserebat: « Nihil non timor ullus amittendi bona et temporalia commoda, non periculum ne a cultu civili nostri temporis alieni, vel a patrio amore aut a studio rerum socialium remoti videantur, christianos sinit ab hac via vel uno gressu discedere ».

Et rursus anno 1952 Catholicos austriacae ditionis, iisque mediantibus omnes Christifideles hortabatur « ut *fideliter rectum tramitem doctrinae socialis catholicae sequerentur, nec ad dexteram, nec ad laevam deflectentes*. Quia parva deflexio in principio, etsi nullius momenti appareat, in fine tamen periculosam deviationem a recto itinere secum ferret » (19-IX-1952).

Haec Pontificis monita sacerdotibus et Actionis Catholicae sodalibus strictum conscientiae officium imponunt doctrinae socialis Ecclesiae cognoscendae, perscrutandae, diffundendae.

Adhuc tamen multis ignota manet haec doctrina socialis. De his qui circa ipsam disceptant vere dici potest: « oculos habent et non vident ». Continet enim talis doctrina quamdam mundi christianam perspectionem et apprehensionem: visionem dico tum hominis singularis, tum familiae, tum ordinis oeconomici, tum politici, tum mundi universi constituendi.

2. Doctrinae quidem Socialis Ecclesiae fontem primarium in lege naturali et in verbo Dei revelato agnoscimus; eius autem explicitam

rationem in Sedis Apostolicae documentis invenimus: in Litteris nempe Encyclicis, in Epistulis Summorum Pontificum, in eorum Allocutionibus. Ipsa invenitur in primis in Encyclicis « Rerum Novarum » « Quadragesimo anno » et in quamplurimis Pii XII orationibus.

Haec tamen doctrina, quae mirabilem unitatem praesefert, nullibi in synthesim redacta est qua veluti uno conspectu mira eius amplitudo et ratio practica perspiciatur; quo fit ut in oppositas sententias discedant catholici ipsam interpretantes.

3. Quapropter optandum omnino est ut Oecumenicum Concilium onus sibi assumat huiusmodi synthesim elaborandi, quae Concilii Tridentini doctrinae capita quodammodo compleret quaeque Pastores Ecclesiae obligaret ad plebes suas ipsam edocendam.

His autem capitibus ipsa constare videtur:

I - De recta notione hominis secundum Ecclesiae doctrinam:

1. de humanae personae dignitate;
2. de ratione qua inter se radicitus aequales sunt homines;
3. de iuribus inamissibilibus;
4. de iure ad bona materialia, ad laborem ...

II - De christiana oeconomiae socialis notione:

1. quae oeconomia debet esse *humana;*
2. *boni communis;*
3. *organica;*
4. *dynamica,* sociali scilicet iustitia et caritate informata;
5. *Legi* tandem *morali subiecta.*

Talis synthesis a Concilio Oecumenico omnino elaboranda est; multis enim fidelibus, quin et sacerdotibus unica norma credendi et agendi videtur esse doctrina sive a Conciliis sive a Summo Pontifice ex Cathedra loquente proposita.

Quamplurimi ignorant vel oblivioni dant Romani Pontificis Encyclicas, Epistulas, Nuntios Radiophonicos, Allocutiones in quibus praecipue doctrina socialis Ecclesiae continetur, esse veram fidei et morum regulam quae fidelium Christi adhaesionem exigit. Est enim Magisterii Ecclesiae Ordinarii expressio authentica cui obsequium praestandum est ab omnibus:

« Neque enim putandum est, sic ait iterum Pius Papa XII, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo etiam illud valet "qui vos audit, me audit"; ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa

data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse (*Humani Generis,* 12 augusti 1950).

Contrario errori iam via praecluderetur, ad Socialem Ecclesia doctrinam quod attinet, si eiusdem summa capita clare et concinne proponerentur, a Pastoribus Ecclesiae suis fidelibus necessario exponenda.

Similiter insimulatio refelleretur qua Ecclesiae obiciunt ipsi nunquam curae fuisse opifices sublevare et falsa assertio ipso facto concideretur qua dicitur Ecclesiam, sicut nullam habet philosophiam propriam, sic nec propriam habere doctrinam socialem.

P. ALOYSIUS HOUDIARD
Superior Generalis
Congregationis Religiosorum S. Vincentii a Paulo,
Patrum et Fratrum

26

REV.MI P. IEREMIAE PURTILL

Superioris Generalis
Societatis Patrum S. Edmundi Oblatorum S. Cordis Iesu
et Immaculati Cordis Mariae

9 novembris 1959

Eminentissime,

Petitiones ad Concilium Oecumenicum:

1. Petitur ut quaedam associatio officialis, permanens atque ecclesiastica stabiliatur cum duplici fine:

1) ut doctrina et praxis coetuum protestanticorum hodiernorum systematice atque exhaustive investigentur;

2) ut fructus talis investigationis tradatur manibus ordinariorum superiorumque qui sic possent instruere subiectos eorum.

2. Cum elenchus systematicus instructionum contionumque, ad detrimentum fidelium, multis in locis desiderari videatur, suggeritur ut talis quodammodo conficiatur. Ita episcopi sic res disponere possent ut eorum fideles instructiones bene dispositas in materia dogmatica, morali, sociali, et liturgica reciperent.

3. Petitur ut permissio ad recitationem lingua vernacula Horarum

Canonicarum Breviarii Romani, praecipue Vesperarum et Completorii, in ecclesiis, collegiis etc. concedatur laicis; et porro, ut sacerdotes, diaconi et subdiaconi qui in tali recitatione participant, ipso facto obligationem quoad illas horas impleant.

4. Petitur ut saltem consideratio detur usui linguae vernaculae in celebratione Sancti Sacrificii Missae.

P. Ieremias Purtill
Superior Generalis
Societatis Patrum S. Edmundi Oblatorum
S. Cordis Iesu et Immaculati Cordis Mariae

27

Rev.mi P. IOSEPHI A. DE PALMA
Superioris Generalis
Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu

Romae, 23 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

In primis venia mihi humiliter petenda est quod tantam moram adhibuerim ad rescribendum Litteris sub n. 1 C/59-2704 Tuo nomine a Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico ad nos missis. Huius morae causa fuerunt adiuncta adversa saepe a voluntate nostra non pendentia. Quae hic proponuntur, non necessario mentem ipsius Congregationis S. C. I. repraesentant; sed nobis visum est ea etiam afferre a quibus dissentire forte convenit, ut haec Pontificia Commissio plane fiat certior de iis quae reapse a multis viris religiosis cogitantur ac dicuntur ...

Quaestiones Dogmaticae et Biblicae

An conceptum traditionis Dogmaticae clarius determinare expediat. Etenim post ultimam definitionem dogmaticam videtur conceptus historicus Traditionis insufficiens esse. De Traditione dogmatica nonnullae obscuritates manebant, ad quas illustrandas multa studia prodierunt. Quaestio nunc adeo profecisse, videtur ut declaratio auctoritativa dari possit ac debeat. Etiam dicendum esset verbum auctoritativum de operatione Spiritus Sancti in magisterio ecclesiastico et in sensu fidelium ...

An mutuam inter Scripturas et Traditionem habitudinem, iam a Concilio Tridentino delineatam, pressius determinare expediat: intellectio Scripturarum his temporibus in discrimine versatur, etiam propterea quod exegetae hodierni in varias difficultates incurrunt, cum textus sacros simul methodo philologico-historica et iuxta Traditionem interpretari conantur. Radix difficultatum hic etiam videtur esse incertitudo in applicatione practica conceptus Traditionis ad studia historica.

An documenta papalia, praesertim Encyclicae Litterae, magis quam hucusque ut *loci theologici* (interpretativi utique) adhibenda sint.

Quaestiones morales-disciplinares

An usus nefarius limitandi prolem (birth control), atque etiam tentatum vel consummatum divortium (nulla obtenta licentia ecclesiastica) speciali censura ecclesiastica punienda sint.

An catholicos studentes aetate maiores, qui sua culpa institutionem et observantiam religiosam neglegunt, *quamdiu in Institutis acatholicis studiis vacant,* speciali aliqua ecclesiastica censura plecti conveniat.

An sacramentum Extremae Unctionis immediate ante operationem chirurgicam tam gravem ut periculum mortis secum trahat, administrari liceat, etsi ante operationem periculum internum nondum adsit.

An expediat praxim confessariorum relate ad satisfactionem sacramentalem prudenter reformare ita, ut paenitentiae « reales » opera satisfactoria imponantur, non unice modica exercitia pietatis, quemadmodum fere semper fieri solet.

An usus vestis talaris sacerdotalis ad functiones liturgicas unice restringi possit, ita ut foris vestiri liceat modo magis consentaneo temporibus modernis.

Quaestiones liturgicae universe spectatae

An et quomodo maius spatium in liturgia cultui *latriae* erga Spiritum Sanctum dari conveniat: multum quidem Spiritus Sanctus invocatur, at parum, ut videtur, explicite adoratur.

An venerabile nomen Sancti Ioseph, Sponsi B. M. V., in Canonem Missae recipere conveniat.

An quoad Officium divinum lectiones I Nocturni, et quoad Missae sacrificium lectionem Epistulae et Evangelii ita ordinari conveniat, ut selectio lectionum S. Scripturae habeatur ad alendam pietatem recitantium et adstantium magis idonea.

An lectiones historicas II Nocturni recognosci conveniat ...

An Cyclum liturgicum sanctoralem adhuc magis contrahere expediat ad Cyclum temporalem magis locupletandum.

Quomodo solvi possit quaestio de collocatione tabernaculi in iis locis sacris, ubi Missae sacrificium conversa in populum sacerdotis facie celebrari solet.

Quaestiones liturgicae sub adspectu pastorali consideratae

An expediat ut lingua vulgaris ad Proclamationem Verbi (Parole), universaliter adhibeatur loco linguae latinae, saltem in Missa lecta vel etiam in Missa cantata et in Missa sollemni, ubicumque necessitates spirituales populi fidelis id requirunt. Quod idem ut in sacramentis Baptismi, Matrimonii, Extremae Unctionis fieri liceat optatur... Versiones authenticae et melodiae sacrae simplices quidem ac variis linguis accommodatae inveniendae essent pro Epistulae et Evangelii cantu. Non enim datur « Proclamatio », si sermone non intelligibili fiat. Et usus linguae latinae, versione in sermonen vulgarem ex adverso posita, parum utilitatis afferre dicitur. In Missa cantata *Kyrie* graece et *Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei* latine cani pergerent. In Missa cantata et in Missa sollemni potestas fiat — si necessitas vel utilitas pastoralis id expostulat — cantandi lingua vulgari *Introitum, Graduale, Offertorium, Communionem*. Conversio in linguam vulgarem facienda spiritum cuiusque temporis liturgici exprimat, absque obligatione textum latinum Missalis Romani ad litteram reddendi. Episcopatui cuiusque Nationis congrua libertas tribui possit liturgicos ritus ita ordinandi ut culturae et indoli propriae Nationis magis consonent magisque fidelium animos alliciant ...

An Missae celebrationem, si adstante populo peragatur, sic vel similiter mutare conveniat: Sacerdos celebrans non iam recitat quae populus vel schola cantorum canunt; ipse cantantibus se societ. — Sola liturgia Eucharistica in altari peragatur —. Saltem in Missa lecta, Canon connectatur Praefationi voce satis elevata; vel, ad minimum, conclusio totius Canonis: Per ipsum etc., legatur (seu cantetur) elata voce usque ad: Per omnia saecula saeculorum, inclusive, et quidem omissa genuflexione, ne haec oblationis formula rumpatur. Vi principii a Synodo Tridentina statuti, ac ceterum a Pio Papa XII f. r. in Encyclicis Litteris *Musicae Sacrae Disciplina* (*A.A.S.*, 48, 17) memorati: « .. ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant etc. ... » liceat celebranti, cum est solus, directe precationem et activam participationem fidelium moderari ... et quidem extra homiliam, quae explanando Eloquio Divino reservetur. Evangelium S. Ioannis, in fine Missae nunc legendum, ne deinceps tan-

quam lectio ad altare recitetur, cum iam fidelium « Missa » locum habuerit; sed, saltem post Missam lectam, nisi cantus exitus a populo cantetur, gratiarum actionem sacerdotis introducat. Attamen, ne tollatur simpliciter, quippe quod est pulcherrimum ac semper prodest « drama » nonreceptionis Verbi Dei recolere.

Quaestiones de Apostolatu aptius ordinando

An ad succurrendum paucitati ingravescenti vocationum sacerdotalium normalium expediat ut primitiva functio « presbyterorum (episcoporum) », Gallice: presbytres, évêques, cf. tit. 1. 5, 7; denuo in usum revocetur. Mens propositi est ut viri, etiam matrimonio iuncti, saltem 40 annos nati, ab baptizandum et ad Eucharistiam celebrandam ordinentur. Ad id muneris assumantur nonnisi viri seu patresfamilias exemplares, honesti, diligentes, postquam rite probati fuerunt. Hoc modo plures numero Missae celebrari poterunt in parvis paroeciis, vel in paroeciis cum nonnullis oratoriis. Attamen, praedicare et absolvere ad eos sacerdotes pertinere perget, qui studia sacra rite in seminario absolverunt ad normam *CIC*.

An ad occurrendum sacerdotum penuriae sufficiat ut primitiva functio diaconorum restituatur, ad quam ii essent vocandi, qui supra recensentur.

An expediat ut in territoriis Missionum exterarum Fratres laici seu coadiutores et missionales, congruam formationem adepti, diaconatum recipere valeant, exclusive in ipsis Missionum territoriis exercendum.

Annon vias et normas statuere expediat, unde unitas Actionis Catholicae in forma dioecesana et nationali ad effectum adducatur, omni superato « particularismo ».

Quaestiones vitam religiosam spectantes intuitu apostolatus

An quoad curam animarum *ordinariam* relationem mutuam inter clerum saecularem et religiosum clarificare conveniat. Etenim in non una regione, praesertim ubi clerus saecularis sufficit, sacerdotes religiosi non ut pares tractantur et ideo non vocantur nisi ad ministeria molesta vel saltem operosa, utputa, ad confessiones audiendas, ad praedicandum, etc. huiusmodi. A ministeriis stabilibus facile arcentur et removentur ...

An relate ad quaedam munera implenda parem idoneitatem cleri religiosi magis agnoscere conveniat. Nam in non una Regione viget lex, non quidem scripta, sed ordinarie applicata, ne sacerdos religiosus v. gr.

in munere professoris ordinarii Universitatis constituatur. Ad solos sacerdotes saeculares huiusmodi munera deferuntur. Qui, si forte desiderantur, tunc ad sacerdotes religiosos recurritur, sed ut suppleant tantum, usquedum aliquis saecularis sacerdos praesto sit.

An statuere expediat normam ut religiosae feminae potius ea caritatis opera suscipiant, quae a laicis feminis vix suscipi solent. Ita in quibusdam locis nosocomia bene a laicis feminis suscipi possent, cum aegre inveniantur laicae, quae invalidos seu imminutos mente vel corpore curare paratae sint. Plurimae religiosae feminae (Sorores), eum apostolatum parum exercent, quem Regulae earum praecipiunt, et propter quem earum Societates conditae sunt. Famulantur enim in seminariis, in domibus religiosorum, etc. ... Dubium non est quin vita abscondita multum valeat ad alienum apostolatum fecundandum, sed iam a monialibus contemplativis excolitur. Illas famulas quam maxime ad vitam missionalem deducere expedit. Quod ceteroquin necessitatibus hodiernis animarum ac praesertim mentibus evolutionique puellarum nostri aevi plane respondet. Sorores famulas feminae saeculares substituere possunt; sacrificium pecuniae, quod huiusmodi suppletio secum feret, maiore et urgentiore animarum bono iustificabitur atque compensabitur.

An regulam statuere expediat ut in capitulis electivis religiosarum religiosae non-Superiorissae maiore proportione sedeant ad hoc ut nimia gubernationis stabilitas minui possit. Practice evenit ut munera seu officia gubernationis et consilii inter Antististas et Consultrices maiores dividantur, eo quod maiorem partem Capituli constituunt, id quod facile contingit, cum Institutum in Provincias dispertitur. Antistita generalis non raro longe ultra temporis spatium in Regula statutum in munere conservatur et, cum tandem senio fracta, officio cadit, in officium Vicariae generalis eligi solet ... Sed, nostris temporibus rerum adiuncta citius mutantur evolvunturque, ita ut praecitata nimia stabilitas in nocumentum cedat.

Valde expedire videtur informationes colligere ab illis sic dictis Organismis seu Secretariatibus centralibus, qui in variis Nationibus rem pastoralem, socialem, liturgicam excolunt.

Declaratione explicita opus non est non in his votis, consiliis, animadversionibus propositis, Deo iuvante et B. V. Maria deprecante, ea dumtaxat intendere ac velle quae menti sanctae Matris Ecclesiae congruant, ac plane summo ecclesiastico Magisterio obsequi parati sumus. Longe plura eorum quae animadvertuntur vel animadverti possunt, non tam defectui bonarum legum quam defectui observantiae harum legum ex humana fragilitate derivanti tribui oportet. Licet sanctam Matrem

nostram Ecclesiam diligamus sicuti est, delectamur tamen expectatione vultum eius perennem aliquando novatum iri.

Dum invitationi supra memoratae quantum potui satisfecisse me arbitror, omni, quo par est, obsequio me declaro ac profiteor

Servum dev.mum et addictissimum in C. I.
Eminentiae Tuae Rev.mae

P. IOSEPH DE PALMA
Superior Generalis
Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu

28

REV.MI P. ANTONII BOSCHETTI
Superioris Generalis Piae Societatis Taurinensis S. Iosephi

Romae, 1 septembris 1959

Rev.mo ac Em.mo Domino,

Grato animo, nuntio mihi transmisso adhaerens, haec duo puncta saltem, considerationi Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico habendo subicere vellem.

Primum, nostrae religiosae familiae percarum, ad cultum S. Ioseph publicum magis ampliandum fovendumque se refert, prout in Postulatione iam in Concilio Vaticano habita satis apparet.

In qua cum secunda pars petitionis felicem exitum nacta fuerit, proclamatione S. Ioseph Patroni Ecclesiae Universalis a Pio IX f. r. gloriose facta, prima vero pars quae directe cultum liturgicum Protoduliae S. Ioseph tribuendum fovebat, oblivioni est tradita.

Scimus tamen, plurimos religiosos viros ac doctos et hodie eandem sententiam quam duodequadraginta Patres Cardinales et plus quam ducenti Episcopi tenuerunt in praefata Concilio Vaticano habita Postulatione, adhuc firmiter retinere ut magis consonam, clarissimi Ecclesiae Universalis Patroni sanctitati.

Quapropter et humilis nostra religiosa familia haec eadem vota instanter voce depromit mea: scilicet ut S. Ioseph Protoduliae cultus a S. Congr. Rituum decernatur ac venerabile nomen S. Missae Canoni inseratur.

Hinc optatum alterum: oramus denique ut Maioribus qui vocantur Superioribus Congregationum Religiosorum non exemptorum, adiumenta iuridica ad disciplinam religiosam etiam vi coërcitiva tuendam spec-

tantia concedantur: iura quae *C.I.C.* Superioribus Maioribus Ordinum ac Congregationum exemptarum praebet ad Sacerdotum et Sacerdotii alumnorum formationem guberniumque pertinentia.

Ex praxi aliquando valde onerosa petitionis ratio desumatur oportet. Cum *C.I.C.* Superiorum Congregationum non exemptarum iisdem oneribus formationis ac gubernii conscientiam oneret ac Ordinariorum, ut ex ipso codice patet, eadem denique iura concedantur quibus eadem onera imposita sunt, est necesse (cf. Instruct. S. Congr. de Religiosis: *Quantum Religiones* 1 decembris 1931).

Haec humiliter considerationi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico habendo subicio atque eidem ut in labore conficiendo praesto sit Deus ex toto corde exopto.

Eminentiae Vestrae
addictissimus filius

P. Antonius Boschetti
Superior Generalis
Piae Societatis Taurinensis S. Iosephi

29

Rev.mi P. EDUARDI CARDONA RODRÍGUEZ

Superioris Generalis Societatis Missionariorum a S. Ioseph

Mexici, 22 augusti 1959

Beatissime Pater,

Infrascriptus, Superior Generalis Societatis Missionariorum a S. Ioseph (Mexici), humillime provolutus ad pedes Sanctitatis Vestrae exponit quasdam animadversiones circa res et argumenta quae in Concilio Oecumenico celebrando tractari poterunt:

1. Religiosae ceteris mulieribus, in iis quae spectant ad iurisdictionem et circumstantiam loci ad confessiones recipiendas, aequiparentur. Proinde abrogentur can. 876 § 1, et interpretatio *C.I.C.* (28 dec. 1927. *A.A.S.* XX, 61) iuxta quam circumstantia loci requiritur. Nam in praesenti legislatione: *a*) praescripta canonum 520 et 521, propter sacerdotum penuriam et numerum excedentem religiosarum, vix ad praxim deduci possunt; *b*) religiosae in peiore condicione quam ceteris mulieribus stant in aliquo maximi momenti, ut est sacramentum misericordiae Dei; *c*) in aliquibus casibus, sacerdotes, non designati, qui tenentur illas confessiones audire, intranquillitates conscientiae patiuntur. Aliae normae prudentiae ad abusus vitandos possunt et debent excogitari.

2. Abstinentia ab operibus servilibus, actibus forensibus, etc., quae continetur in can. 1248, et abstinentia a carne iureque ex carne, et ieiunium, quae praescribuntur in can. 1250 et seq., supprimantur, eo quod nullibi et fere a nullo observantur, ex ipsis etenim theologiae moralis principiis, praecipue in hodiernis adiunctis, facillime excusantur; est igitur lex sine subiecto adimplente. Harum praescriptionum loco, alia bona opera praescribi possunt, v. g. recitatio alicuius partis rosarii, aliquod opus sociale caritatis, etc.

3. Normae praebeantur, non solum ad solvendas difficultates inter Ordinarium loci et religiosos, vel inter sacerdotes saeculares et religiosos, aliquoties cum populi christiani scandalo exsurgentes, sed etiam ad laborem mutuum fovendum et mutuam caritatem excitandam, nam omnes eodem fine operamur, et labor coniunctus maiore efficacitate praeditus est. Hac ultima ratione, et maxime in hodierno mundo qui dies in dies mensuris universalibus circumscribitur, multum iuvaret quaedam inter varias communitates religiosas collaboratio.

4. Maternitas spiritualis Virginis Mariae dogma fidei definiatur. Tale est desiderium theologorum, Universitatum catholicarum, Religionum universique populi christiani.

5. Officialiter agnoscatur locus qui in oeconomia Redemptionis S. Ioseph occupat et eius nomen in « Confiteor » ac in Canone Missae inseratur.

Forma rubricalis sacramenti paenitentiae, a Rituali Romano praescripta, longior quam par est apparet speciatim cum, quod iterum atque iterum accidit, multorum confessiones excipiuntur. Proponatur ergo forma brevior ut expeditior sacerdotum labor evadat.

6. Similiter in sacrae communionis distributione formula longa adhibetur, et ordinarie, etiam diebus feriatis, magna pars populi ad sacram mensam accedit. Apta formula poterit esse: « Corpus Christi. Amen ».

7. Permittatur quotidie saltem una Missa vespertina in omnibus ecclesiis magnarum urbium et ubi necessarium sit, itemque Sacrae Communionis distributio horis vespertinis maiore cum largitate permittatur nam praecipue in magnis urbibus permulti, sive labore, sive scholaritate sive aliaque id genus, nequeunt horis matutinis nec Missam audire neque communicare sine magno incommodo.

8. Propter bonum fidelium, omnibus sacerdotibus qui habeant facultatem audiendi confessiones concedantur facultates benedicendi, imponendi, indulgentias elargiendi, quae usque nunc manent reservata aliquibus, vel quibus est licentia, ut impositio scapularii Virginis a Monte Carmelo, benedictio Rosarii, etc.

9. Lingua vernacula linguam latinam suppleat in omnibus iis in qui-

bus usu linguae propriae maior fructus ratione intellectionis a populo christiano percipi potest, v. g. in Missis, saltem diebus dominicis celebrandis, excepto Canone, in ritu Confirmationis, vel baptismi, etc.

10. Apostolatus suggeratur ut operariorum et intellectualium et politicorum hominum classes ad Christum redeant. Et modus imponatur ut Ecclesia in quantum talis, proinde etiam fideles, operibus socialibus caritatis amplius vacent; evidenter maiori ratione sacerdotes vacare debent, quod fiet, quando prae oculis habentes non esse professionistas sed imitatores Christi, maiore cum fervore et proprium profectum non quaerendo, animabus ceterorum tradantur.

11. Exigatur vita communis inter clericos ut maxima sanctitatis clericalis externa custodia. Et in genere fiat quidam accessus vitae sacerdotis saecularis ad vitam religiosam, nam sacerdotium bene adimpletum fere idem est ac vita religiosa, ex una autem parte castitatis votum ex vi subdiaconatus habetur, ex alia parte semper necessaria erit sacerdotis obedientia, quae, si cum voto exerceretur, magis meritoria esset; et tandem nequit sacerdotium sine quadam paupertate excogitari.

12. Recitationis Breviarii diminutio, si opportunum visum fuerit, saltem diebus in quibus labor ministerialis amplius exerceri solet.

13. Mutatio paragraphi secundae can. 976, ita ut Ordines maiores seu sacri ne conferatur nisi post absolutum curriculum pastorale in quo prudenter cum mundo contactus habendi sunt, eo fine ut maiore cum convictione ad sacros Ordines accedant.

14. Parochi inamovibiles ne existant.

15. Habitus ecclesiasticus extra domum sit vestes, sic dicta, « clergyman »; intra domum vero, vel in labore ministeriali, sit habitus talaris indifferenter sive albus sive niger, in regionibus tropicalibus.

16. Praescriptum can. 552 § 2 abrogetur, rarissime enim dantur circumstantiae quae talis legislationis causa fuerunt. Olim erat necessaria exploratio voluntatis; non vero hodie.

17. Obligatio a can. 1502 imposita onus intolerabile ipsis fidelibus apparet et occasionem porrigit Ecclesiae adversariis in illam probrosa verba effutiendi. Proinde supprimatur. Ceterum sunt hodie multae formae quibus necessitatibus materialibus Ecclesiae satis fiat.

18. Inseratur in Codice Iuris Canonici institutum exclaustrationis ad nutum Sanctae Sedis, in hodierna iurisprudentia S. Congregationis negotiis Religiosorum praepositae usitatum, cum legislatione congruenti.

Et Deus ...

P. Eduardus Cardona Rodríguez
Superior Generalis
Societatis Missionariorum a Sancto Ioseph

30

Rev.mi P. PETRI BONNEFOY

Superioris Generalis Congregationis Presbyterorum a S. Maria de Tinchebray

Simplex enumeratio rerum quae praesertim ad disciplinam aut ritualia pertinent et potissime ad Ius Canonicum vel Rituale spectant. Iam sane animadversiones istae cognitae sunt, a magis peritis examinatae, iudicatae vel iudicandae. Aliunde in peculiaribus rerum, locorum ac personarum adiunctis exortae sunt; tamen reverenter hic per indicem haec omnia expono et subiicio.

De clericis

Can. 135: Ut recitatio horarum canonicarum sit fructuosa et unusquisque agere possit pro viribus suis, ad meliorem pietatem, Breviarii reformatio optatur.

Can. 36: « Habitus ecclesiasticus sit decens ». Vestis autem talaris hodie invite et secundum talem phantasiam a multis fertur ut de decentia illa dubitari possit.

Can. 132: Etiam illi qui praestantiam et decorem castitatis experiuntur et quibus de legis caelibatus momento suspicio ne quidem datur, non possunt ignorare mira quae hodie de hac lege cogitantur vel dicuntur, nec in hac re successus rerum ponderare, erroribus sat frequentibus compromissos.

Can. 573 et 975: Aetas canonica tam pro professione perpetua quam pro ordinibus sacris suscipiendis sit protracta usque forsan ad 30um annum.

De Religiosis

Ad veram vitam religiosam tuendam attentis hodiernis circumstantiis in sentiendo et in operando, evocata difficultate inveniendi viros qui, praeter canonicas qualitates, etiam dotibus humanis et sacerdotalibus sint praediti pro formatione et pro regimine in parvis congregationibus, evocato dubio de formatione Noviciorum qui sint 2 vel 3, evocata hodierna indole ad maiores Communitates prona nec tacito periculo pro aliquibus vitam magis independentem quaerendi vel ducendi in parva congregatione, optanda videtur unio vel fusio plurium parvarum congregationum. Cum autem pura et mera unio practice multas secumfert diffi-

cultates, forsan melior solutio esset in « unione progressiva » — saltem voto vel consilio Auctoritatis provocata — v. g. 1, 2 vel 3 congregationes firmae et stabiles, communi consensu, scholam apostolicam regionalem erigunt, deinde Novitiatus fit communis necnon studia superiora et sic paulatim in unum congregantur periclitantia instituta.

De Sacramentis

De baptismo. Ordo baptizandi infantes sit magis accommodatus parvulorum conditioni, brevior quidem, exclusis repetitionibus, suppressisque forsan aliquibus symbolis.

Liceat facilius baptismum privatim conferre (domi et in clinicis) ita tamen ut postea suppleatur ingressus in ecclesiam.

In baptismo adultorum, ritus omittantur qui minus hodiernae indoli conveniunt (repetitiones, exorcismorum reductio), vel saltem, ut in vigilia paschali, ordinarie et semper praemittere liceat caeremonias quae collationem baptismi praecedunt.

De confirmatione. Ut licite patrinus baptismi adhiberi possit.

Ut omni sacerdoti (saltem vicariis cooperatoribus) moribundo assistenti, facultas tribuatur, cum licentia parochi, sacramentum confirmationis conferendi ad normam Indulti generalis et Instructionis pro simplici sacerdote ex delegatione hoc sacramentum administrante.

De paenitentia. Iurisdictio sit facilior, v. g. ita ut data ab uno Ordinario loci ad magis extensum territorium applicari possit.

Can. 909-910. Cum saepe pro aliqua fidelium categoria, sedes confessionalis incommodum constituat forsan minus urgeatur, ubi vera causa est necessitatis, servato canone 908.

Censurae et casus reservati numero et categoriis reducantur.

Accidit, in hodiernis adiunctis, ut unus sacerdos, aliunde ministerio pressus et defatigatus, audiendo habeat 100 vel 200 pueros. Consideratis humanis viribus, nonne absolutio generalis videretur opportuna in hoc casu, examine conscientiae quidem rite et publice facto, sigillo servato, quamvis confessarius singulos secrete non audierit; aut, post publicum examen circa omnes defectus quibus moraliter obnoxii sunt, singuli privatim tantum confiteantur ea quae superessent et confessarius singulos absolvat, non obstante propositione 59 proscripta ab Innocentio XI (Denz. n. 1209).

De Extrema Unctione. Etiam extra casum necessitatis, unica unctio in fronte vel unctio in 4 sensibus et in fronte sit sufficiens, quod magis commodum videtur in nosocomiis et etiam in locis semi-christianis.

De Matrimonio. Can. 1060-1061. Impedimentum mixtae religionis

minus urgeatur, dummodo de fide et de baptismi validitate dubium non exoriatur.

Can. 1109-1102: 2°. Saepius « graviora mala oriuntur »: ut nihil in hac re aestimari possit odiosum, videtur aliquos ritus in ecclesia admitti posse.

Item revisioni videntur subiiciendae aliquae praescriptiones pure locales quae matrimonia catholicorum diversi ritus ultra complicant.

Arduum et gravissimum pastoribus ponitur problema de melioribus mediis quibus animarum saluti consuletur illorum qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium tantum civile attentaverunt post divortium civile, itemque de modo illis indistincte leges ecclesiasticas imponendi (can. 766, 2356 etc.).

De Missa. Saepe adhuc quaestio ponitur (relate ad praesentiam requisitam) ab illis qui, ex vera causa, Missam audire non possunt nisi per radiophoniam vel televisionem.

Ad multas discussiones dirimendas, aliqui putant forte satis esse statuere

— preces post Missam non esse de praecepto;

— preces in principio privatim recitandae, v. g. dum sacerdos ad altare ingreditur;

— usus linguae vernaculae pro parte instructiva, cum repetitio epistolae et Evangelii — quamvis diversis linguis — facile fastidiosa evadat: hoc in Missis non cantatis.

De ieiunio et abstinentia. Lex hodierna simplex et benigna est, oritur tamen difficultas relate ad vigiliam Concept. Immac. B. M. V. (obligatio Assumpt. B. M. V. translata) in locis ubi hoc festum non est de praecepto.

Item, abstinentia singulis feriis sextis aegre probatur ubi quasi totalitas fidelium (et infidelium) a lege excusatur, alii autem de eius observantia parum curant..., nemo tamen de eius modificatione serio cogitat.

Can. 1248. Quamvis quaestio poni non potest legem particularem conficere pro una categoria fidelium, adhuc minus negligentiis indulgere, magis tamen attendant moralistae ad casum illorum qui in vere peculiaribus adiunctis (quasi missionibus) vitam christianam ducere conantur, sed spectato gradu instructionis religiosae, spectato praesertim ambitu in quo versati sunt, gravi praecepto sanctificationis festorum vix quidem satisfacere possunt et nisi 5-10 vicibus in anno Missa audiunt.

Can. 467-468, 1329 sq. etc. Superfluum non videtur optari ut vita pastoralis non sit obruta nimia meticulosaque administratione neque evadat in statisticis conficiendis, quaestionibus constituendis et aliis similibus. Faveant qui in 1° gradu scalae sunt (v. g. directiones sic dictae foede-

rales vel nationales) cogitare quid in infimo gradu accidit, in gradu scilicet executionis (v. g. parochus) ubi vera datur inundatio rerum, ephemerides, litterae passim dimissae, libelli, monita, programmata pro varietate fidelium et rerum quasi in infinitum quaesita ita ut quis potest sibi quaerere si adhuc remanet momentum doctrinam revelatam exponendi, cultum divinum celebrandi et sacramenta administrandi.

Ut in initio notavi, haec omnia sunt aliqua argumenta summatim hic indicata, alia pertinent ad vota, alia ad puras animadversiones quibus facta vel opiniones constant. Haec omnia modeste et omni cum reverentia Pontificiae Commissioni trado et subiicio.

P. Petrus Bonnefoy
Superior Generalis Congregationis Presbyterorum
a S. Maria de Tinchebray

31

Rev.mi P. FRANCISCI SERCU

Superioris Generalis Congregationis Immaculati Cordis Mariae

Scheut, die 29 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Per litteras diei 18 iunii 1959 (Prot. 1 C/59-2056) Eminentia Vestra rogavit me ut Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico communicare vellem animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Huic invitationi libenter obsecundans, consilio inito cum Assistentibus meis et quibusdam viris ecclesiasticis peritis ac prudentibus, rebusque mature perpensis, vota quae in foliis adnexis exponuntur, cum omni reverentia et obsequio, at insimul cum filiali libertate ac pietate, praedictae Pontificiae Commissioni proponenda esse duximus, hoc unum prae oculis habentes ut maius Ecclesiae et speciatim Missionum bonum, necnon et salus animarum exinde uberius semper promoveatur.

Datorem omnium bonorum suppliciter deprecor, ut luminis sui claritate laborem Pontificiae Commissionis circumfulgeat atque illustret.

Interim, omni qua par est reverentia, purpuram deosculans remaneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimus servus
P. Franciscus Sercu
Superior Generalis
Congregationis Immaculati Cordis Mariae

I. Disciplina ecclesiastica

1. Exoptatur maior celeritas in expediendis negotiis apud Curiam Romanam, tam pro rebus administrativis quam pro contentiosis. In specie, Commentarium Officiale, *Acta Apostolicae Sedis,* saepe saepius ita procrastinatur ut textus officiales maximi momenti *tardius* ad lectores perveniant.

2. Optatur ut documenta *ecclesiastica* quae a Curia Romana prodeunt, exarentur *lingua latina et stylo simplici,* sive haec documenta in *Acta Apostolicae Sedis* publicentur, sive directe personis ecclesiasticis mittantur.

3. Optatur ut omnia documenta *ecclesiastica* quae aliquem valorem pro Ecclesia universali habent, quaeque publicari possunt, in *Acta Apostolicae Sedis* promulgentur. Nonnumquam illa documenta non publicantur in Commentario Officiali, sed in aliis foliis, v. g. in *L'Osservatore Romano,* quod non est organum officiale Curiae Romanae.

Nihil sane obstat quominus documenta S. Sedis separatim edantur; expedit vero ut eadem documenta, ad eorum notitiam et observationem efficacius promovendam, etiam in *Acta Apostolicae Sedis* promulgentur.

Nonnulla documenta exigui vel etiam nullius momenti pro Ecclesia universali melius, uti videtur, non in *Acta Apostolicae Sedis* sed alio apto modo promulgentur, v. g. erectio Basilicarum Minorum.

4. Cum Curia Romana multis exteris nimis appareat unius nationis esse, expedire videtur ut relative plures personae aliarum nationum ad officia et munera in Curia et in servitio diplomatico Sanctae Sedis nominentur.

5. Episcopus etsi unicus sit legislator in dioecesi, debet tamen *frequentius* aurem praebere iudicio peritorum sive apostolatus animarum, sive etiam administrationis temporalis. Ad hoc urgeatur *celebratio Synodi dioecesanae* decimo saltem quoque anno — ut habet canon 356 — ad quam vocandi sunt etiam sacerdotes qui non sunt parochi sed praesunt operibus maioris momenti totam dioecesim spectantibus, v. g. Actio Catholica vel similia. Immo hac occasione expostulentur consilia et vota quorumdam *laicorum*, v. g. in Commissione praeparatoria Synodi.

6. Praeferendus videtur, praesertim in dioecesibus missionum, coetus Consultorum Dioecesanorum Capitulo Canonicorum. Ratio est quia coetus Consultorum facilius renovatur, cum officium Consultoris sit ad triennium (can. 426). Talis autem renovatio optanda est, ut novis adiunctis novisque necessitatibus facilius occurratur.

7. Gravius damnum oriri potest toti dioecesi ex quadam inhabilitate Episcopi ita senio confecti ut necessitatibus hodiernis occurrendis omnino impar sit (can. 429). Frequenter tunc accidit ut nemo de hoc monere

audeat Episcopum. Desideratur dispositio legalis ut huic difficultati occurratur.

8. Ad promovendum bonum Ecclesiae et fidelium, nullus parochus sit inamovibilis.

9. Optatur ut per modum experimenti, praesertim in missionibus, Episcopis concedatur facultas conferendi *diaconatum* viris selectis, etiam matrimonio iunctis, qui non promoveantur ad sacerdotium. Ratio voti est quia hi diaconi poterunt supplere magno defectui sacerdotum obeundo varia munera quibus sacerdotes nunc non sufficiunt, v. g. praedicare verbum Dei, administrare baptismum, Sacram Communionem distribuere, assistere matrimoniis, functionibus et caeremoniis religiosis in stationibus subsidiariis praeesse, catechumenos instruere, praeesse administrationi temporali, etc.

10. Sacerdotibus, praesertim ministerium animarum habentibus, ampliores concedantur potestates, sive ordinis sive iurisdictionis, in rebus quae frequenter occurrunt, ut v. g. potestas erigendi Viam Crucis, benedicendi scapularia, rosaria et numismata, saltem ea quae communis usus facta sunt in Ecclesia.

11. Optatur ut habitus ecclesiasticus hodiernis adiunctis aptetur et urgeatur.

12. Ne *frequentius* mutentur leges mere ecclesiasticae, ut v. g. lex ieiunii et abstinentiae. Ratio est quia quandoque nec ipsi sacerdotes vel confessarii recordantur quid nunc vim legis habeat, et talis frequens mutatio valde minuit reverentiam Auctoritati legislativae ecclesiasticae debitam.

13. Optatur ut praescripta de alienatione bonorum ecclesiasticorum adiunctis hodiernis aptentur, ratione habita utilitatis Ecclesiae et valoris realis pecuniae nostris temporibus.

II. Disciplina Religiosorum

Exoptatur maior aequiperatio inter Ordines religiosos et Congregationes religiosas clericales iuris pontificii. In specie valde optatur:

1. Ut Superiores maiores religionis clericalis iuris pontificii habeant iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro foro externo intra tamen religionem.

2. Ut Superior generalis religionis clericalis iuris pontificii habeat ius dandi litteras dimissoriales ad conferendos suis subditis ordines etiam maiores.

3. Ut Superior generalis religionis clericalis iuris pontificii habeat

potestatem dispensandi in votis *temporariis* suos subditos. Ratio est quia nostris temporibus multi iuvenes tarde tantum definitivum propositum circa vitam religiosam efformant.

4. Ut Superior generalis Congregationis clericalis iuris pontificii licentiam dare possit mutandi testamentum conditum, quin necesse sit recurrere ad S. Sedem. Ratio est quia practica necessitas mutandi testamentum saepe occurrit ob mutata adiuncta, et proinde casus mutationis testamenti nimis frequentes sunt.

5. Optatur ut novitii qui iure civili adhuc incapaces sunt testamenti condendi propter defectum aetatis, non teneantur praescripto can. 569, § 3; testamentum tamen postea, aetate requisita impleta, quamprimum conficiant.

6. Cum casus de quo in can. 105, 1°, saepe occurrat apud religiosos, expedire videtur ut solvatur dubium quoad verba eiusdem canonis: « ... si consilium tantum (exigatur), per verba, ex. gr. *de consilio consultorum,* vel *audito Capitulo, parocho* etc., *satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat* »: num consilium requiratur ad valide agendum?

III. Disciplina missionaria

1. Ius missionale in Codice Iuris Canonici evolvatur cum adaptationibus necessariis et opportunis, ratione habita instructionum et decretorum S. Sedis post Codicem editorum necnon rerum et apostolatus evolutionis in missionibus.

2. Exoptatur ut *Facultates Apostolicae* quae fere quotidie adhibendae sunt, in Codice I. C. incorporentur, sicut antea variae Constitutiones Pontificiae et Facultates Apostolicae in ius commune relatae sunt.

3. Exoptatur maior aequiperatio inter potestatem parochi et potestatem rectoris stationis missionalis, atque inter vicarios cooperatores parochi et coadiutores rectoris stationis missionalis, praesertim cum experientia constet rarissimas fuisse erectiones quasi-paroeciarum. Hac aequiperatione erectio quasi-paroeciarum et paroeciarum efficacius praeparari videtur.

4. Enixe optatur ut doctrina et legislatio saltem fundamentalis cooperationis omnium fidelium ad missiones exteras *pressius* definiatur et promulgetur.

5. Item valde optatur ut doctrina et legislatio fundamentalis quoad *apostolatum laicorum* tam intra quam extra missiones exteras *pressius* definiatur et promulgetur.

6. Ad utilitatem Ecclesiae, praesertim in missionibus, desideratur

documentum pontificium, in quo in unum corpus doctrinae redigantur variae Instructiones et decreta S. Sedis quae respiciunt « colonialismum », « decolonisationem », nationalismum, amorem patriae. Utilitas huius documenti pontificii in eo est quod Episcopi et sacerdotes de his argumentis tractantes, doctrinam catholicam, auctoritate S. Sedis declaratam, secure, uniformiter et efficaciter suis subditis proponere poterunt.

7. In multis regionibus missionum bonum fidelium et Ecclesiae postulare videtur ut dispensatio super impedimento mixtae religionis et disparitatis cultus concedi possit, si sponsa catholica, omni periculo perversionis coniugis catholicae et prolis amoto, serie promittit se omnibus viribus allaboraturam ut partem acatholicam ad fidem catholicam convertat et prolem in fide catholica educet. Ratio est quia filia saepe a parentibus ad matrimonium adigitur. Si sponsus acatholicus cautiones dare recusat, sponsa tamen matrimonium inire cogitur a parentibus, et sic multae filiae catholicae extra Ecclesiam matrimonium civile ineunt atque postea a fide deficiunt. Quod ultimum in quibusdam regionibus frequenter occurrit.

IV. Vota liturgiam respicientia

1. Uniformitas et diversitas in rebus disciplinaribus et liturgicis: Sicut maior uniformitas exoptatur in rebus disciplinaribus et liturgicis pro variis dioecesibus quae in eadem regione exstant, quaeque simillimae sunt quoad indolem, linguam et cultum (culturam), sic maior latitudo et diversitas concedatur, ubi agitur de populis qui origine, lingua, cultu diversissimi sunt, utputa populos Africae et Asiae respectu cultu occidentalis Europae.

Inde exoptatur ut concedatur Ordinariis locorum in missionibus maior potestas in rebus disciplinaribus et liturgicis, praesertim quoad adaptationem cultui populorum.

2. Optatur ut, salva eorum substantia, materia et forma quorumdam sacramentorum Auctoritate ecclesiastica suprema melius adaptentur adiunctis regionum et populorum, praesertim cum, experientia teste, facile non sit, *immo quandoque impossibile,* materiam hucusque ad validitatem requisitam, comparare, utputa oleum *olivarum* aut balsamum.

3. Exoptatur ut pro administratione quorumdam sacramentorum rubricae et praescripta ad simpliciorem formam redigantur, quando multi simul ad sacramenta accedunt: v. g. quoties multi infantes simul baptizandi sunt; item optatur ut formula brevior pro distributione S. Communionis permittatur, quia formula nunc praescripta: « Corpus Domini Nostri Iesu Christi... », *longior* est quam ut devote et integre pronuntiari

possit, quando multi simul ad S. Synaxim accedunt. Casus praedicti frequenter in missionibus verificantur.

4. Ministerium pastorale in hodiernis adiunctis postulare videtur:

a) ut sacerdotes, servatis praescriptis vigentibus circa ieiunium eucharisticum, Missam celebrare possint *quavis hora diei;*

b) super altari portatili et in loco decenti, si utilitas communis id postulat, absente tamen omni periculo irreverentiae;

c) ut Sacra Communio etiam quavis hora distribui possit, servata lege ieiunii eucharistici.

Ratio voti est quia fideles non raro a sacerdotibus petunt ut Missa celebretur et S. Communio distribuatur horis vel in locis, quae praescriptis vigentibus nunc excluduntur.

5. Exoptatur ut *quam citius* renovetur Breviarium Romanum, praesertim quoad lectiones de S. Scriptura occurrente et lectiones Secundi Nocturni.

6. Optatur ut praeter dies dominicos illa Festa de praecepto in singulis nationibus serventur, quae etiam lege civili ut dies feriati sanciuntur. Ratio est, quia moraliter impossibile est fidelibus servare Festa de praecepto quibus lege civili labori ordinario vacandum est.

P. FRANCISCUS SERCU
Superior Generalis
Congregationis Immaculati Cordis Mariae

32

REV.MI P. IESU RAMOS CAPELLA

Superioris Generalis
Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Capulatorum a B. Virgine Perdolente

Matriti, die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Honorificum et pergratum mihi praesentes facere Eminentiae Tuae animadversiones pro Concilio Oecumenico a Ss.mo Patre nostro Ioanne XXIII, fel. regn. annuntiato auspicatoque.

Faxit Deus quod hae humillimae sinceraeque animadversiones re-

dundent in profectum animarum, splendorem Sanctae Matris Ecclesiae et honorem et gloriam Divinae Maiestatis.

Ad osculum Tuae Amplae Purpurae humiliter provolutus

P. IESUS RAMOS CAPELLA
Superior Generalis
Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Capulatorum
a B. Virgine Perdolente

Animadversiones

1. Enixe commendetur et viribus totis servetur praxis apostolatus, ministerii sacerdotalis et educationis iuxta evangelicas normas austeritatis nempe, sacrificii et integrae deditionis. Praetextu amplioris et efficacioris apostolatus quem hodie modernum dictitant, dimidiatur labor sacerdotis, non raro deseritur, et negligitur obligatio canonica residentiae cum ex parte parochorum tum ex parte superiorum. Non parum iuvabit ad sacrum ministerium iuxta has normas canonicas exercendum, usus habitus clericalis de die in diem magis magisque neglectus.

2. Ut efficacius consulatur bono spirituali christifidelium, opinor necessarium esse dividere paroecias tali modo ut nulla numeret ultra quinque vel sex millia animarum.

3. E medio tollatur magnum discrimen emolumentorum vigens inter sacerdotes variarum paroeciarum. Sunt qui vix aegre tueri possunt decore victui proprio. Sunt autem e contrario qui laute vivunt. Puto quod aliqua pars emolumentorum paroeciae bene ditatae applicari debeat ad sublevandam egestatem aliorum parochorum.

4. Neminem latet non amice couti clerum saecularem et regularem cum non parvo detrimento spirituali animarum. Coadunatio virium in operibus apostolicis et ministerialibus foret unum e pluribus mediis efficacioribus ad obtinendam servandamque unionem spirituum.

5. Ut fortius tueatur firmitas vocationis religiosorum sacerdotum facillime valedicentium statui perfectionis quando inveniunt Episcopum benevolum receptorem — res facilior factu quam dictu — opportunum esset exigere ab episcopis receptoribus summam pecuniae aequantem sumptibus quos Congregatio respectiva impendit in formatione intellectuali, religiosa et morali sacerdotum decedentium.

6. Decet ut episcopi senes cum attigerint quamdam aetatem (septuaginta annos?), cessent in gubernatione dioecesium. Episcopi auxiliares efficaci labore funguntur quando sunt vere auxiliares, nempe, quando

labor gubernationis condividitur « ex aequo » ut ita dicam inter titularem et auxiliares. Ii ordinarie designantur quando episcopus titularis processit in dies et diminutae sunt vires eius. Quo in casu, cum episcopus titularis servet plenam et omnimodam auctoritatem et iurisdictionem, auxiliares impares sunt saepissime ad solvendas quaestiones occurrentes donec hae episcopo titulari subiciantur. Quod non raro alacriter non fit.

Humillimus et devotus servus in Christo

P. Iesus Ramos Capella
Superior Generalis
Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Capulatorum
a B. Virgine Perdolente

33

Rev.mi P. BONAVENTURAE SCHWEIZER
Superioris Generalis Societatis Divini Salvatoris

Sectio prima

De disciplina sacramentorum

Proponuntur haec desideranda:

1. Ut lex ieiunii Eucharistici aequa ratione enuntietur pro sacerdotibus celebraturis Missae sacrificium ac pro plebe Fidelium. Possint igitur sacerdotes celebraturi Missam computare horas ieiunii Eucharistici non ad initium Missae celebrandae sed ad momentum sacrae Communionis.

2. Ut praeceptum sic dictum « Paschale » suscipiendae semel infra annum sacrae Sinaxis extendatur ad totum anni decursum.

3. Ut ea pars Ritus sacrificii Missae, quae decurrit ante Offertorium, licite possit, sub vigilantia ecclesiasticae auctoritatis, peragi etiam adhibita lingua vernacula a Celebrante, exclusa recitatione textus latini.

4. Ut liceat omnibus sacerdotibus administrare in articulo mortis sacramentum Confirmationis, sive infantibus sive adultis non iam inunctis sacro Chrismate.

5. Ut sacerdotes in aliqua dioecesi legitime muniti iurisdictione pro suscipiendis fidelium Confessionibus possint in quolibet territorio audire Confessiones. Ad liceitatem administrandi sacramenti Paenitentiae extra

dioecesim propriam requiratur solummodo permissio sive mandatum parochi loci vel etiam Rectoris ecclesiae eiusve vicarii rite delegati.

6. Ut numerus specificationum censurae Excommunicationis minuatur, aut saltem facilior reddatur Confessariis absolutio dictae Censurae.

7. Ut Ordo sacer Diaconatus conferri possit etiam viris in christiano matrimonio constitutis, dummodo praediti sint probato statu sanctioris vitae et sacrae doctrinae ab auctoritate ecclesiastica probe determinandae. Eorum sustentatio temporalis ab ecclesia loci pro numero Fidelium vel partim vel ex toto praestetur.

8. Ut tollatur reservatio potestatis Benedicendi res sacras ad devotionem Fidelium spectantes, veluti Coronas, Numismata, Cruces, Viae Crucis sacras stationes.

9. Ut sacerdos celebrationi Matrimonii tamquam minister Ecclesiae assistens non indigeat delegatione parochi illius loci ubi celebratur matrimonium, sed eiusdem parochi dumtaxat permissione et licentia, ut actio sit valida et licita.

10. Ut declaretur illicita graviter atque etiam severe punienda, attamen valida contractio matrimonii catholicorum celebrata coram duobus testibus et, repudiata assistentia parochi, coram ministro vera quadam ratione ad hoc legitime constituto alicuius publicae auctoritatis, sive « ecclesiasticae » non catholicae, sive mere civilis.

Ratio est:

a) ut minuatur numerus matrimoniorum quae sunt in foro civili valida, coram Ecclesia et conscientia ipsorum sponsorum nulla et peccaminosa;

b) ne quodam praemio videantur honorari faciliter resoluti in posterum vinculi vitae coniugalis, et novarum nuptiarum suscipiendarum, ii catholici qui ausi fuerint transgredi legem ecclesiasticae disciplinae, aedificationis fidelium publicae atque legem coniugalis castitatis.

Sectio secunda

De religiosis

11. Ut deliberationi mandetur ius Vocis activae Fratrum conversorum in Religionibus clericalibus, exercendum in Capitulis localibus tantum.

12. Ut Religiosis viris et Clericis omnibus prohibeatur in itineribus constitutis et in viis publicis deambulantibus, quominus gestent vestem talarem; quae tamen adhibenda praecipiatur, tamquam vestis stricto vel lato sensu cultualis, dumtaxat intra domum et in ecclesia.

Ratio est:

a) ne dignitas vestis sacrae (ob varietatem eius miram atque similitudinem eius cum vestitu muliebri) et ipsius status religiosi contemptui vel etiam detestationi tradatur saecularium et non credentium hominum;

b) ne haec vestis signum appareat alienationis internae apostolorum veritatis a viventibus in saeculo.

13. Ut ius sit Superiorum (parochorum, ecclesiarum rectorum) determinandi, ad normas quidem generales Ecclesiae, tempora et occasiones SS. Sacramentum sollemniter in Ostensorio exponendi, maxime pro Benedictione Eucharistica.

14. Ut exploretur possibilitas tradendi in Scholis catholicis ubique terrarum tamquam linguam communem omnibus et ab omnibus facillime addiscendam eam quae nomine « Esperanto » designatur.

Varia quae subiciuntur ordinantur secundum Notas Ecclesiae conditionibus et problematibus huius aetatis applicatas, insistendo praesertim in Unitate Ecclesiastica sub variis aspectibus. Limitantur ea quae dicuntur ad conditiones quales obtinent in Insulis Britannicis.

Sectio prima

De Unitate ecclesiastica

Catholici sunt pars minor sed sat conspicua in Regno Britannico quod traditionaliter quidem est Protestanticum, de facto autem est indifferens, semi-paganum. Ex tota populatione 50 millionum 5 milliones sunt Catholici, id est decimus quisque.

Conditio Ecclesiae in Anglia magis involuta redditur ex hoc quod tres diversae habentur sectiones Catholicorum:

1. Habentur Catholici « Anglici » sensu stricto, relative pauci, ii scil. quorum maiores fideles manebant filii Ecclesiae inde a temporibus prae-Reformatoriis. Paulo plures sunt illi quorum familiae sunt Catholicae saltem per plures generationes.

2. Alia pars Catholicorum sunt illi qui ad fidem Catholicam recenter sunt conversi. Hi sicut priores magni habent gloriam Catholicam aetatis superioris quando tota Anglia Catholica « Dos B. M. V. » erat.

3. Longe maior pars constituitur iis qui ortu et traditione non sunt Anglici. Hi sunt praeprimis advenae ex Hibernia; sed inde ab ultimo bello mundiali plures etiam Catholici ex aliis nationibus domicilium hic collocaverunt. Generaliter loquendo, hi omnes sunt fideles et constantes filii Ecclesiae, immo progressus vitae Catholicae in hoc Regno

magna ex parte debetur dedicationi admirabili Hibernorum, tum sacerdotum hic laborantium cum laicorum.

Harum sectionum differentiis ortus et traditionis non obstantibus, sensus unitatis in communitate Catholica semper validus erat. Nihilo autem minus plura manent problemata ad quae solvenda subiiciuntur ea quae sequuntur.

a) Desideratur unitas magis organizata inter hierarchias Catholicas Insularum Britannicarum, scil. Angliae, Hiberniae, Caledoniae, Cambriae. Etsi unaquaeque regio suas habet difficultates et problemata specialia, commune tamen consilium et auxilium multum conferret ad bonum totius.

Subicitur: ut habeatur annualis conventus inter delegatos diversarum regionum delegatos scl. ex tribus gradibus:

ex clero saeculari,
ex clero regulari et monialibus,
ex laicis.

b) Cambria regio pauper est et sparse populata, hinc maiora auxilia recipere deberet a regionibus magis fortunatis, sicut Anglia et Hibernia.

Subicitur: ut paroeciae ditiores in Anglia et Hibernia adoptent paroecias pauperiores in Cambria, praestantes auxilium tam materiale quam spirituale.

c) Advenae, quorum longe plures sunt ex Hibernia, adiuvandi sunt ut plenius integrentur in vitam Catholicam Angliae.

Subicitur:

1) ut pueri Hiberni in scholis edoceantur de traditione catholica et vita ecclesiastica Angliae tam praeterita quam praesenti;

2) ut advenae Hiberni, tum ex Hibernia profecturi cum Angliam ingressi, adiuventur ad eundem finem consiliis et libris aptis;

3) ut penitus studeatur et aptis mediis solvatur tota quaestio de fidelium ex Hibernia advenarum integratione in vitam parochialem et socialem Angliae;

4) ut etiam ii qui ex Hibernia veniunt ad tempus quin velint hic domicilium permanens collocare, invitentur ut seipsos familiares reddant cum conditionibus catholicis in Anglia obtinentibus, ut perfectiores evadant apostoli ad fidem defendendam et propagandam;

5) Pueri Anglici, ex alia parte, et ipsi instruantur in scholis de historia persecutionis catholicorum ex parte protestantium tam in Hibernia quam in Anglia.

d) Unitas inter sacerdotes, moniales atque apostolos laicales:

Subicitur:

1) ut habeantur conferentiae annuales ad explorandas mutuas difficultates et ad invenienda remedia quibus tales difficultates solvantur;

2) ut quaeratur maior co-ordinatio activitatis apostolicae harum trium sectionum.

e) unitas inter clerum saecularem et regularem:

Subicitur: Ut habeatur corpus aliquod bene organizatum medians inter utrumque clerum.

f) Unitas operum apostolatus inter varios Ordines et Congregationes tam virorum quam mulierum, ne plus quam necessarium est vires in idem impendantur, et ut augeatur et ambitus et efficientia activitatis apostolicae.

Subicitur:

1) ut in praxim reducantur et evolvantur ea quae in Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae* commendantur quoad auxilium praestandum Congregationibus recentioribus;

2) ut constituantur Seminaria Regionalia pro Congregationibus Religiosis.

g) Unitas activitatis inter varia Instituta saecularia et pias Sodalitates.

Subicitur: Ut creetur organizatio Actionis Catholicae magis centralizata, in plano tam dioecesano quam nationali.

h) Reunio cum Ecclesia, seu conversio acatholicorum.

Subicitur:

1) ut penitus exploretur sectarum diversarum dispositio psychologica versus Ecclesiam Catholicam;

2) ut studeatur problema ministrorum religionis ad Ecclesiam conversorum — possibilitas illos cooptandi tamquam « diaconos laicales »;

3) ut explorentur rationes et media quibus sacerdotes perfectius attingere possint non-Catholicos, utendo tamquam mediatoribus Religiosis mulieribus et apostolis laicalibus;

4) ut plenius exploretur usus instrumenti radiophonici et televisivi in ordine ad fidem propagandam — possibilitas erigendi stationem emissoriam stricte Catholicam, fortasse in Hibernia;

5) ut magis utamur praelo et publica proclamatione (advertisement) pro fide Catholica diffundenda;

6) ut comiter explorentur ea quae sunt bona in sectis acatholicis;

7) ut inquiratur de extensione apostolatus laicalis et Institutorum saecularium eo sensu quod invitentur et admittantur iuniores ad gradum aliquem minus centralem, limitatum ad tempus duorum vel trium annorum, quin debeant dedicare totam vitam idque sive in patria sive

in missionibus exteris. Nam praeter illos qui desiderant totalem et permanenter dedicationem apostolicam in statu saeculari, plures sunt qui velint praestare servitia sua Ecclesiae pro aliquibus annis;

8) ut reddatur actio catholica magis unificata per varias sectiones communitatis catholicae, includendo magis eos qui sunt matrimonio iuncti.

i) Unitas in Ecclesia servanda: seu de problemate defectionis.

Subicitur:

1) ut pueri et iuvenes in scholis spiritu apostolico imbuantur et praeparentur ut evadant veri apostoli laicales;

2) ut quaerantur rationes et media quibus iuvenes iam e scholis emancipati iterum attrahantur ad sacerdotes quaerendos ut solidiorem instructionem religiosam accipiant.

Fortasse bonum esset deferre administrationem sacramenti Confirmationis ad aetatem iam paululum provectiorem 17 vel 18 annorum; sic enim adesset motivum et aliqualis necessitas redeundi ad profundiorem instructionem religiosam capiendam; sic etiam perfectius intelligeretur huius sacramenti finis, gratia, natura, quod scil. dat et statum et responsabilitatem et fortitudinem spiritualem aetatis christianae adultae.

Sectio altera

De catholicitate (universalitate) *Ecclesiae*

Subicitur:

1) ut exploretur possibilitas tradendi in scholis Catholicis linguam aliquam communem omnibus nationibus; fortasse linguam Latinam in forma aliquomodo simplificata.

2) ut quidam sacerdotes Occidentales et Orientales huc illuc praestentur ad aliquot annos;

3) ut Ordines et Congregationes invitentur ad fundandas domus in regionibus Ecclesiae Orientalis.

P. BONAVENTURA SCHWEIZER
Superior Generalis Societatis Divini Salvatoris

34

Rev.mi P. IOANNIS CASTELLI

Superioris Generalis
Piae Societatis S. Francisci Xaverii pro Exteris Missionibus

P. Ioannes Castelli, Superior Generalis Piae Societatis pro Exteris Missionibus, rogatus ut mentem suam aperire velit, haec quae sequuntur humillime pandit.

1. Ordines sive Minores sive Maiores ut pluris aestimentur ac maiorem utilitatem afferant optatur. Usus Diaconatus praesertim, maxime in missionibus, amplior faciliorque reddatur.

Consulere auderem, ad melius obtinendum, Diaconatum aliquem vialem et alterum sic dicam terminalem.

a) Primus, scilicet vialis, ut pro nunc habetur, gradus necessarius exstet pro Sacerdotio, cum omnibus iam exsistentibus obligationibus (breviario, caelibatu...).

b) Alter, terminalis, e contra suis legibus gaudeat et ministeria pro quibus institutus fuit curet, baptismata et S. Communionem ministret, officio testis qualificati in matrimonio fungatur et peculiari munere catechistae ditetur. In missionibus, ubi tam perrari Sacerdotes exstant, valde desideratur ministerium excellentium patrum familias, qui curam totius christianae communitatis gerant. Persaepe dissiti pagi vel communitates sine Communione, deficientibus Sacerdotibus, per longum tempus vivere debent. Ab istis bonis viris, in suo pago et in sua familia viventibus, sed S. Diaconatus Ordine ditatis, fructus uberrimi auxiliumque singulare in tam cogente et praestante opere evangelizationis expectari licet; ipsi enim sua praesentia et potestate quasi- sacerdotali, actione sua catechetica, ministerio Baptismatis et S. Communionis, multum Ecclesiae prodesse possent. Certe hi Diaconi non deberent sacerdotio augeri nisi forte resoluto vinculo matrimoniali et omnibus studiis requisitis rite persolutis.

2. Maior simplificatio et vis poenarum ecclesiasticarum. Pluralitas legum et distinctionum in poenam non rei saepe sed canonistarum et confessariorum resolvitur.

Praeterea qui delicto se commaculat raro poenam timet, praesertim si illa tantum spiritualis sit. Optandum ergo ut coacervus reducatur et tantum efficaciora poena retineantur (Mulctis pecuniaris homines sensibilissimi sunt).

3. Expolitior translatio latina S. Scripturae optatur.

4. Maior uniformitas externa in Ecclesia universali consulitur. Nimiae leges particulares inveniuntur, quae saepe admirationem fidelium excitant. E. g. leges de habitu et tonsura clericali, de ieiunio et abstinentia (Vide bullam « Cruciata »), de ordine publico etc., nimis differunt in variis territoriis. Neque ratio distantiae hodie suffragari potest, cum totus orbis, ope mediorum mechanicorum, vere parvus evaserit et omnes homines facillime inter se communicent.

5. De disciplina clericali multa indigitari possent.

a) In organisatione paroeciali saepe Ordinarii impediuntur a beneficiis inamovibilibus et a consideratione oeconomica subditorum.

b) Situatio oeconomica clericorum, saepe cum admiratione fidelium, non semper fraternitatem et quandam aequalitatem sapit.

Optantur domus, pensiones, etc. pro clericis aegrotis vel aetate provectis.

c) Tunc tantum possibile erit exigere ut clerici, qui inepti ad S. Ministerium evaserint, paroeciae vel officio vel etiam dioecesi renuntient, si senectuti eorum provideatur. Saepe enim multi Sacerdotes in ruinam ultimis temporibus proiciunt quod multis laboribus et tot annis exstruxerunt.

6. Maior aequiperatio et collaboratio clericos saeculares inter et religiosos. Male semper sonant divisiones et dissentiones.

Sunt qui putent ministerium pastorale totum spectare ad clerum saecularem, aliter dictum dioecesanum.

Optandum e contra omnes clericos, sive religiosos sive non, posse se sentire tamquam collaboratores Ordinarii loci in opere divinorum divinissimo, quod est salus animarum.

Multi religiosi suam acediam celant sub specie disciplinae regularis et ideo ministeriis se subtrahunt.

E contra multi e clero saeculari fastidiunt auxilium religiosorum et illos quasi insinuatos in opus sibi proprium considerant.

Omnis ergo organizatio pastoralis dioeceseos in manu Ordinarii loci esse debet, qui invigilare et moderari debet omni operi clericorum sive saecularium sive religiosorum.

E contra in disciplina interna religiosorum optanda maior libertas. Optandum omnes Superiores Maiores, non tantum exemptos, donari posse potestate quasi-episcopali, et Superiores locales potestate quasi-paroeciali (v. Rectorem Seminariorum). Omne regimen internum ergo (habitus, loca et tempora sacra, promotio ad Ordines sacros, poenae canonicae, etc. ...) melius forsitan regeretur si totum in manus Superiorum internorum poneretur, totum a potestate Ordinarii loci subductum.

Gratus tanto honore impensissimas gratias ago SS. Papae Iohanni XXIII qui Ecclesiam tanto gaudio ditavit meas Societatisque Xaverianae preces pro Concilio fundens.

Add.mus in Domino
P. IOANNES CASTELLI
Superior Generalis
Piae Societatis Sancti Francisci Xaverii
pro Exteris Missionibus

35

REV.MI P. MAURI A MATRE PERDOLENTE
Prioris Generalis Congregationis Fratrum Carmelitarum
B. V. Mariae Immaculatae

Ernakulam, 13 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Pergratum mihi est ad normam litterarum Eminentiae Vestrae, Prot. N. 1 C/59-2061, 18 iunii 1959, res infra descriptas tamquam materiam proponere in augusto Concilio Oecumenico mox convocando discutiendam. Divisiones rerum in epistula Eminentiae Vestrae indicatas secutus sum in quantum potui.

Argumenta admodum breviter enucleavi, relictis demonstrationibus; immo aliquando res indeterminatas reliqui contentus proponendo quaestionem et non indicando solutionem. In fine elaboravi paulisper ea tantummodo argumenta quae nobis sunt specialia et magni momenti. Si praeter haec, etiam aliae elucubrationes sunt in voto, longiora studia uniuscuiusque thematis libenter mittam. Nihil aliud restat nisi auspicare felicissimum successum Concilio et exoptare Summo Pontifici Papae Ioanni XXIII, feliciter regnanti, et Eminentiae Vestrae et omnibus aliis cooperatoribus coelestia dona et speciales gratias ad adeundum et perducendum ad finem gloriosum arduum sane istud negotium ut inde progressus totius reipublicae Catholicae mirum in modum augeatur, via tuta et certa ad restaurandam unionem et concordiam in Ecclesia Christi paretur, et regnum Dei in iustitia et caritate cum pace in mundo stabilietur.

Osculans flexis genibus sacram Purpuram et impetrans benedictionem Eminentiae Vestrae super me et nostram Congregationem,

Addictissimus Eminentiae Vestrae in Domino Nostro
P. MAURUS A MATRE PERDOLENTE
Prior Generalis Congregationis Fratrum Carmelitarum
B. V. Mariae Immaculatae

I - RES DOCTRINALES

1. Res definiendae:

a) *De Beata Virgine Maria*:

1) B. V. Maria propter eius immediatam cooperationem in ineffabili opere redemptivo cum Salvatore nostro est vere co-redemptrix humani generis.

2) B. V. Maria constituta est mediatrix universalis humani generis.

3) B. V. Maria est dispensatrix universalis gratiarum pro humano genere.

b) *De Constitutione Ecclesiae*:

Principium constitutionis *monarchicae* Ecclesiae Catholicae iam in Concilio Vaticano determinatum fuit. Principium constitutionis *collegialis* Ecclesiae Catholicae erat inter capitula doctrinae a Concilio discutienda et definienda. Propter inopinatum Concilii memorati finem non potuit de hac re disceptari. Nunc opportunum est ut hoc determinetur, ut inde positio episcoporum tamquam Apostolorum successorum in Ecclesia clarior evadere possit. Quaestio speciale momentum habet nunc in contextu unionis ecclesiarum dissidentium cum Cathedra Sancti Petri.

2. Modus proponendi Doctrinam:

Sive in sollemnibus definitionibus, sive in litteris encyclicis vel aliis id generis documentis Sanctae Sedis, sive in ordinario magisterio episcoporum, sive in libris catechismi et libris doctrinalibus, sequentia sunt semper prae oculis habenda quoad modum proponendi doctrinae Catholicae capita:

a) Res doctrinales ne ita proponantur ut videantur esse complementum vel sequelae alicuius determinati systematis philosophici vel culturae (e. g., occidentalis), sed ita elaborentur ut appareant esse depositum totius humani generis.

b) Non solum non minimi faciendus est valor positivus religionum naturalium, sed formae religionis naturalis, in quantum iustificari possunt, ostendantur ut praeparatio providentialis ad revelationem in qua suum complementum et perfectionem nanciscuntur.

c) Religio revelata in tota sua amplitudine ostendatur ut vera realizatio totius aspirationis hominis ad omnimodam perfectionem.

d) Ad elaborandas res doctrinales magis magisque terminis scripturisticis et patristicis utantur; et ita eae proponantur ut vita religiosa fidelium ali possit.

II - RES DISCIPLINARES

1. DE RITU IN GENERE (tum de ritu Latino tum de ritibus Orientalibus):

Conceptus et natura et principia evolutionis ritus bene determinanda sunt.

a) Si ritus debet repraesentare culturam et artem loci vel nationis cultui Dei dicatam, multo maior pars debet tribui architecturae, musicae, linguae, symbolismo et consuetudinibus localibus, quam in usu est tam in disciplina Latina quam in Orientali.

Si natura supra indicata vera et genuina est, tunc ritus multiformem varietatem et perpetuam quasi renovationem non solum sinit, sed postulat. Inde ritus evadit non ut aliquod systema rigidum et universale, cuius puritatem (dico non-doctrinalem) Sancta Sedes debet summa cum cura custodire, sed ut institutio aliqua in qua energia totalis populi Christiani ubique terrarum secundum propria ingenia suam expressionem imprimere contendit sub inspiratione mysteriorum salutis nostrae et sub ductu hierarchiae ecclesiasticae.

Inde sequitur momentum linguae localis in usu liturgico. Sine usu linguae localis, omnis conatus ad educandum populum ad intelligenter participandum in sacris mysteriis frustra evadet.

b) Si ex una parte varietas et evolutio rituum necessaria sunt, ex altera parte consulendum tum unitati tum harmoniae.

In hodiernis adiunctis, propter maiorem facilitatem migrandi a loco in locum, relationes inter coetus fidelium diversorum rituum maiores et frequentiores evadunt. Haec quaestio radicaliter examinanda est. Duae viae solutionis excogitari possunt:

1) Restringere differentias rituum magis magisque ad solas res liturgicas (et non disciplinares) et permittere liberum usum cuiusque ritus, ita ut facilius coetus diversorum rituum fidelium possint administrari ab uno eodemque ordinario locali.

2) Conservare praesentes distinctiones rituum firmas, et declarare leges et iurisdictionem esse personales, cum limitibus etiam territorialibus et providere media necessaria ad actionem collectivam et coordinatam, in materiis in quibus talis cooperatio necessaria vel utilis est.

2. DE CODIFICATIONE LATINA ET ORIENTALI.

a) *De relatione inter Codicem Latinum et Ius Orientale.*

In quantum fieri potest, differentiae inter Codicem Iuris Canonici Latini et legislationem pro Ecclesia Orientali diminuantur quoad res disciplinares (ut distinctas a rebus liturgicis), relictis rebus minoris momenti,

ubi tales differentiae inveniuntur, ad iura particularia. Optandum est ut duae leges simul in eodem libro edantur.

b) *De renovatione Codicis Iuris Canonici Latini et Codificatione Orientali.*

In quantum potest, leges fiant simpliciores, e. g., tractatus de censuris. Minor centralizatio in rebus non tam magni momenti optanda est. Exempli gratia, maxima pars facultatum quinquennalium ipsi officio potest tribui.

c) *Quaedam puncta disciplinaria maioris momenti* (tum quoad Latinos, tum quoad Orientales).

(i) *De Clero*

1. *Castitas.*

a) Selectio candidatorum et eliminatio indignorum maiore cum cura facienda est. Confessarii omnes in seminario debent omnino instrui de normis practicis observandis in audienda confessione seminaristarum et optandum est quod aliqua norma tuta prae manibus detur. Immo iuvat quod tales normae locum inveniant in textibus moralibus.

b) Forsan unius anni interruptio et probatio in actuali ministerio sub cura alicuius parochi boni conducet ad eliminandas personas indignas.

c) Vita communis sacerdotum, etiam in domo paroeciali urgenda est. Si socius sacerdos haberi nequit, nonne potest excogitari aliqua institutio paroecialis qua sacerdos potest frui societate quorumdam laicorum, virorum proborum?

d) Potestne urgeri quoad domum paroecialem norma aliqua ad instar regulae de clausura et praescribere cautelas generales circa ministerium quoad organizationes femininas?

e) Sacerdotes qui repetitis vicibus labuntur debent prompte amoveri a ministerio.

f) Potestne dari aliqua solutio pro casibus sacerdotum scandalose viventium per annos in concubinatu post saecularizationem?

2. *Paupertas.*

Normae pro provinciis ecclesiasticis possunt confici ad regulandum commercium monetarium sacerdotum, ita ut abusus vitentur. Possunt, e. g., definiri limites supra quos omne negotium etiam circa proprietates patrimoniales debeant iniri cum notitia et consensu Ordinarii loci; potest episcopus constitui exsecutor testamentorum sacerdotum; limites possint definiri in relinquendis proprietatibus propriis per testamentum ad suos propinquos.

3. *De oblatione pro ministerio et sustentatione Sacerdotum.*

Ministerium debet esse gratuitum, excepta forte celebratione S. Sacri-

ficii Missae. Pro sollemnitate speciali potest urgeri taxa, et taxa non sacerdoti sed paroeciae debet tribui. Provisio pro sustentatione sacerdotum aliis modis, v. g., per mensilem contributionem, voluntariam collationem, etc., potest fieri.

4. *De contactu personali cum populo.*

Parochi et assistentes debent visitare suos subditos individualiter in domibus, pluribus vicibus in anno. Contactus personalis maximi momenti est. Speciali amore prosequendi sunt qui in nefaria societate communistarum lapsi sunt. Assistentia etiam laicorum potest adhiberi.

5. *De instructione religiosa continuanda.*

Tota fere instructio doctrinalis cessat cum susceptione primae communionis. Una ex rationibus indifferentiae religiosae in populo Christiano est absentia instructionis principiorum Catholicae religionis, quae ut ita dicam, pari passu debet progredi cum instructione scientifica alumnorum in scholis et collegiis.

6. *De Diacono matrimonio iuncto.*

Videtur esse opportunum restaurare institutionem diaconi matrimonio iuncti. Laici culti sufficientem habentes scientiam possunt ordine diaconatus initiari.

7. *De organizatione permanenti ad dirigendam collectivam activitatem hierarchiae in aliqua natione.*

Omnes nationes debent habere organizationes similes ac N.C.W.C. (vel ut C.B.C.I. in India) ad dirigendam collectivam activitatem in singulis nationibus. Curandum est ne, salva sufficiente libertate actionis ordinariorum locorum, ex nimia indeterminatione nulla fere efficax decisio a Concilio possit sumi.

8. Modus vestiendi episcoporum et dignitatum ecclesiasticarum, exceptis functionibus liturgicis, debet esse simplicior, quam nunc obtinetur.

(ii) *De vita in Missionibus*

Hic adnoto tantum quasdam observationes quae mihi videntur utiles ad meliorem frugem percipiendam ex activitatibus missionariis.

1. Conversiones non numerandae sunt sed, ut ita dicam, ponderandae. Forsan ex eo quod subsidia ex S. Sede pro missionibus distribuuntur ratione numeri conversionum, missionarii magis attendunt ad numerum. Ratio numeri utique habenda est. Sed magis magisque attendendum est ad veram penetrationem, etsi laboriosam et lentam, in classibus non infimis societatis.

2. Ecclesia Catholica magis aperte debet loqui in favorem independentiae populorum sub subiectione aliarum nationum, et magis strenue

et aperte defendere aequalitatem iurium inter populos diversi coloris et stirpis.

3. Omne vestigium inaequalitatis in Congregationibus, praesertim femininis, inter religiosas indigenas et exteras debet auferri. Institutio « Oblatarum » apud quasdam religiosas est practice simile vestigium inaequalitatis. Idem dicendum est de clero, ubi casus fert.

4. Etsi « adaptatio » admissa est tamquam principium prosequendum in vita missionis, tamen multa desiderantur sub hoc respectu. Adaptatio cursus seminaristici et facultatum, moderatio in imitandis vestibus et consuetudinibus occidentalibus etc., sunt quaedam exempla. Haec quaestio intime connexa est cum quaestione de ritu, de quo mentionem feci in initio.

(iii) *De Religiosis*

Cooperatio inter clerum saecularem et religiosos et inter varios ordines et congregationes religiosorum urgenda est. Multum mihi videtur desiderari sub hoc respectu. Quaestio radicitus examinanda est et obstacula removenda.

(iv) *De populo christiano.*

1. *Vita liturgica.*

Populus christianus serio praeparandus est ad participandum in vita et activitate Ecclesiae. Optimum medium ad hoc, sine dubio, erit praeparatio fidelium ut active et intelligenter participent in vita liturgica Ecclesiae. Prolixitas devotionum vitanda est, et intima participatio in Sacrificio Missae, sacramentis et festis et temporibus sacris secundum spiritum calendarii inculcanda est.

2. *Vita politica.*

Ratione habita naturae guberniorum hodierni diei, omnes Catholici habent specialem obligationem sumendi partem activam in vita politica nationis. Haec debet bene diem in diem inculcari in populum; ex altera parte tamen clerici debent scrupulose se abstinere a quaestionibus factionum politicarum.

III - ACTUOSITATES ET NEGOTIA

1. Maior internationalizatio Curiae Romanae.

Curia Romana, i. e. Dicasteria Romana debent progressive internationalizari quoad membra illa constituentia. Ecclesia Catholica debet esse internationalis, vel melius supernationalis, non solum in principio, sed etiam in praxi et debet *apparere* et *videri* tamquam internationalis ab

universo populo Christiano et gentili. Hodiernis diebus quando organizationes politicae vel sociales vel oeconomicae, ut ONU, UNESCO, WHO, constitutae sub basi internationali de die in diem ad bonum commune totius generis humani bene laborant quoad bona temporalia, verum et genuinum constituit christianis et non-christianis impedimentum ad percipiendam naturam realem Ecclesiae Catholicae, character exaggeratus italicus praesens in gubernio Ecclesiae Catholicae. Membra etiam ex nationibus asiaticis et africanis debent locum habere in istis dicasteriis.

2. Reditus fratrum dissidentium ad gregem catholicum.

Omnia media adhibenda sunt ad restaurandam unitatem populi christiani. Haec est optanda non solum propter se, sed etiam propterea quod dissidia inter populos christianos maximum constituunt impedimentum in conversione infidelium.

Etsi non possumus ullo modo doctrinas caelitus traditas accommodare ad placita humana — de facto, nostra defensio doctrinae traditae sine ulla compromissione humana est maximum incitamentum ad unionem pro omni veri nominis investigatore veritatis aeternae — tamen possumus mutare nostrum modum psychologicum ad eos appropinquandi et alloquendi. Omnis occasio ad cooperandum cum eis, factis sufficientibus cautelis, debet sumi.

3. Collaboratio ad debellandum atheismum.

Debent reddi magis faciles collaborationes etiam quoad puncta moralia, bene in antecessum determinanda, cum populis etiam non christianis, ad debellandum communismum atheisticum et huiusmodi nefaria systemata.

4. De Ritu Orientali in India.

Circa hoc punctum mihi permittas paulisper elaborare mentem meam, in quantum non solum progressus nostri ritus et nostrae Congregationis, sed ut puto, etiam progressus Ecclesiae Catholicae in India in genere ab hoc multum dependet.

Quaedam puncta generalia de ritu iam in initio posui. Hic velim tangere tantummodo quattuor quaestiones specialis momenti nobis.

a) *Ius Ecclesiarum Orientalium instituendi proprias missiones in regionibus actualiter non occupatis vel non sufficienter excultis a clero ritus Latini.*

Nostra Ecclesia ritus Syro-Malabarici gaudet, speciali Dei gratia, numerosis vocationibus indigenis clericalibus et religiosis. Ex altera parte,

gubernium Indiarum, sicut et alii Status in Asia qui nacti sunt his temporibus recentioribus independentiam politicam, de die in diem maiora obstacula ponunt quoad ingressum missionariorum ab exteris nationibus. Clarum est inde quod omnis conatus faciendus est ad utilizandas vocationes indigenas.

In regionibus septemtrionalibus Indiae vix unus fidelis inveniri potest in uno mille passuum quadrato (1 sq. Mile). In quibusdam locis nullus clerus usque nunc penetravit.

Hucusque clero numeroso nostri ritus Orientalis non erat permissum se dedicare ad missionem in istis regionibus nisi mutando proprium ritum et assumendo ritum Latinum. Recentius favor biritualismi etiam proponebatur, quod in praxi ad idem reducitur. Modus iste associandi clerum ritus Orientalis in labore missionario nec naturalis nec iucundus est. Non habeo in mente casus exceptionales quando ad adiuvandas Ecclesias pristinas, nunc inopia sacerdotum laborantes, clerus diversi ritus, mutato proprio ritu, vel utendo biritualismi privilegio collaborat cum illis, quod decens et naturale est. Dico de casibus supra indicatis de instituendis novis missionibus. In istis circumstantiis, si non datur alia via nisi mutatio ritus, quomodo sustineri potest aequalitas rituum in Ecclesia? Talis sacerdos semper laborabit, ut lingua utar modernorum psychologorum, « complexu inferioritatis ». Iterum, si tota energia non solum cleri sed etiam populi Christiani, cui communitati pertinet clerus, dirigenda est ad prosequendas activitates missionarias cum zelo et vigore, tunc nullum impedimentum ratione ritus debet interponi.

Ergo enixe impetro favorem missionum in nostro ritu in regionibus septemtrionalibus Indiae parum evangelizatis.

b) *Nominatio Exarchae ritus Syro-Malabarici pro tota India* (i. e. pro regionibus in Statu Indiae, ubi nondum eparchiae huiusce ritus erectae sunt).

Populus ritus Syro-Malabarici inveniuntur in communitatibus cuiusdam molis quasi per totam Indiam. Cura spiritualis eorum propter diversitatem ritus et linguae, et propter penuriam sacerdotum ritus Latini est saltem ex parte neglecta. Ex altera parte habemus sacerdotes etiam ad mittendum foras. Maximum igitur potest esse beneficium istis fidelibus nostri ritus, si instituatur exarchia comprehendens omnes regiones in India nondum in eparchias ritus Syro-Malabarici erectas, ad consulendum necessitati spirituali populi Syro-Malabarici per totam Indiam dispersi. Etiam fideles et clerus Latini ritus inde possunt beneficium sumere, si eorumdem Ordinarii sunt prompti ad utilizandos labores clericorum Syro-Malabarici, qui callent bene lingua Latina et cum favore biri-

tualismi possunt etiam ad necessitates spirituales coetus fidelium ritus Latini in proximitate versantis attendere.

c) *Nominatio Exarchae ritus Syro-Malankarensis pro tota India* (vel nominare Archiepiscopum Trivandrum tamquam etiam exarcham totius Indiae pro ritu Syro-Malankarensi).

Verum est quod fideles ritus Syro-Malankarensis nunc non inveniuntur in sufficienti numero extra territoria propria. Sed dissidentes huius ritus plures inveniuntur in civitatibus Madras, Bombay, Bangalore, Calcutta etc. Institutio exarchiae pro tota India poterit mirum in modum adiuvare conversionem horum dissidentium ad fidem catholicam; immo id necessarium est ad conservandos in fide Catholicos huius ritus extra sua territoria inter schismaticos degentes.

d) *Regiones constitutas in Eparchias rituum Orientalium* (non dico exarchias) *exclusivae iurisdictioni S. Congregationis pro Ecclesia Orientali submittere.*

In Medio Oriente et in quibusdam partibus Africae septemtrionalis et Graeciae etc. etiam fideles et hierarchia ritus Latini ponuntur sub exclusiva iurisdictione S. Congregationis pro Ecclesia Orientali. Eaedem rationes militant etiam quoad illas regiones Indiae in quibus eparchiae rituum Orientalium constitutae sunt. Unitas directionis multum conferre potest ad harmoniam et concordiam inducendam in utroque clero et populo.

P. Maurus a Matre Perdolente
Prior Generalis Congregationis Fratrum Carmelitarum
B. Mariae Immaculatae

36

Rev.mi P. FRANCISCI MILINI

Vicarii Generalis
Piae Societatis Missionariorum a S. Carolo pro Italis Emigratis

Roma, 7 novembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Il Rev.mo nostro Superiore Generale, Rev.mo P. Raffaele Larcher, avendo dovuto protrarre la sua permanenza negli Stati Uniti per il compimento della visita canonica alle nostre Case religiose, mi ha pregato di rispondere alla venerata lettera di codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico del 18 giugno scorso, prot. N. 1 C/59-2062.

Dopo aver sentito i Rev.mi Consultori Generali della Pia Società, ho formulato la qui unita proposta, riguardante i problemi emigratori, che umilmente presento all'Eminenza Vostra Reverendissima.

Chiedendo venia per il ritardo della risposta, mi prostro al bacio della S. Porpora, professandomi

Umilissimo nel Signore
dell'Eminenza Vostra Rev.ma

P. Francesco Milini
Vicario Generale degli Scalabriniani

Pias Societas Missionariorum a S. Carlo pro Italis emigratis (Scalabriniani) ardentissime exoptat atque humiliter petit ut inter alia, quae in proximo Concilio Oecumenico pertractanda proponuntur, etiam quaestiones de regimine iuridico et pastorali fidelium catholicorum emigrantium tractentur.

Exstant quidem de spirituali emigrantium cura leges in Constitutione Apostolica *Exsul Familia,* quam Pius XII f. r. die 1 augusti 1952 promulgavit; at praedictae Constitutionis ad omnes regiones applicatio (praesertim quod ad Titulum alterum pertinet) facilior certiorque videretur, ubi a totius Orbis Catholici Ordinariis in Concilio Oecumenico collectis res, spectatis huius temporis locorumque circumstantiis, definitam formam reciperet.

P. Franciscus Milini
Vicarius Generalis
Piae Societatis Missionariorum a S. Carolo
pro Italis Emigratis

37

Rev.mi P. DOMINICI FIORINA

Superioris Generalis Instituti Missionum a Consolata

Augusta Taurinorum, 27 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Acceptis Litteris Eminentiae Vestrae datis die 18 iunii a. D. 1959, Prot. N. 1 C/59-2064, dum reverenter gratias ago pro tanto honore, mihi pergratum est quam primum rescribere circa nonnulla argumenta et vota pro Commissione Antepraeparatoria pro futuro Concilio Oecumenico, quae mihi visa sunt maioris momenti.

In foliis adiunctis exstant observationes, argumenta et vota nostra.
Haec omnia humiliter Eminentiae Vestrae submitto, cui fausta omnia a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus
P. Dominicus Fiorina
Superior Generalis
Instituti Missionum a Consolata

De doctrina

1. Detur: *a*) Constitutio dogmatica de Fide Catholica, praecipuos nostrae aetatis errores complectens, et *b*) alia Constitutio dogmatica de Ecclesia Christi, compactam structuram Ecclesiae in suo duplici elemento hierarchico et praesertim divino prospiciens, una simul cum doctrinis de Communione Sanctorum et de Laicatu catholico, quae omnia cum doctrina Mystici Corporis Christi intime connectuntur.

2. Desideratur etiam ut investigationum fructus de re Biblica, qui nostro tempore succrescunt, ad vitam asceticam fovendam atque etiam apostolatum firmandum, magis magisque adhibeantur.

De re liturgica

1. Quod ad rem liturgicam spectat in opere pastorali prosequatur, ita ut ritus Ecclesiae maiori simplicitate atque intelligentia gaudeant. Hoc vero, si ubique valde utile videtur, quam maxime in dissitis Missionum regionibus ubi respectus et accommodatio ritus Ecclesiae ad culturam, mores atque consuetudines necessarium existimatur.

2. Res etiam valde accommodata erit, praesertim ad grave pondus apostolatus Missionum sublevandum, Ordines Minores usque ad Diaconatum in pristinum restituere.

3. In Breviarii reformatione criterio discriminativo uti potest, ita ut Breviaria pro chorali recitatione et pro — uti dicitur — *privata* psalmodia adoptentur.

4. Altare portatile accommodetur nostris temporibus, et facultas consecrandi et permittendi sit Ordinariorum propria.

5. Detur norma circa habitum ecclesiasticum, si fieri potest, pro cuncta Ecclesia, et circa usum vestis talaris extra liturgicas functiones.

6. Collectio Decretorum etc. S. Rituum Congregationis sit nostris diebus aptata.

7. Ordinentur quoque ritus et dispositiones circa Missae Binationem.

De re pastorali

Apostolatus catholici vires, subsidia et media in dies crescunt, sed non bene et harmonice ordinateque videntur. Intima, rationalis et magnanima compositio inter Clerum dioecesanum et religiosum praesertim desideratur, sicut etiam associationum catholicarum multiplicitas unitatem afficere non debet.

Eadem compositio praecipue iuridica in Missionum regionibus similiter aptetur, ita ut divini Evangelii praecones et Instituta Missionalia subsidiis et mediis opportunis suffultis finem suum feliciter attingant.

De religiosis

1. Religiones clericales, maxime si ad varias regiones dilatatae sunt, aequentur religionibus exemptis, saltem circa iurisdictionem, ordinationes, confessiones, etc.

2. Si aliqua religio clericalis et religio sororum habeant communem Fundatorem, ita ut laicalis religiosa familia sit complementum familiae clericalis, detur laicali familiae optio eligendi dependentiam a religione clericali.

3. Relaxatio votorum temporariorum, in religionibus clericalibus tribuatur supremo moderatori; pro laicalibus Ordinario loci.

4. Detur norma ut supremus moderator religionis clericalis, expleto munere, eligere possit domum in qua degat, et immediate suo successori subiiciatur.

5. Dos limitetur pro monialibus, quia sorores habent unde vivant.

6. Concedatur omnibus religionibus clericalibus facultatem sibi aggregandi fideles in saeculo viventes.

7. Processus pro dimissione religiosorum nostris accomodetur temporibus.

De processibus

1. Dispositiones circa iudicia tam contentiosa quam criminalia nostris aptentur temporibus.

2. Circa ea omnia quae respiciunt causas Beatificationis et Canonizationis, ne sine fine protrahantur, necessaria est revisio et adaptatio nostris diebus consona, inutilia resecando, expensas limitando.

De censuris

Censurae sint numero limitatae; quae non sunt *ab homine*, ad unicam categoriam inscribantur.

P. DOMINICUS FIORINA
Superior Generalis
Instituti Missionum a Consolata

38

REV.MI P. HENRICI BLIESTLE

Superioris Generalis Congregationis Missionariorum a S. Familia

Romae, die 20 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Eorum qui modestae huius Congregationis regimen tenent, mutatione a Capitulo generali nuper celebrato introducta factum est, quod responsum ad venerandas litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico d.d. 18 iunii 1959 sub N. 1 C/59-2065 hactenus datum non est. Re autem mature ponderata et Spiritus Sancti gratia implorata, sequentia audeo proponere:

I. *Quoad res dogmaticas*

1. Ecclesiologia quam vocant, praesertim post Litteras Encyclicas de Corpore Christi mystico a Pio Pp. XII s. m. editas, valde profecit. Attament varii huius doctrinae aspectus obscuri manent sine ulteriore magisterii ecclesiastici interventu, qui occasione Concilii Oecumenici optime praeberi potest. Siquidem status situsque non tantum Supremi Ecclesiae Pastoris seu Romani Pontificis a Concilio Vaticano elucidatus sufficit, sed etiam Episcoporum necnon sacerdotum et laicorum elucidandus est. Imprimis locum quem in corpore Ecclesiae occupant laici, clarius efferendum esse duco, ne ipsi, ob protestantismi sacerdotium universale omnium docentis sequelas, pars Ecclesiae quodammodo contemptibilis servaque esse videantur.

2. Differentia inter Episcopum et sacerdotem seu inter ambitum potestatis episcopalis et sacerdotalis enucleetur. Omnes quidem dogmaticas hac de re Tridentini definitiones admittunt, sed doctrinae evolutione ambitus potestatis sacerdotalis sacerdotisque Episcopo subiectio accuratius determinentur.

3. Doctrina de Ss. Missae Sacrificio a Tridentino, iuxta temporum illorum necessitates, evoluta et fixa est. Summi Pontifices, magisterium ordinarium exercentes, non semel de hoc doctrinae capite sunt locuti. Nonne opportunum est de natura sacrificii, de essentia Sacrificii Missae definitivas propositiones emittere?

II. *Quoad res ad disciplinam ecclesiasticam spectantes*

1. Institutum Vicarii et Praefecti Apostolici, ortum tempore protestantismi, solutio illis temporibus forte apprime accommodata, nostris temporibus atque adiunctis non respondere videtur. Nationes, etiam acatholicae, immo praesertim istae, ubique terrarum experrectae sunt. Status, a religione de cetero separati, aegre ferunt, quod subditi catholici, propriae hierarchiae expertes, quodammodo minoris habentur quam catholici nationum a saeculis christianismi placitis olim imbutarum. Cur Episcopi veri nominis ecclesias ubicumque nascentes vel « adhuc inchoatum aliquid praeseferentes » regere nequeunt? Num omnino devium est animos dirigere ad priora expansionis Ecclesiae tempora in quibus Episcopi veri nominis ecclesias fundavere, rexere, amplificavere?

2. Cum suggestione proxime praecedenti cohaeret haec: Latinizatio quam appellant, gregi Christi haud parva nec pauca vulnera, historia teste, intulit. Quibus ob oculos habitis, quaestio oritur, utrum gentium omnium, praesertim orientalium, puta Indonesiae, aggregatio ritui latino sufficientem rationem indolis popularis habeat. Nonne ritus latinus rerum adiunctis valde accommodandus erit? Unitas ritus (subintellige: latini) et linguae liturgicae, etiam in posterum asserta eadem firmitate ac in praeterito, nisi fallor, magis nocet quam prodest. Timeo, ne sero medicina paretur.

3. Latinorum magnanimitas erga catholicos ritus orientalis et cor Romanorum amplum erga alias ubique terrarum gentes praecipue elucere debent. Cur igitur saepenumero, in documentis quoque Sanctae Sedis, sermo est de « Ecclesia Universali », cum vi textus vel contextus non agi nisi de ecclesia latina appareat? Cur sit venia exemplo in se parvo, sed significationis pleno, ut missionarii attestati sunt — de Breviarii parte hiemali, verna, etc. sermocinamur, cum designationes Europam haud sapientes (puta Pars I, II, etc.) in omni loco facile adhiberi possint?

4. Iure dubitare licet, an librorum ceterorumque editorum prohibitio, uti nunc vigeat, temporibus nostris adaptata sit. Concilium optimam videtur praebere occasionem qua arrepta S. Sedes utilissimas informationes ab ipsis Ordinariis, experientia pastorali circa libros prohibitos vel prohibendos edoctis, haurire poterit, ita ut praxis prohibendi libros hodiernae vitae adiunctis accommodata evadat.

N. B.: Unitas omnium qui Christi nomine gloriantur, cunctis quam maxime cordi esse debet. Unde oportet votis desideriisque nec in se essentialibus nec ob rerum adiuncta postulatis renuntiemus, quoties eorum propositione impedimentum vel minimum unioni perficiendae oriretur. Vota igitur circa dogmaticas res in quibus definitiones haud adeo necessa-

riae fidelibus orientalibus minus placere videntur, ut non proposita habeantur, si unioni quam maxime appetendae eorum propositione obstaculum vel levissimum fieret.

Haec sunt vota quae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico summa observantia et submissione perfecta exhibenda esse duxi. Interim, gratiis actis pro consultatione ad me missa, pro felici exitu Concilii una cum omnibus sodalibus Congregationis Missionariorum a Sacra Familia preces ad Patrem luminum cotidie fundere non desinam et me profiteor praefatae Commissionis

servum ultimum
P. HENRICUS BLIESTLE
Superior Generalis
Congregationis Missionariorum a S. Familia

39

REV.MI P. RICHARDI LECHNER

Superioris Generalis Congregationis Missionariorum Filiorum SS. Cordis Iesu

Die 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Augusti Pontificis desiderio cognoscendi opiniones seu sententias futuri Concilii Patrum in litteris Eminentiae Vestrae die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-2069) mihi expresso obsequens, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice institutae ea intendo exponere consilia et vota, quae mihi tamquam Superiori Generali congregationis missionariae accurata deliberatione peritis cum patribus habita in Concilio Oecumenico videntur esse tractanda.

1. *De Sacrificio Missae*

a) Permittatur quod *orationes et lectiones in Ordine Missae* usque ad Credo inclusive occurrentes ad libitum *lingua vernacula* cantari seu recitari possint.

b) Introducatur in Missale Romanum *praefatio propria* etiam pro tempore *Adventus*.

c) Adiungatur ad Missas votivas in Missali Romano iam insertas alia *Missa votiva ad vocationes sacerdotales religiosasque obtinendas*.

d) In terra missionum necnon in diasporae regionibus concedatur de iure quod Sacrificium Missae etiam super *antimensium* celebrari possit.

e) *Pericopae S. Scripturae diebus Dominicis recitandae* ita augeantur ut eadem pericopa *semel in triennio tantum* occurrat eum ad finem, ut abundantes S. Scripturae thesauri amplius in concionandi munere exhauriri possint.

f) Desiderabile esse videtur quod praescribatur *Missa votiva sollemnis ad Fidei unitatem consequendam* sive die Dominica in octava ad obtinendam Fidei unitatem mense ianuarii instituta, sive Dominica Secunda post Pascha (Dominica sic dicta Boni Pastoris).

2. *De Sacramentis*

a) Permittatur quod in administratione Sacramentorum *Baptismi, Confirmationis* et *Extremae Unctionis* ad libitum *lingua vernacula* adhibeatur.

b) Commendatione dignum esse videtur quod tam Summus Pontifex litteris encyclicis quam locorum Ordinarii litteris pastoralibus quaestionem *abusus Matrimonii* interdum tractent ita ut confessariis grave confessiones rite excipiendi munus facilitetur, quam gravitatem maxime diebus maioris concursus populi experiuntur.

c) Commendatur quod *laicis* assiduitate in servitio pro Ecclesia probatis moribusque bonis excellentibus *usque ad acolythatum, fratribus laicis* cum votis perpetuis similiter idoneis *usque ad diaconatum* ascendere permittatur.

3. *De instauranda et propaganda Fide*

a) Disputandum esse videtur, utrum constituenda sit particularis permanensque *Pontificia Commissio* ad quaestiones quae spectant *Fidei unitatem* tractandas directa.

b) Desiderabile esse videtur, quod amplius quam usque adhuc in Ecclesia *ex officio oretur* pro obtinenda christianorum disiunctorum unitate.

c) Ordinarii locorum regularibus *maiorem praebeant liberalitatem* in institutis religiosis constituendis conquirendisque vocationibus.

d) Ordinarii locorum cum Opere Pontificio de Propaganda Fide cooperantes convenienter provideant *pro studiosis ex terra missionum provenientibus* et nunc in terra christiana degentibus tam domicilia quam curam animarum.

e) *Reservationes* benedictionum necnon censurarum *reducantur* ad modum qui facilius possit prospici.

4. *De Officio Divino*

a) Optabile esse videtur, quod denuo pertractentur *lectiones Secundi Nocturni.*

b) Concedatur quod *Horae Minores* ad libitum recitentur.

c) Permittatur quod *Officium Divinum* ad libitum *lingua vernacula* possit recitari.

Vestrae Eminentiae
dev.mus et oboed.mus in Domino

P. RICHARDUS LECHNER
Superior Generalis
Congregationis Missionariorum Filiorum SS. Cordis Iesu

40

REV. MI P. MICHAËLIS GOISON
Superioris Generalis Filiorum Charitatis

Parisiis, 4 septembris 1959

Reverendissime ac Eminentissime Pater,

Cum epistulae Paternitatis Tuae, quamvis datae die 18 iunii, die 22 iulii ad me Lutetiam Parisiorum pervenerint, urgente quoque necessitate visitationis quarumdam paroeciarum nostrarum, Assistentibus meis generalibus per diversa loca pro suis aestivis ministeriis iter facientibus, difficillime fuit citus conficendi responsiones istas. Ideo precor Paternitatem Tuam indulgere pro mora involuntaria ac redactione forte minus expolita.

Ecce ergo infra puncta aliqua, de quibus evidentia satis frequenter fulget oculis presbyterorum meorum in ministerio paroeciarum suburbanarum, vel quoque in ministerio speciali « assistentium pro Actione Catholica » in zonis industrialibus, tam in Gallia quam in Canada aut in Marocco.

Eadem occasione, sperans ac sollicitans specialem benedictionem de Tua benevolentia, me toto corde profiteor, Reverendissime ac Eminentissime Pater, Paternitatis Tuae humillimum ac oboedientissimum servum in Christo Domino

P. MICHAËL GOISON
Superior Generalis Filiorum Charitatis

Caput I

De coadunatione oecumenica totius Corporis Mystici ecclesiastici cum Roma Capite

In zonis suburbanis conveniunt multitudines laborantium. Extracti sunt e regionibus longinquis provinciarum ruralium et ideo eradicati tam geographice quam sociologice ac psychologice. Inde Fides eorum traditionalis instituitur in reali periculo et, ut in pluribus, vadit in perditionem cum moribus et consuetudinibus quibus utebantur antea ruri. In his circumstantiis, frequentissime surgit propagatio sectarum multarum maxime pseudo-biblicarum, quibus facillime annuunt cum aviditate religiositatis pro supplemento religionis perditae.

Harum sectarum (v. gr. Testes Jehovah, Amici Hominis, Pentecostalium...) suprema vis ac virulentia provenit ex imbecillitate et fragilitate communitatis christianae, cuius *divisiones et schismatica* (vel haeretica) *dispersio vertuntur in petram scandali in conspectu totius multitudinis* degentium in istis zonis.

Ista « *crucifixio mystici Corporis Christi* » inter diversas denominationes christianas concurrentes apparet frequenter propter discrepantiam verti in obstaculum irrefragabile adversus fidelitatem christianam multitudinis, quam insuper iam constituit in periculum infidelitatis ipsa transplantatio sociologica.

Istius facti gravitas iam retinuit attentionem S. Ecclesiae Matris nostrae. Documenta quaedam ut v. gr. « *Cum compertum* » (5 iunii 1948) vel « *Ecclesia Catholica* » (20 decembris 1949) explicite tradiderunt directorium adaptatum (*A.A.S.* t. 42/1950 pp. 142-147).

Ex parte « Conventuum Oecumenicorum » et « Consilii Ecclesiarum », iam crevit motus « *Faith and Order* » magis quam tendentia « *Life and Work* »: hoc significat crevisse despectum erga doctrinalem indifferentismum ac proinde crevisse facilitates ad inveniendas vias quae ducant non ad meram unionem sed ad veram renovationem unitatis « in Fide simul ac in lenitate »...

Duo textus maximae significationis adsunt de hac quaestione, quorum auctor illistrissimus nominatur Dr. Visser't-Hooft, secr. gen. Concilii Ecclesiarum ac redactor actuum Conventus Amsterdam 1948.[1]

In quibus textibus, manifestatur etiam *admiratio erga Sanctam Sedem* et quidem *verum desiderium* (ut aiunt: nostalgie, Heimatweh) de prae-

[1] Cf. *Rapport du Congrès d'Amsterdam* 1948 in « Catholicity » excerpta 1947 pp. 36-40.

rogativis, praestantia, efficacitate huius Supremae S. Sedis, rememorando explicite notionem genuinam Ecclesiae (Koinônia) in primordiis *secundum definitionem Actuum et Epp.*: non tantum quoad communionem sacramentorum, sed prius ac maxime quoad identicam et authenticam attestationem communem Fidei.

Inde, etiam aspera ac laboriosa, aperta patet via readunationis in illum authenticum ovile Christi cui Petrus ac Eius successores in Romana Sede praesunt.

Attamen *conditio praevia cuius realizatio urget sine peculiari impedimento requiritur simul a parte nostra*:

Educatio praeparatoria systematica nostrorum fidelium!

Nonne praesens Concilium, cum ex eius indictione exorti sint rumores oecumenismi etiam sensu largiori, posset inquirere media realizandi votum praevium descriptum *in epistula S. S. Papae Pii XI* (24 iunii 1924) ad Archiepiscopum sedis Olmütz dicentis: « .. Spes autem firma animae nostrae insidet futurum ut huiusmodi conventus (agebatur de congresso Welehrad. *A.A.S.* 1924 p. 327) proposita valde conferant *ad multa dubia et errores, etiam crassiores, obliterandos* qui *circa Orientis historiam et religiosam vitam in vulgus* (scl. fideles latinos) *irrepserunt...* ».

Simili voto, S. Exc. Mgr. *Charrière* Episc. Gen. Frib., in suo mandato ad clerum (iulii 1958) occasione festivitatis SS. Cyrilli ac Methodii, addebat: « *Hoc esset aequaliter opportunum* (*mutatis mutandis*) *erga communitates christianas dissidentes etiam usque ad haeresim in partibus Occidentis...* ».

Insuper, inquantum fideles nostri latini experiuntur et attestant in vita sua quotidiana profundiorem conscientiam claram suae adhaesionis spiritualis Christo Capiti Ecclesia romana mediante in lineam « mysterii » Baptismi scl. « *mortem ac resurrectionem paschales per Christum, cum Christo et in Christo* », in tantum praeparant seipsos et efficaciter tendunt ad perfectam readunationem ultimam totius familiae christianae baptizatorum in unitatem Christi mediante unitate visibili Ecclesiae authenticae. Et sic melius ac melius effulgebit splendor Ecclesiae Romanae in evidenti praestatione Mysterii christiani, cuius notionem non sunt obliti fratres nostri orthodoxi et rememorantur etiam gradibus diversis ipsi quoque haeretici.

Renovatio paschalis, non tantum in liturgica celebratione sed et *tota pastorali* et *constanti Kerygmate,* multum proderit favebitque ad hanc praeadunationem obtinendam.

Caput II

Structuratio pastoralis
secundum dimensiones reales hodiernorum problematum

Existunt entitates pastorales in Ecclesia: vel traditionales v. gr. paroecia, sive essentiales v. gr. dioecesis. Agnoscendae sunt pleno corde, nec ullo modo despiciendae.

Explosio tamen demographica temporibus nostris saec. XX, simul ac fluiditas *mobilitasque multitudinum* popularium (*immigrationes* externae aut frequentius internae ut « exode rural »... *vacationes* cum stipendio laboris ut « congés payés »... consuetudo urbem fugiendi in fine cuiuscumque septimanae ut « *week-end* ») necnon et *concentratio industrialis suburbana* (urbes canceriformes tentaculariae, « bidonvilles lotissements » ut aiunt, favellas tam in Gallia quam in Canada vel Marocco v. gr. Parisiis, Marianopolitan., Rio de Janeiro, Casablanca) profunde magis ac magis *mutaverunt conditiones implantationis pastoralis structurarum ecclesiasticarum.*

In urbibus paroeciae cum 10.000 usque ad 65.000 animis inhabitantibus frequentissime inveniuntur. Istis dimensionibus, cessant esse realiter « *par-oikiai* » i. e. « vicinitates » (angli dicunt: neighborhood)... Deveniunt tantum « *loci geometrici* » plurium vicinitatum valde diversarum, simul quoque « *loci inter-actionis,* fallacis coincidentiae ac realis discrepantiae » diversarum *specialium affinitatum sociologicarum* (vulgo dicunt: « milieux de vie »).

Ruri: paroeciae mutantur... sive in quasi-urbanas agglomerationes... sive in ruinas et habitationes sine habitantibus (*exodus demographicus vel oeconomicus,* pro defectu natalitatis vel possibilitatis laborandi utiliter)... sive, dum persistant, sub-eunt in dependentiam magis ac magis strictam erga puncta accommodatissima negotio (« *villages-centres* »). Inde oriuntur circuli sociologici specifici ac districti homogeneizati (les « *zônes* »).

Pari gradu, sed cum maiore complexitate, in urbibus apparuerunt entitates sociologicae speciales (« *secteurs* »). Diversae sunt et territorialiter et sociologice. Diverso modo connectuntur, implicantur, superimponuntur, coincidunt vel non, pro diversitate multiplici affinitatum quoad territorium (« lieux de voisinage ») et quoad statum sociologicum vitae quotidianae (« milieux de vie »)...

Exinde consequitur novitas ac complexitas structurarum pastoralium.

Exinde necessitas cuiusdam harmoniae innovandae.

Paroecia traditionalis classica antiqua definiebatur sine referentia nec dynamica nec canonica ad tales structuras tunc inexistentes.

Harmonizatio sine detrimento pro ipsa paroecia. Sed articulatio ipsius cum istis zonis, sectoribus, quadratis partibus (« quartiers »); qui omnes sunt aut maiores aut minores quam paroecia, sed necessarii duplici titulo:

a) tam pro implantatione correcta *Actionis Catholicae;*

b) quam pro orchestratione perfecta Pastoralis Generalis (« *pastorale d'ensemble* »).

Mutatis mutandis, *idem valet quod attinet ad dioeceseos.*

Horum fines et implantatio, horum interna organisatio debent aptari ad hodiernam mobilitatem ac magnitudinem vitae humanae quotidianae. Inde difficultas.

Permultae earum, et quidem frequenter paene omnes, multo constrictae et *infirmiores* sunt pro positione ac solutione problematum maiorum cuiusdam nationis: v. gr. cultura vocationum, formatio cleri, scholae publicae aut privatae, fluctuatio ac migratio fidelium operariorum, integratio correcta fidelium durante aestatis periodica vacatione...

Sunt tamen, eodem tempore, multo *grandiores et graviores* quam possint arbitrari ac animari unico gradu; ex. gr. Parisiis cum 6.500.000 inhabitantibus (scl. 2.750.000 in ipsa urbe intra-muros; alii in agglomeratione oeconomica dicta « Grand-Paris », maxime in ipso « departimento » Seine) *maior exstat quam tota natio helvetica* et est numerosior quam triginta (30!) maiores urbes Galliae ut Lyon, Marseille etc.

Ergo, tam pro orchestratione pastorali quam pro articulatione A. C., tam pro relationibus cum auctoritatibus civilibus quam pro consideratione realitatum profanarum evangelizandarum (ut sunt scholae, districti industriales ...), *urget definitio, implantatio, animatio, coordinatio multorum mediorum diversorum* ad debitam congruamque evangelizationem.

In hac linea, exstant iam feliciter multae ac pulchrae adinventiones:

— *directorium* sacramentorum, directorium in materia sociali ad usum omnium dioecesium Galliae; liber quoque ritualis renovatus communis ...

— vota ac commendationes *Conventus Cardinalium et Archiepiscoporum* (A. C. A.),

— interventiones *Commissionum episcopalium* pro diversitate materiarum,

— activitas benefica *Secretariatus Episcoporum,*

— aliqui *Conventus Episcopales* pro tota Gallia,

— *Uniones Superiorum Maiorum* Religiosorum ac Religiosarum (CPR),

— *Uniones specializatae pro Religiosis*: U.R.E - U.N.C.A.S.H. - U.R.E.P.

— *Centrales technicae* diversificatae pro Actione Catholica vel Pastorali Generali: v. gr. ACO, ACI, MFR, JOC, JEC, JIC, JMC ... AC schol...

Union des Oeuvres (Congressus pastorales), CPL, CPMI, CPR, CFPMR ...

Per haec omnia videtur esse obvium desiderium satisfaciendi cuidam necessitati, quae forte consequitur *lacunam ortam* (non sine incommodo) *e subita interruptione Concilii Vaticanii anno* 1870: tunc tractatus *de episcopis* non potuit expoliri cum elucidatione tam fausta quam illa cuius proclamatio iucunda, plaudentibus christianis toto in Orbe, Deo favente illustravit splendidum tractatum *de Romano Pontifice et Eius infallibilitate; nonne erit possibile resumere labores huius Concilii Vaticani ad continuandum illum de hac quaestione.*

Quod apparet valde desiderabile maxime nobis presbyteris unius Congregationis regularis iuris pontificii pro pastorali ministerio dioecesano specialiter deditae in paroeciis suburbanis et in A. C. sectoribus... et hoc quidem plurimis in dioecesibus ac terris seu in Canada seu in Gallia seu in Marocco.

Etenim experimur necessitatem cuiusdam harmonizationis de una dioecesi ad alteram, sine ullo detrimento distinctionis eorum, sed pro beneficio problematum maiorum. Interea vocati, devoti, professi in servitium pastorale dioecesanum sine ulla discrepantia sed e contra totali cooperatione cum fratribus nostris sacerdotibus saecularibus (nam militia clericalis dioeceseos unica est, tam regularium quam saecularium composita!) experimur quoque veritatem ac mysterium patristicae formulae « Nihil sine Episcopo! » sed laborare intendimus « in manibus Episcopi fideliter commendati »...

Caput III

Normalisatio optata in recuperatione copiarum sacerdotalium

In hoc anno commemorationis S. J. M. Vianney patroni omnium parochorum videtur opportunitas elucidandi problema melioris partitionis ac efficacitatis copiarum sacerdotalium.

Cooperatio laicorum in militiis A. C. significat ac connotat missiones formaliter appropriatas conditioni laicali militantium. Haec institutio nullo modo intendebat ad sublevandum laborem specifice sacerdotalem

adiumento fidelium. Insuper, efficacitas militantium semper proportionatur exigentiis illorum erga sacerdotem pro eorum pabulo doctrinali vel sacramentali, necnon et pro animatione pastorali in agendo titulo assistentiae ecclesiasticae apud illos.

Ex altera parte, penuria sacerdotum in multis regionibus orbis terrarum valde cognita patet ac deploratur, v. gr. pro America Latina, Africa, Asia...

Mutatis mutandis, idem valet in Occidente quoad inaequalitatem militiae sacerdotalis pro numero multitudinum inhabitantium illic. Exempli gratia:

a) *urbs quaedam* (scl. Augustodunum, anno 1940) cum 15.000 civibus utebatur 42 sacerdotibus ... sed *paroecia una tantum* (Domina Nostra S. Spei, Parisiis XI d., cuius eram ipse parocchus ann. 1947-1951) cum suis 38.000 paroecianis evangelizandis munita erat tantum quinque sacerdotibus ...

b) vicinitates novae creationis, in sex menses erectae ut Poissy-Beauregard (dioec. Versaliensis), generaliter denominatae « *grands ensembles* HIM » cum 12.000 usque ad 35.000 inhabitantibus non possunt statim erigi in paroecias propter totalem defectum militiae clericalis; *sacerdotes enim provinciarum non sequuntur* fideles suos in exodum ad civitatem.

Peraequatio incepta est diversis modis:

1) recursus ad *Congregationes regulares* iuris pontificii; speciatim quarum Regula expresso modo formaliter destinatur et aptatur ad ministerium pastorale ordinarium. Huiusmodi sumus nos Filii Caritatis pro populo paroeciarum ac sectorum Actionis Catholicae Operariorum (ACO, JOC). Inde frequenter aiebat Em. ac Rev. Cardinal *Verdier* (antea rector meus spiritualis): « Vos, Filii Caritatis, estis religiosi *mei* ... »;

2) simili modo, recurritur ad *instituta clericalia saecularia interdioecesana* (v. gr. Prado) vel ad « Mission de France » specialiter ad hunc finem ortam;

3) tertia formula consistit in *praestando ad tempus definitum* (ex. gr. 5 annos) non sacerdotes quosdam individualiter ac separatim sumptos, sed *collective agmen quoddam e pluribus coadunatum,* destinatum in *sectorem* territorialem alterius dioeceseos: in qua habent regendas paroecias vel separatim vel in solidum sed semper in utroque casu *modo certae cooperationis* tam spiritualis quam apostolicae. Ex. gr.: sacerdotes andegavenses commodati dioecesi bituricensi in sectore S. Florentini, cum concertatione valde fausta vicini sectoris nostri in Vierzon.

Quae omnia approbanda videntur et praeconizanda. Attamen esset quoque desiderabile:

a) sacerdotes *recuperare in ipsamet dioecesi* paupere, non solum melius discernendo vocationes ignotas quae remanent saepissime incultae, sed postea in ministerio *intensiori animatione* spirituali, pastorali, physica etiam (hyperactivitas periculosa vel hypoactivitas crassa aut inorganisata), *audacter redistribuendo* sacerdotes eorumque officia pro maiore opportunitate ac utilitate novarum populationum, sine excessivo respectu erga munera anteriora exercita aut existentia;

b) forsitan, suppeditare quoque sacerdotium *creando militiam diaconalem* organizatam diverso modo prout depingitur in libro dicto « *vers un renouveau du diaconat* » (auctore RP. Winninger, prof. Strasb.): sive typo germanico ut sunt membra associationum coelibatorum in forma instituti perfectionis ad coadiuvandum clerum paroeciarum ... sive typo argentino ut fideles ordinarii, sacramento matrimonii coniugati, cum mandato catechistarum in dissitis centris ... sive typo cleri antiquioris dum remanebant longiori tempore in statum ordinum minorum (et non transitorie sicut hodie « les étapes du Sacerdoce ») ... *dummodo praecaveatur omnino ne contaminetur ullo modo prestigium inamissibile coelibatus fulgentis in splendorem inter sacerdotes latinos occidentis* (et etiam inter multos cleros Orientis).

Caput IV

De mutua habitudine Actionis Catholicae et Regni Dei

Haud dubium est permulta documenta S. Romanorum Pontificum de Actione Catholica, quasi innumerabilia, constituere verum *corpus doctrinale* in hac materia. Imprimis exhortatio recens S. Pontificis *die 5 octobris 1957* ad conventum mundialem Apostolatus laicorum praefulget praeclarissima. Quae omnia non sunt evidenter denuo tractanda nec repetenda.

Sed, occasione Concilii, oportuna videretur exhortatio quaedam valde utilis de *sequenti speciali puncto* in quo difficilius aliquando nonnulli inveniunt viam rectam inter excessum aut defectum ... Est hoc:

Quomodo practice componenda sit antinomia inter transcendentiam et *incarnationem* aeque salvandas diffusione Evangelii authentici: prima enim, scl. transcendentia supernaturalis essentialiter pertinet Regno Dei, etiam cum agitur de illius inchoatione ac praefiguratione hic et nunc in rebus terrestribus; secunda tamen est promovenda, scl. realis incarnatio

doctrinae moralis evangelicae usque in quaestiones concretas ac temporales de quibus agitur necessarie in multis casibus conscientiae militantium, foro sociologico, oeconomico, civili, politico ...?

Hic addam aliqua verba ad illustrandam difficultatem:

1. Surgit saepe tentatio gravis, *apud aliquos,* obliviscendi quod affirmabat S. Pontifex Pius Pp. XI: « *Ecclesia non evangelizat civilisando,* sed e contra *evangelisando, consecutive et de facto civilisat* ».

Hoc fecit evangelium Pauli multo efficacius quam rebellio Spartaci. Abolitio servitutis antiquae (ac recentis quoque modernae) consequitur promulgationem Regni Dei: non praecedit eam, neque necessarie in ordine mediorum, neque praecellentia in ordine finium.

2. Haec nociva inversio in intentione finis aut in prosecutione mediorum non raro circumvenit mentes militantium. Insufficienter distinguunt suam duplicem missionem in A. C. ab altera ipsorum missione ut cives (et quidem cives christiani) in actione civili temporali:

a) ut militantes Actionis Catholicae, *prima* eorum missio consistit in *confessione Fidei,* modo laicali scl. *testimonio vitae* totaliter christianae et aliquando etiam « *homologiâ verbi* » ... Hoc est proprium omnis christiani, vi Baptismi sui; insuper cum perventum est ad aetatem superadultam in Christo per receptionem Sacramenti Confirmationis. Haec « homologia » vitae ac verbi semper fuit in usu a primordiis Ecclesiae (cf. R. P. J. Hamer in *Rev. Sch. Ph.-Th.* 1957, p. 555). Et convenit a fortiori militantibus in A. C., dum expresse organisantur et coadunantur ad cooperandum hoc laicali modo cum Hierarchia in Evangelizatione mundi;

b) ut militantes A. C., *secunda* eorum missio (quae primam consequitur et ab illa profluit) protrahit eorum Fidem et Caritatem evangelicam *usque ad assumptionem rectam et christianam rerum temporalium ac terrestrium,* systematice intentam et communitaria prosecutione realisandam, ut haec omnia fiant « corpus Civitatis Dei » (cf. Peguy, Double racination in: Eve)... non *de mundo* (iohannico sensu) sed in mundo (thomistico sensu). Haec missio includit obligationem spiritualem *civilizandi,* quae *consequitur exigentias Evangelii* quod in missione prima habebant praeconizandum quasi-kerygmatice saltem testimonio vitae, una cum homologia verbi;

c) ut *cives Civitatis Hominum* tandem, *tertia* missio adest eis: obligatio moralis *civismi,* tam titulo legis evangelicae Caritatis quam titulo legis divinae simpliciter naturalis. Exinde responsibilitates multae, *sicut in secunda missione.* Et hoc *in foris valde diversis* (« engagements temporels »): professio oeconomica, associationes familiares pro scholis vel domibus construendis, problemata gestionis in munici-

pio, politica proprie dicta ... Et tunc fiunt pleno iure agitatores *temporales* (vulgo: « meneurs », « leaders »). Id est, non solum in rebus temporalibus, sed positive ac formaliter in intentione finium stricte temporalium et sub hoc respectu reduplicative ut sic.

His statutis, evidens est de facto quod *non pauci militantes* (forsitan, quia *nonnulli* assistentes ecclesiastici ipsi?) *confundunt* haec tria puncta:

— *prima missio obliviscitur* in fulgore secundae magis elucidatae;

— *secunda missio assimilatur indebite cum tertia,* cum non distinguuntur omnino in purificatione intentionis, sub praetextu quod coincidunt materialiter saepe ac saepe in eisdem activitatibus (« le même engagement »).

Et sic evacuatur practice omnis Actio Catholica formalis, non sine multis incommodis profluentibus ex ista confusione. Solidaritas in Baptismo evanescit, crescente ultra modum violentia sectaristica diversarum oppositionum temporalium ... Paulus evacuatur a Spartaco denuo evigilanti: Evangelium contaminatur. Liberatio temporalis (adiuvante Christo) evacuat Liberationem Supernaturalem (adiuvante civismo).[1]

Ad vitandum hunc defectum, necesse est promovere laborem purificationis in duas lineas:

1) primo in linea *pluralismi optionum temporalium* (dummodo congruentium cum doctrina catholica). Hoc designatur optime in A.C.O. sub vocabulo « *regroupement* ». Libertas transcendentalis Evangelica renascitur e coadunata diversitate plurium optionum temporalium, praesertim in gradibus infimis uniuscuiusque organisationis A. C. (de plano « *à la base* » au niveau des « sections et équipes locales »). Hoc *ad intra* in unaquaque organizatione (ACO *vel* ACI *vel* MFR etc.). Quo deficiente, militantes discrepantes aut practice evacuantur (hors jeu) aut indebite annumerantur optioni politicae valde non necessariae cui repugnant in corde dum alterae libentius annuerent. Sub illo respectu, multi periodici scripti in paroecialibus publicationibus in nomine A. C. essent purificandi istius sectarismi interni; sicut et aliquando declarationes, motiones, petitiones insufficienter expolitae ...

2) secundo in linea *pluralisticae coadunationis christianae* diversarum organisationum A. C. (les « mouvements ») *ad invicem in Christo* ... ex gr. ACO cum ACI... Et hoc in situ triplici:

a) aperte, in *liturgica et eucharistica communione,* in foro paroeciae vel in foro maiore dioeceseos;

---

[1] Cf. *Vie dans le monde et vie dans le Seigneur,* in « Vie Spirituelle, avril 1957, pp. 401-408.

b) technice, in *conventibus* mixtis (ACO-ACI, JOC-JEC-JIC...) *pro formatione perfecta* militantium in ordine ad A. C. ... sicut fit in materia sociali pro actione syndacali (les « commissions paritaires » ut aiunt);

c) ecclesiastice, in *periodicis manifestationibus solemnioribus,* pro affirmatione solidaritatis effectiva ac constructiva in *unitate baptismi*: ut ista sit realiter fortior quam discrepantes solidaritates naturales limitatae diversarum conditionum (« ouvriers-bourgeois »: lutte des classes!).

Nota bene quod haec coadunatio in Christo non intendit ad evacuandam diversitatem aut naturalem oppositionem constructivam, sed ad complendas diversitates ad invicem tam in civitate temporali quam praesertim in inchoatione Civitatis Dei supernaturalis, lege Regni Christi progressive substituta loco legis peccati ac statu Babelico. Actio Catholica specialisata ac diversificata est valde fausta et summe necessaria; reliquum est ut compleatur ad perfectionem ope practicae coadunationis in Christo.

De facto, labor iste constantis purificationis iam realiter intenditur et non sine successu. Hoc erit semper materia difficultatis renascentis et purificationis reiterandae usque ad consummationem saeculi. Sed, de praesenti, difficultas apparet non chimerica: melius valet praeservatio quam sanatio ...

Caput V

Renovatio Biblica ac Liturgica in habitudine cum pastorali missionaria

De ista renovatione biblica ac liturgica, plaudentibus populis ac clericis, sub ipsa auctoritate suprema Sanctae Sedis, nil dicam nisi ad optandum quod Concilium det occasionem *illam intensificandi* in oboedientia stricta regulis authenticis et hierarchicis, unde evenit possibilitas maxima in favorem innovationum utilium etiam audaciorum, quae videbuntur opportunae iudicio S. Romani Pontificis.

Fausti effectus Encycl. *Divino afflante Spiritu* pervenerunt ad clerum et, ultra clericalem militiam, usque ad meliores fideles (les « élites »). Restat tamen multum opus in futuro, ut attingantur *omnes* fideles (le « tout venant », les « chrétiens moyens »). Speciatim, quod attinet ad meliorem ac utiliorem usum Verbi Dei per Scripturam Sacram, in proximitate ambivalenti (scl. periculosa simul ac stimulante) multarum sectarum biblicarum aut pseudo-biblicarum valde aggressivarum.

Non agitur, evidenter, de impossibili transformatione fidelium om-

nium in peritos exegetas...! Paene pauci eorum gustum retinent (aut tempus capiunt) legendi libros etiam profanos.

Sed *homileticae praedicationes* possent esse frequentiores, dummodo sint quoque sufficienter praeparatae in studio, meditatione ac oratione proprie dicta, ita ut attingant realitatem permanentem Scripturae inditam ad intentionem nostri qui in finem saeculorum devenerunt (cf. *I Cor.* X 11). Tunc veritas Scripturae deterget conscientias magis quam excitet curiositatem aut taedium.

Speciatim *meditatio evangelii* ad usum *militantium* A. C. praecaveret periculum utendi semper et unice illis « revisionibus vitae » ut aiunt. Nam Christus personalis Evangelii restitueret illis *authenticam adinventionem Ipsius* etiam in istis revisionibus vitae sub crasso ac mysterioso sacramento membrorum Eius, nostrorum proximorum fratrum.

Proinde, magnus labor opportunus erit ut liturgicae *Celebrationes* Verbi in celebratione Eucharistiae astruant effective assistentibus beneficium inventionis lucidae, in communi habitum, multorum textuum in Missali ac Rituali e Scriptura deprompторum. Haec *liturgica inventio Scripturae,* in *coetu fidelium, cum homiletica explicatione presbyteri,* apparet ut optima praesentatio *ad mentem Ecclesiae* secundum permanentem usum antiquum. Multi sane invito animo aperiunt librum Evangelii solitarie, propter difficultatem rectae intelligentiae textus et correctae applicationis ad suas animas.

Quando agitur de renovatione biblico-liturgica, problema reale consistit in difficultate introducendi fideles usque in nexum ipsius *mysterii,* sine diminutione vel corruptione illius sub falso praetextu facilitatis maioris. Vere: *Sancta Sanctis!* Hoc valet de Verbo scripto sicut de Verbo eucharistico ... Dominium istud apertum est tantum *fidelibus*: neophytae non introducuntur de plano, initiantur in porta.

Sed *quid de aliis?* De aliis qui non sunt *neque fideles, neque neophytae neque catechumeni* proprie dicti?

In regionibus longinquis ubi Fides propagatur antequam Ecclesia plene condatur, utantur specialibus documentis, vulgo « Directoires missionnaires ». In linea istarum regularum, dogma, moralis doctrina, rubricae liturgicae, omnia praesentantur demisse in tempore opportuno ad modum recipientis usque in perfectam elaborationem Fidei in neophytis (cf. ex. gr. « Pastorale liturgique et Chrétienté missionnaire » auctoribus J. Hofinger S. I., J. Kellner S. I., P. Brunner S. I. et J. Seffer S. I.: *De Instituto pastorali missionario Manila,* « Lumen Vitae », Bruxelles anno 1959).

Difficultas gravior surgit in territorio mixto, quando invenitur, sine discriminatione spontanea, agmen quoddam fidelium in medio « prosely-

tarum portae » (sive sint praxi sacramentorum iam paulisper assueti sive non sint) usque ad infideles proprie dictos. Urget tunc *necessitas cuiusdam specialis directorii* pro pastorali ista complexa, ad diudicandum authentice inter praescriptiones Iuris Canonici (vel aliorum codicum, nempe rubricae liturgicae) pro fidelibus stricto seu lato sensu dictis et inter alias praescriptiones erga infideles in statu approximationis et coadunationis constitutos, prae-evangelizationis gratia. Diudicatio haec praeterea necesse est ut sit sine detrimento fidelium pro beneficio infidelium et vice-versa.

Opus est longioris animi ... sed praecaveret periculosas confusiones liturgiae fidelium cum paraliturgia proselytarum in porta, necnon et confusiones inter ius canonicum *pro regimine fidelium* iam in ovili et aliud ius *pro pastorali missionaria* aliorum, sive sint oves longinquae ac perditae, sive sint populus « quod non est populus meus » (Osée I. 9) usque in diem praefinitum quando accedent et dicetur illis « Lô-Ammi, tu es mon peuple » et respondent « Deus meus! » (*Os*. II. 25-b). Quia oportet illas *adducere*... (*Ioh*. X. 16).

Ipso facto istius specialis directorii authentici pro pastorali complexa, praecaveretur periculum excentricitatis in inventionibus spontaneis in materia sive liturgica sive canonica (Baptismus indebite denegatus familiis tepidis vel imprudenter concessus familiis realiter theisticis; Matrimonium plus aut minus imparatum cum futuris; celebrationes paraliturgicae theatrales). Istarum aberrationum iam feliciter perempta est crisis transitoria decem annos antea et iam quasi totaliter oblita ...

Conclusio

Mihi permittatur uniendi vocem Filiorum Caritatis clamori valido totius christianae Ecclesiae clamantis cum Sancto Irenaeo (*adv. Haer*. III. 3 et 2):

« *Ad hanc enim eccelsiam, propter po*(ten)*tiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui praesunt ecclesiis conservata est ea quae est ab apostolis traditio!* ».

Ut Deus ...

P. Michaël Goison
Superior Generalis Filiorum Charitatis

41

REV.MI P. ANGELI M. OÑATE

Superioris Generalis Missionariorum a Spiritu Sancto

Mexicopoli, die 20 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litterae tuae venerabiles quas mihi de argumentis pro Concilio Oecumenico apparando scripsisti gratissimae fuerunt. Libenter, sed humiliter, omni cum libertate et sinceritate, pro meo modulo, animadversiones, consilia et vota mea, postquam ea cum ecclesiasticis viris peritis contulissem, ostendam.

Inter Praelatos quidem qui ad Concilium secundum can. 223 vocantur adnumerari non possum, nam nostra humillima Religiosa Congregatio exemptionis privilegio caret; nisi aliter in Concilii Convocationis Decreto aliquid statuatur.

Innixus, tamen, Tuis Litteris, et desiderio vehementi pro S. Ecclesiae decore animarumque bono promovendo aliqua tibi communicabo quae speciatim nostris adiunctis in America Latina congrua videntur.

I - *Doctrinae capita*

Ut tamquam fidei dogma doctrina de Spirituali Maternitate B. Virginis Mariae declaretur.

II - *De disciplina cleri et populi christiani*

a) Lugendum dissidium inter Dioecesanum et religiosum Clerum corrigatur: In Mexicana Ditione, ex. gr. omnes omnino Episcopi residentiales e Dioecesano Clero sunt. Omnia Seminaria Dioecesana ab eodem Clero reguntur, quamvis directio spiritualis aliquando religiosis commendetur.

In Seminario dioecesano saepe hoc dissidium verbis vel factis fovetur quae despectum religiosorum ostendunt.

Contentio utriusque Cleri pro vocationibus earumque oeconomica sustentatione est.

Sicut in aliis Ditionibus Americae Latinae mos viget, forsan conveniens erit, ut hoc dissidium mitigetur, Episcopos etiam e Clero religioso eligere. Religiosis aliqua munera dare quae in dioecesanum Clerum influant, ut, ex. gr., Visitatoris Seminariorum in aliqua regione, etc.

Aliqua excogitare quae unionem inter duos Cleros fovere possint. Fideles hoc dissidium aliquoties advertunt magno cum spirituali damno.

b) Maximum problema in America Latina est paucissimus numerus sacerdotum:

1) Seminaria foveantur.

2) Superioribus religiosis facilitas dispensandi, in urgentioribus casibus, detur, pro necessitate extrema fidelium aliquarum praescriptionum, et quidem sapientissimarum, Instructionis Pontificiae « Sedes Sapientiae » (ex. gr., quoad 5um de theologia Pastorali annum).

3) Plus aequa Cleri distributio in studium adducatur, nam cum Europa abundet, in America Latina quasi omnino deficit. Clerus religiosus facilius movetur: non enim curam de re familiari habet.

c) Ut dissidentibus quam maximae facilitates, ut in sinum S. Matris Ecclesiae Romanae redire possint, dentur.

d) Cum *ignorantia religiosa* sit maximum periculum et damnum fidelium, ubique, sed fortasse magis in nostra America Latina, ob defectum seu Cleri paucitatem, opus est ut media adhibeantur ut Instructio Catechetica magis ac magis promoveatur.

e) Cum moralitas publica in suo statu inter fideles semper declinet, media aptissima promoveantur ut Instructiones Pontificiae adamussim serventur quoad usum moderarum inventionum cinematographi, radii et televisionis.

f) Forsan conveniens erit supprimere, quando occurrat, dies festos obligationis inter hebdomadam, quia ansam praebent anxietatibus et peccatis, propter praeceptum audiendi Sacrum et non laborandi, quia in modernis officinis et negotiis labor nisi in dominicis cessat.

Post haec, tam obiter et humillime dicta, pergratum mihi est Eminentiae Vestrae ex corde profiteri

add.mum servum

P. ANGELUS M. OÑATE
Superior Generalis
Missionariorum a Spiritu Sancto

42

REV.MI P. GASPARIS MUNAR

Superioris Generalis Congregationis Missionariorum SS. Cordium Iesu et Mariae (Mallorca)

Palmae Maioricarum, 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Accepi litteras Eminentiae Vestrae Rev.mae, datas sub N. 1 C/59-2074, quibus a me quaerebatur ut manifestarem animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio pertractari possent.

Praetermittens ea quae ad doctrinam fidei spectant, quoniam in locis ut habito et inter personas quibus conversor nullum errorem formalem animadverti, aliqua ad disciplinam cleri populique christiani pertinentia, summatim indicabo.

Capita praecipua, meo quidem iudicio, reformatione digna, sunt sequentia:

a) *De clericis.*

Can. 124. - Clerici complurimi, tam saeculares quam regulares, magis magisque recedunt a sanctis normis traditis a Pio X et Pio XII in Exhortationibus *Haerent animo* et *Menti Nostrae,* ac in recentissima Encyclica *Sacerdotii nostri primordia* Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis. Authentica vita apostolica, quae innititur oratione, abnegatione, exemplo, doctrina et beneficentia, diabolica fraude subrogatur actuositate mere externa, quae de omnibus curat, sed intimam unionem cum Deo penitus negligit.

Multi sacerdotes, praesertim iuvenes, praetextu homines huius temporis Deo lucrandi, magis ac magis se attemperant moribus mundanis et sensim sine sensu illis inficiuntur. Datur, ni fallor, verus irenismus moralis, qui in multis sacerdotibus austeritatem evangelicam corrumpit.

In multis seminariis notatur inter alumnos excessivum studium ludorum athleticorum (deportes) et spectaculorum cinematographicorum. Ac insuper, perperam interpretantes aliquam ex sapientissimis normis Exhort. *Menti Nostrae* multi nimis libertati favent, et autosufficientes se existimantes, sibi arrogant facultatem videndi, legendi et iudicandi quae-

cumque occurrant, et hoc cum gravi nocumento solidae pietatis et oboedientiae.

Can. 129. - Sacerdotes iuvenes fere omnes negligunt studia ecclesiastica, quod aperte notatur in examinibus pro licentiis ministerialibus.

Can. 140. - Clerici non pauci, immemores praescripti huius canonis, assistunt spectaculis, choreis, etc. etiam in publicis theatris.

Oporteret ordinare normis expressis interventum clericorum in apostolatu cinematographico; alioquin assistentia eorum talibus spectaculis in aulis paroecialibus magis in dies crebrescit.

b) *De religiosis.*

Can. 500. - Maior ac sincerior coniunctio voluntatum desideratur inter sacerdotes saeculares ac regulares. Etiam inter religiosos et Ordinarios locorum.

Can. 501. - Potestas dominativa quae iuxta placitum can. 501, solum competit Superioribus Congregationum votorum simplicium, aliquando videtur insufficiens ad flectendam voluntatem quorumdam sodalium desidiosorum vel dyscolorum. Cum Ordinarii locorum nullam interventionem habeant in regimine interno religiosorum iuris pontificii, etiamsi exempti non sint, videtur consentaneum in casibus gravioribus Superiores maiores talium Congregationum posse subditos compellere aliqua poena canonica.

Can. 522 et 876. - Nonne nostris temporibus esset magis accommodatum, requisitum illud specialis iurisdictionis pro valida confessione religiosarum, praesertim sororum, obliterare, attentis etiam diversis interpretationibus authenticis can. 522, quae illam iurisdictionem in praxi fere ad nihilum redigunt?

c) *De laicis.*

Can. 700. - Non videtur oportere ut Actio Catholica absorbeat caeteras pias associationes fidelium canonice erectas, nec vitae illarum quocumque modo detrimentum afferat.

d) *De sacramentis.*

Can. 782. - Praesuppositis variis interpretationibus auctorum circa extensionem conceptus ministri extraordinarii Confirmationis, et attento fine facultatum concessarum in Decreto « Spiritus Sancti munera », nempe, ne ullus fidelis moriatur absque auxilio illius sacramenti, nonne convenienter extenderetur illa facultas ad omnes sacerdotes qui veniunt sub nomine Parochi?

Can. 1118. - Causae declarationis nullitatis matrimonii in omnibus tribunalibus ecclesiasticis multo cum rigore tractentur oportet. Nonne op-

portunae evaderent aliquae poenae ipso facto incurrendae pro sacerdotibus, qui dissolutionem vinculi suadent vel aliquo modo cooperantur declarationi nullitatis cum conscientia validitatis eiusdem coram Deo?

Inter christifideles magis in dies amittitur sensus indissolubilitatis matrimonii canonici.

e) *De locis et temporibus sacris.*

Disciplina ecclesiastica circa observantiam festorum necnon et abstinentiae et ieiunii, multis in locis, notabiliter collapsa invenitur.

Can. 1162. - In quibusdam regionibus parochi saeculares, innixi canone 1162, non permittunt religiosis aedificare ecclesias, etiamsi manifestus sit defectus ecclesiarum ac evidens maior utilitas spiritualis fidelium.

Can. 1248. - Quoad laborem prohibitum diebus festis, nonne esset nostris temporibus accommodatum attendere potius ad occupationes quae impediunt cultum Dei, bonum animae et vitam familiarem, quam ad strictam rationem laboris servilis?

Can. 1252. - Desideratur lex definitiva circa dies quibus servanda est abstinentia et ieiunium.

f) *De cultu Sanctorum.*

Can. 1276. - Cultus Sanctorum deficit de die in diem in populo christiano.

Haec sunt praecipua capita circa disciplinam ecclesiasticam, quae, mea quidem sententia, aliqua reformatione indigent. Haec sacra Commissio sua praecellenti prudentia aestimabit quaenam sint reicienda et quaenam sint consideratione digna, si forte aliqua sint.

Praeterea liceat mihi manifestare eidem Commissioni quod libenter subscriberem complurimas aspirationes et vota quae P. Ricardus Lombardi tuetur ac propagat pro condendo mundo meliore.

Denique vehementer desidero ac toto corde exopto unionem omnium Ecclesiarum dissidentium, ut adimpleatur optatum Christi Iesu: « Ut omnes unum sint », in unitate fidei, in unitate regiminis et in unitate cultus.

Interim, qua par est reverentia, Sacram Vestram Purpuram deosculor et Eminentiae Vestrae Rev.mae addictissimus servus in Christo Iesu me profiteor.

P. Gaspar Munar
Superior Generalis Congregationis Missionariorum
Ss. Cordium Iesu et Mariae (Mallorca)

43

REV.MI P. IACOBI ALBERIONE

Superioris Generalis Piae Societatis a Sancto Paulo Apostolo

Romae, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Eminentiae Vestrae Reverendissimae (N. 1 C/59-2075) diei 18 iunii 1959 respondens, haec mihi videntur animadvertenda esse relate ad argumenta paranda pro futuro Concilio Oecumenico:

I - ANIMADVERSIONES, CONSILIA ET VOTA

A) *Quoad rem theologico-dogmaticam.*

1. Definitio dogmatis Mediationis universalis gratiarum Beatae Mariae Virginis.

2. In studiis theologicis videtur esse magni momenti etiam *pars practica et pastoralis,* praesertim pro iis tironibus qui curae animarum destinantur. In Theologia, igitur, dogmatica, morali, maxime vero pastorali docenda et discenda, detur possibilitas neo-sacerdotibus exercitationis practicae sub ductu experimentati magistri. Insuper videntur esse amplianda argumenta quae inveniuntur in tractatibus « *de Ecclesia et de Romano Pontifice* ».

3. *Catechismus ad populum christianum* videtur magis esse aptandus nostris temporibus, et in aliquibus oportet ut amplietur, v. g. in doctrina catholica-sociali, in novis et hodiernis mediis diffusionis veritatis, praesertim liturgicae et missionariae, sicut et in digito monstrandis periculis moralibus et doctrinalibus nostrae aetatis (*aggiornamento del Catechismo di Trento*).

4. Videntur opportunae normae statuendae circa possibilitatem alicuius communicationis scriptae vel oralis inter catholicos et acatholicos, eo praesertim fine ut detur his possibilitas ingrediendi Ecclesiam Catholicam.

5. Aliqua efficax via apostolico-pastoralis inveniatur, qua populis infidelibus facultas detur accedendi, et, si casus ferat, transeundi ad Ecclesiam Catholicam.

6. Sensus fidelium videtur avertendus esse a nimio et periculoso sensu nationalistico.

7. Opportuna statuenda videntur remedia contra sic dictam « *haeresim actionis* ». Agitatur, aliquando, quaestio de Breviario reformando. Si agitur de lectionibus, praesertim II Nocturni Sanctorum corrigendis, nihil dici potest, si vero agitur de Breviario contrahendo, videtur periculum adesse vulnus inferendi vitae interiori Sacerdotum.

8. Omnibus Sacerdotibus qui Missam festivam de praecepto celebrant pro fidelibus, onus imponatur omiliam tenendi, forma catechistica et lingua vulgari. Multis in locis, tantum hoc modo, populus christianus instrui potest in religione et doctrina christiana.

Propterea perutile videtur et valde optandum ut manuale officiale directivum edatur pro explicatione dogmatica, morali et liturgica evangeliorum et epistolarum festorum de praecepto.

9. Suadenda, omnibus modis, videtur lectio Bibliorum sacrorum cum notis catechisticis, dogmaticis, moralibus et liturgicis inter omnes fideles.

B) *Quoad rem iuridicam.*

1. Videtur esse concedenda maior potestas omnibus Episcopis et Superioribus Generalibus omnium Religionum sive exemptarum, sive votorum simplicium (*minor burocrazia e maggior decentramento di poteri*).

2. *Iurisdictio ecclesiastica* etiam Superioribus Generalibus Congregationum clericalium non exemptarum videtur esse tribuenda.

3. Codificanda esse videntur ea omnia quae *Apostolatum laicorum* respiciunt, rei catholicae internationali, omnibus modis, favendo.

4. In Codicem Iuris Canonici inserenda, pariter, videntur ea quae statuta sunt circa *Instituta Saecularia.*

5. Directio, impulsus et coordinatio, ope novi Dicasterii apud Sanctam Sedem, videntur esse danda mediis sive traditionalibus sive praesertim *modernis et technicis* ad veritatem catholicam, magis magisque vulgandam et diffundendam (*Radio, Cinema, Televisione...*).

C) *Quoad institutionem clericalem et religiosam.*

1. Videtur magis definiendum et determinandum esse maximum problema *formationis clericalis et religiosae* ad vitandas nimias desertiones.

2. Aliqua videntur statuenda circa moderatum usum methodorum modernarum in clero et religiosis instituendis.

D) *Circa rem liturgicam.*

1. Liturgia Sanctae Missae, praesertim dominicalis, videtur esse reformanda maxime in partibus variabilibus, ita ut annum liturgicum vere

comitetur et statuat ea quae discenda sunt animosque paret ad gratias spirituales petendas.

2. Ut populus christianus rebus sacris intersit, maiore cum fructu, videtur permittendus esse usus adaequatus linguae vulgaris in aliquibus actionibus liturgicis.

3. Videtur optanda et concessio validitatis ad praeceptum festivum satisfaciendum auditionis Missae, mediis audiovisivis, transmissae, in determinatis et bene definitis circumstantiis (ex. gr. pro iis qui in carceribus detinentur...).

4. Videtur opportuna extensio ad Ecclesiam universalem Missae votivae in honorem Iesu Christi *Divini Magistri* ea forma qua concessa sodalibus est Piae Societatis Sancti Pauli et conceditur omnibus qui eam petunt a Sacra Congregatione Rituum.

II - Commendationes

1. Maior cooperatio videtur suadenda inter clerum saecularem et religiosum.

2. Videtur esse fovenda vita communis vel communitaria cleri saecularis, praesertim inter neo-sacerdotes.

3. Ut maiora merita supernaturalia sibi acquirant, videntur suadendi esse Sacerdotes ad ingrediendum aliquod Institutum Saeculare.

Sacram Purpuram deosculans, cum sensibus omnimodae venerationis et Benedictionem petens, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humil. obed. servum

Sac. Iacobus Alberione
Superior Generalis Piae Societatis a Sancto Paulo Ap.

* * *

Roma, 28 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Facendo seguito alla mia precedente lettera del 24 corrente mese, mi permetto di fare una piccola aggiunta alle proposte di argomenti da trattarsi nel prossimo Concilio Ecumenico.

Sembrerebbe un'ottima cosa, in materia liturgica, che venisse compilato un *Codice Liturgico,* nel quale possano essere raccolte e riordinate tutte le rubriche liturgiche prescrittive, in modo che possano essere di facile consultazione per ogni Sacerdote.

Prostrato al bacio della Sacra Porpora, con sensi di profonda venerazione, approfitto volentieri della circostanza per professarmi nuovamente

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo, umil.mo, obb.mo servo
SAC. GIACOMO ALBERIONE
Superiore Generale della Pia Società S. Paolo

44

REV.MI P. CAROLI PENSA
Directoris Generalis Parvi Operis Divinae Providentiae

Roma, 8 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Il venerato Fondatore, il Servo di Dio Don Luigi Orione, nelle prime Regole e Costituzioni date alla « Piccola Opera della Divina Provvidenza », nel determinare lo spirito che deve animare e guidare i Membri della Congregazione, così si esprime:

« ... *sempre i Membri abbiano dinanzi agli occhi ch'essi appartengono e vogliono appartenere, fintanto che rimangono in vita, alla* Chiesa discente, *e quindi non vogliano mai arrogarsi, nella Chiesa, l'ufficio di Maestri, ma umili e fedeli ai piedi della Chiesa, si sottomettano in tutto e lietissimamente ai Maestri e Giudici stabiliti da Gesù, Dio e Salvatore nostro, cioè ai Vescovi, Pastori della Chiesa, in comunione col Papa, alle Sacre Romane Congregazioni, ed alla Sede Apostolica...* ».

Con questo spirito di umiltà e di sottomissione ed in obbedienza alla venerata richiesta dell'Eminenza Vostra Reverendissima in data 18 giugno 1959, raccolti i suggerimenti dei Membri della Congregazione più anziani, e dopo aver pregato, mi permetto inviare alcune note che, pur ritenendole un piccolissimo contributo, vogliono dimostrare l'interessamento vivissimo e le quotidiane preghiere dei Sacerdoti, Chierici, Fratelli Coadiutori, Eremiti, Alunni e quanti sono accolti nelle Case e negli Istituti della Congregazione, per il buon esito del grande Concilio Ecumenico, affinchè sia una consolante realtà il desiderio del « dolce Cristo in terra » ... « *ut fiat unum ovile et unus Pastor ad omnia instauranda in Christo...* »!

Chino al bacio della Sacra Porpora, chiedo la santa Benedizione per me e per tutta la Piccola Opera della Divina Provvidenza (Don Orione).

Umilissimo e devotissimo Servitore
SAC. LUIGI PICCARDO, F. D. P.
Segretario Generale

(come da ordine avuto dal Rev.mo Superiore Generale)

1. Vitae communis adaequata forma adoptanda videtur, etiam pro clero saeculari, contubernia sacerdotalia extruendo, quo presbyteri certis paroeciarum complexibus addicti conveniant, sub Vicarii foranei paterna custodia. Ita fiet ut, periculis imminutis et spiritualibus auxiliis augescentibus, bibliothecae quoque facilius conficiantur ad subsidia apostolica temporibus accommodata suppeditanda nec non ut pro diversis paroeciae muneribus promptius inveniantur qui idonei et parati sint.

2. Cleri saecularis et regularis animi non semper exquisite consonant nec inter se apostolicos labores congruenter nectunt. Pro caritate alenda viribusque fortius uniendis, hac de re acute et perfecte adlaborandum erit, ut integra legislatio comparetur. Optandum forte ut Vicarii Foranei et Communitatum Religiosarum Moderatores in Consilium Dioecesanum confluant, ad apostolatus opera ordinanda, Ordinario concorde.

3. Ne Sacerdotii dignitas labefactetur, severius ac diligentius candidati seligantur, etiamsi ordinandorum numerus minuatur.

Singulis Ordinibus ecclesiasticis propria functio restituti possit relate ad Sacerdotium; quinimmo Clerici Minores a coelibatus obligatione forsan melius relaxentur. Ordines Maiores opportunius post expletum totum curriculum ad normas Const. *Sedes sapientiae* et probatum per aliquot tempus in apostolatus laboribus tirocinium conferantur.

Hoc modo optimi habentur custodes, sacrarii, organici, catechistae, consociationum paroecialium praefecti, scholarum magistri atque rectores (nulli paroeciae sua quaequae schola desit!), administratores sciti ac fidi etc. ... Omnibus praeest Sacerdos, ex Diaconis eligendus, at non antequam satis apostolatus munia exercuerit.

4. Ad illam inter Clerum Regularem et Episcopatum cooperationem obsecundandam quae in Concilii Oecumenici votis est, consilium fertur ut Congregationes Religiosae, pro cuiusque spiritu ac muneribus, quibus in Ecclesia Dei funguntur, in Secretariatus Collationum Episcopalium Internationalium adsciscantur, ut coniuncte quaestiones decernant sive generales sive particulares, quae subinde urgentiores evadant ad animarum profectum, Ordinariorum iudicio.

5. Optandum est ut proximum Concilium Oecumenicum, qua summa auctoritate pollet, novissimos errores condemnet iterumque mentibus atque conscientiis veritatis catholicae omnimodam integritatem ac beneficentissimam foecunditatem proponat. Maxime profligentur errores qui familiae et matrimonii sanctitatem commaculant (divortium, onanismum, generationum limitationem...).

6. Corruptione criminibusque exundantibus, praesertim iuvenum, omnium orbis catholicorum vires iungantur oportet ut suam auctoritatem in rebus oeconomicis, politicis et socialibus magni faciant ad omnia Christo subicienda: graphicas pervulgationes, televisionem, artem cinematographycam, ludos, cultum muliebrem, etc.).

7. Cum frequentius accidat ut fideles proprium Episcopum, proprium Parochum, propriam paroeciam ignorent, curandum est quo modo maxime firmetur atque excolatur Paroecia, ut communitas ac fundamentum ceterarum structurarum; quo modo fieri possit ut fideles noverint se sodalitatem Ecclesiae insertam esse et ut Sacerdos harum animarum pastorem se consociat; laici omnes se Ecclesiam discentem reputent ideoque Paroeciae problematibus communicent atque apostolatum agant tamquam si sua res agatur fermentumque Evangelii in familias, artes, litteras, Rem publicam etc. ... pervehant.

8. Cum partibus inaequalibus Clerus in orbe distribuatur hodieque tam parva ob artium progressum terra facta sit, manifeste facultas offertur ita sacerdotes dispensandi ut magis Christianorum indigentiis respondeant; forsan nova legislatione opus est, at in primis Cleri dioecesani et regularis missionaria formatio.

9. Ob mutatos vivendi mores populorum necesse videtur ut indoles nimis individualistica, quam actenus moralis formatio servaverat, superetur... nec silentio praetereantur peccata socialia (circa VII Decalogi praeceptum, officia erga Statum, laboris consortes, officinam...).

10. Tempus adventasse videretur ut animi parentur ad classium discrimina abolenda, ubi primum fieri potest, inter Corporis Mystici membra: omnibus et singulis, sive divitibus sive pauperibus, ius est ut ab Ecclesia iucunde excipiantur cum ritibus liturgicis externis et sollemnibus.

In suburbiis et paroeciis, ubi christiani mores evanuerunt, sacerdotum ministerium indolem missionariam induat oportet.

Paratus sit Sacerdos necessario se abstinere vitamque ducere heroicam. Opportunum ergo, immo vix necessarium est, ut omnino iura stolae abrogentur necnon contributiones obligatoriae, ne fides impediatur, ut dicit Apostolus.

11. Optandum est, quantum fieri potest, ut tituli ecclesiastici abo-

leantur cum omnibus iuribus adnexis et agnoscatur in Ecclesia tantum sacerdotalis ordo.

12. Adlaboretur ut dissidentes et ab Ecclesia seiuncti percellantur lumine et accendantur igne illius christianae caritatis qua fulgent tot Romanae Ecclesiae Instituta. Domus caritatis quales vulgo dicuntur « Piccoli Cottolengo », quarum propria ratio est Deum honorare et Christo servire assiduis orationibus et pauperum, infirmorum et quorumcumque indigentium sollerti amantique cura, aptissimae videntur, si prudenter apud ipsas conventus congressusque promoveantur, ad removendas falsas opiniones, diffidentias, calumnias et ad fovenda animorum concordiam ac Dei fratrumque amorem.

Apud tales Domos opportunum videtur ut aedificentur parvae aedes in quibus excipiantur et aliquantulum consistant qui hospitium quaerant; quod praesertim in Anglosaxonum regionibus valde acceptum est ideoque aptum ad animos ad Ecclesiam alliciendos.

13. Quantum fieri poterit, imminuantur censurae canonicae.

14. Cum tam multae sint familiae constitutae a Sacerdotibus lapsis, qui propter irregularem suum statum sentiant se tantis angustiis oppressos et ita exacerbatos ut saepe infensissimos in Ecclesiam se exhibeant, optandum videtur ut Ecclesia, semper nihilominus maxime tutando ecclesiasticum caelibatum Sacerdotum suis promissis fidelium, has familias comprobet, praecipue ne filii graventur patrum culpis, neve permaneat condicio omnibus tam acerba.

SAC. ALOYSIUS PICCARDO
Secretarius Generalis
Parvi Operis Divinae Providentiae

45

REV.MI P. ALOYSII PEDROLLO
Superioris Generalis
Congregationis Pauperum Servorum Divinae Providentiae

Veronae, 28 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Humillime veniam petens de retardatione huius relationis, quae superioribus mensibus mittenda erat, nunc ecce adimpleo officium meum, pro mea paupertate spirituali his foliis.

Opportunum duxi referre verba et spiritum nostri Patris Servi Dei

J. Calabria, qui de Concilio futuro sentiebat in suo spiritu momentum, et gaubedat de fructibus quos sperare licet a consessu Sacrae Hierarchiae in Concilio.

Genuflexus ad osculum sacrae Purpurae, et vota fundens in precibus meis, et confratrum Congregationis, pro Eminentia Tua et pro cooperatoribus in praeparatione Concilii, ut ad maiorem Dei gloriam et ad salutem animarum cedat quam primum, benedictionem humillime peto pro me et sodalibus religiosis, nec non pro toto Instituto et puerorum bono.

P. Aloysius Pedrollo
Superior Generalis
Congregationis Pauperum Servorum Divinae Providentiae

Introductio

Toto corde Domino benedicimus, qui Augusto Pontifici — cui uni datum est esse Vicarium Christi — mentem iniecit et forte Consilium ut Concilium Oecumenicum indiceret, tempore tam gravi et obscuris minis et immanibus periculis, quae misero imminent generi humano; quod tempus Servus Dei Pater noster Iohannes Calabria solitus fuit appellare « *horam satan,* et simul *horam Dei* »; horam pugnae et trepidationis et examinis multis hominibus, et simul, propter certum auxilium Spiritus Sancti, horam victoriae et triumphi, ea condicione ut filii Ecclesiae, membra Corporis Mystici Christi se renovent, vivendo in christianae vitae actione exercitationeque prisco more Christifidelium.

Quid de Concilio sentiret Servus Dei Iohannes Calabria.

Servo Dei nihil potius unquam fuit quam ut Concilium Oecumenicum indiceretur. Id enim necessarium et in votis omnium esse putabat.

Praesertim ob duo haec proposita Concilium desiderabat:

a) ad efficaciter favendum vitae christianae renovationi et ad adversandum crescenti ethnice vivendi rationi, quae multo deterior est priori idolorum cultu;

b) ad reditum festinandum Fratrum haeresi secessorum et schismate. Ecclesia sic renovata et congregata, inquiebat, quam magnam auctoritatem apud homines assequeretur, tum apud adversarios propinquos et longinquos, tum apud omnes infideles!

Haec etiam de Concilio dixit venerandus Pater:

Cum Concilium Oecumenicum Tridentinum instituerit, ante omnia, dogmata definire, huic Concilio videtur potius sumenda disciplina ac ratio practica, idest revocanda principia fundamentalia et ordo rerum quae supra natura sunt, ita ut super haec novum aedificium vitae cristianae extrui possit.

Id esset patens damnatio *naturalismi*, qui se insinuat et magis magisque invadit in bonos quidem christianos; esset etiam damnatio *materialismi* theorici et practici; et *indifferentismi* (ut dicunt) qui magis in dies diffunditur.

De sacerdotibus et religiosis ad vitam sanctam revocandis

Hoc videtur mandatum quod divina Providentia reservavit venerando Patri nostro. Hoc sine dubio ipse cupidissime appetebat, et exspectabat a Proximo Concilio.

Quomodo sanctitas Cleri assequenda sit.

In integumento cuiusdam fasciculi foliorum Servus Dei Ioannes Calabria sua manu scripsit: « Normae practicae ad Clericos et Sacerdotes aptae, praecipue pro praesenti tempore »:

A) *De Seminario*:

1. *Vocationes et Seminarium*: examen percautum vocationum, praecipue de indole regulari (italice: *normalità*) alumnorum.
2. Efformetur prius homo, postea christianus, religiosus, sacerdos!
3. Candidatus sacerdotio sensu urbanitatis imbuatur (senso dell'educazione) facilitate morum (finezza del tratto), prudentia in agibilibus.
4. Vestitio clericalis ne inducat diem festum pro tota quadam paroecia neve imagunculae ad rem memorandam imprimantur.
5. Aboleantur diutinae feriae apud propinquos. Clericis invigilandum etiam suae domi morantibus, directe vel indirecte. Tali modo plura cognosci possunt de charactere alumnorum.
6. Rector Seminarii fulcrum est totius vitae seminaristicae, eius officium tanti est momenti, ut nullum aliud ei committendum sit.
7. Magister pietatis semper sit clericis addictus, at non quasi matricula quae infantes brachio gestet. Saepe in hebdomade ipse mediationem dictet.
8. Attento animo observandi sunt alumni qui legunt vana; sed iis permittatur ut legant ephemerides missionales, fortasse etiam « L'Osservatore Romano », ad favendum sermonibus inter se utilibus.
9. Alumni assuefiant ad seipsos regendos, ut viri evadant.
10. Seminaria ne careant commodis opportunis, at ne luxus quidem requiratur.
11. Cura ponatur ut quam plurimi alumni pericula rei publicae sustineant, saltem ad Lycei aditum.
12. Clerici ne tabaci fumum hauriant; at est optandum ut professores quidem se abstineant, tam publice quam privatim.

B) *De Sacerdotibus*:

1. Sacerdos est « pietas et zelus in homine paupere, casto, benefico ». Non sufficit habitus ad sacerdotem efficiendum. Gratia valet, non tantum apud Deum, sed etiam apud fideles, modus agendi, efficacissima omnium orationum.

2. Omnes cupiunt sacerdotem liberalem esse: si ita se gerit, omnes liberales in eum se praebent; sin autem, illi maledicunt.

3. Habitus et ornatus Praelatorum parum dicunt hodie hominibus; quin etiam contra agunt.

4. Omnino monachae prohibeantur offerre munera Vicario vel Delegato Religiosarum. Munera vinciunt.

5. Quod ad Associationes femineas attinet, aurea regula haec est: cum tales Associationes secum ferant plura incommoda (auferunt enim puellas de nido familiari, eis praebent frequentiores occasiones blaterandi, subtrahunt a negotiis domesticis et eas admovent ad alias associationes, etiam masculinas, adeundas, etc.) ipsae Associationes debent esse tam solide fundatae quoad vitam interiorem, ut non solum par sit ratio commodi et incommodi, sed reapse commodum multo praestet.

6. Modus agendi Sacerdotis debet puellas cogere ad Iesum, et non ad hominem sacerdotem intuendum; quod quidem et ipsa puella mundi voluptatibus indulgens facile discernit.

7. Vigeat in domo sacerdotali iustitia socialis. Quanti dispensator satisfacit famulis Seminarii? quanti suis ministris Parochus? Etiam sorores sacerdotis, templi custodes, etc. cautionem habeant.

8. Affabilitate, caritate allecti, homines ad veram fidem se convertunt, praesertim protestantes. Tunc auctoritas efficientius exercetur, cum gravis non est.

9. In ecclesiasticis ordinibus, si quis ad altiorem gradum ascendit, magis operetur et generosius vitam suam condonet.

10. Res novae nullo modo debent timorem inicere, si ille, qui eas experitur, boni spiritus est.

11. Cum nova sint tempora, nova sit et ratio vivendi. At nova aedificia condantur super fundamenta vetusta.

12. Obliviscendum non est amicos dilectos a Iesu esse pauperes, debiles, infirmos, pueros omnes persecutionibus periculisque obnoxios.

13. Permutationes sacerdotum inter dioeceses perutiles videntur.

14. Curent religiosi ut sint nomine et re catholici.

15. Cum aliquod pravum exemplum emergat, erga Sacerdotem reum fraterna exerceatur correctio, Evangelio commendata. Veritas in caritate!

16. Sollemnia primae Comunionis puerorum ne peragantur in mona-

sterio monialium, quia, cum aetate ipsi processerint, templum eis non est quod de illa die memoret. Semper vero vitae paroeciali favendum est.

17. A prandiis cavendum; nullum bonum exemplum fidelibus, nullum fructum spiritualem sacerdotibus praebent.

18. Visitationes infirmorum breves esse debent.

19. Graviter inquirendum de modo quo pauperibus consulatur; considerandum pauperes facile domicilium mutare, et quosdam pauperes ob suam paupertatem verecundos solum a sacerdote auxilium petere et obtinere.

20. Quis sacerdotes pauperes adiuvabit? Imprimis confratres. Caritas incipit a suis.

21. In apostolatu meminisse iuvat auream regulam: Dum bonum operetur, et quidem magnum, quisquis id operetur, bene quidem.

22. Omnes meminisse iuvabit omnia, quae Domino donentur, omnino gratis donanda, et ita donanda ut nesciat sinistra manus quid dextera donaverit. Non videntur cum Evangelio congruentia tam multa inscripta nomina atque elogia benefactorum.

23. Quaedam devotiones languidiores, quas praesertim mulieres colunt, deleantur.

De vocationibus examinandis

Quid Servus Dei Ioannes Calabria senserit de hac re, breviter exponam. Necesse est in primis ut Superiores certiores fiant de indole regulari, (normalità) alumnorum et eorum exquiratur etiam stirps. Si quis demonstrat sinceram voluntatem complectendi vitam ecclesiasticam, examinandus est etiam de eius facultate ferendi onus castitatis; ad hoc prae oculis habeatur etiam evolutio psycophysica. In dubio, tutius consilium capiendum, negando sacram Ordinationem, vel retardando, exigendo interea ut candidati adipiscantur lauream vel quoddam diploma, quae praebeant, in casu necessitatis, decoram collocationem.

De anno propedeutico ad Sacram Theologiam

Ad vocationem firmius et accuratius examinandam, erat in votis servi Dei Ioannis Calabria annus, collocandus post Lycaeum et ante Cursum Theologicum, in quo studia intermitterentur: annus similis, pro substantia, anno Novitiatus religiosorum.

Duce Patre magistro, alumni perpenderent suas appetitiones, cognoscerent suam condicionem, ut conscia et serena mente deliberarent de vocatione.

Huiuscemodi annus proficeret non solum vocationi examinandae,

sed etiam notionibus asceticae et mysticae indagandis, utilibus hic et nunc candidato et postea animarum duci.

Praeterea, si, sacerdotium adepti in angustiis versarentur, quam utiliter possent adire suum magistrum, se reficere, et in viam sanctam redire!

Nuper institutus est annus propedeuticus ad Theologiam: nonne eius ratio posset revisi et accomodari rationi Novitiatus?

De Sacra ordinatione retardanda

Sed praeter annum novitiatus, de quo dictum est sub titulo praecedenti, servus Dei I. Calabria exoptabat retardationem quamdam sacrae Ordinationis.

Annum vigesimum tertium, quartum vel quintum gerens, ordinandus nondum est satis maturus.

Quam multae defectiones possent vitari providentiali retardatione Ordinationis! His temporibus proponitur sententia de Ordinandis Diaconibus electis e laicis; nonne oporteret Diaconos e Seminario provenientes operam dare ministerio sacro apud parochum, ibi exspectantes Ordinationem?

De penuria cleri

Plures conqueruntur de penuria sacerdotum. Cur Episcopi non utuntur laicis ad officia ad quae non est stricte necessaria opera sacerdotis? Hoc praecipue hisce temporibus, quibus florescunt Congregationes religiosae laicales.

Dum plures sacerdotes possent curae incumbere animarum, multa onera, praesertim de rebus temporalibus, opportunius a laicis absolverentur.

De commutatione sacerdotum inter dioeceses

Cur Dioeceses sacerdotibus copiose praeditae non mittunt aliquos eorum illuc ubi multae animae expectant ministratorem panis vitae aeternae? Totus mundus est Dei: sacerdotes ut militibus praepositi, debent esse parati et prompti ad translationes, quo necessitas vocet.

De paupertate et abstinentia sacerdotum

Nimia cupiditas utendi commoditatibus recentioribus, praesertim in sacerdotibus iunioribus, moderanda est. Dum sacerdotes pauperes maxima auctoritate gaudent apud populum, vulgus offendit in Clero qui vitam delicatam et sumptuosam degat. Cur plures classes et dispares

taxationes in funeribus? cur capsulae eleemosynarum in omni angulo templi? cur eleemosyna colligitur inter Missam ter quaterque continuo? Servi Dei I. Calabria plurimum intererat hierarchiam ecclesiasticam fortiter ac strenue in hac re agere. Necesse est ut digrediatur ab Ecclesia Dei omne mercaturae indicium.

De re oeconomica

Sacerdotes aetate provecti ne tantum honoretur verbis, sed omni opportuno modo adiuventur, domibus hospitalibus, ubi et debito iustitiae et perfecta caritate illis omnia commoda parata sint.

Si talis arridebit sacerdoti de futuro fiducia, iuvenis expeditior erit in administrandis et viribus et pecunia, senex erit promptior in beneficio renuntiando cum suis oneribus, honoribus et emolumentis.

De sacerdotibus foedifragis

Semper fuit in mente Patris nostri I. Calabria propositum obviam eundi Sacerdotibus qui deflexissent, at cuperent « corde contrito et humiliato » (uti dicebat) in rectam viam redire.

E nostra diuturna experientia in hac re, videtur nobis plura et meliora fieri posse quam usquedum facta sint ad reditum explanandum confratribus.

Superiores directi, etsi virga disciplinae percutiunt, meminerint se etiam misericordiam Patris in se repraesentare, et patris munus exerceant in hos quoque filios, non tantum precibus, sed et supplicibus obtestationibus, quae documenta sint memoriae studiique patris.

Cum quidam istorum confratrum infelicium iam sint in via quae ad Patrem ducit, nobis videtur indulgendum esse in facultate ipsis reddenda Missam celebrandi, et Confessiones audiendi, omnibus sane cautionibus prudentia suggestis. Paenitentia sit utique « in corde contrito et humiliato » interna potius quam externa.

Ceterum, praetereundum non est plurimos e talibus confratribus aliquo, ut dicunt, « complesso psichico » laborare et carere aequilibrio physio-psychico plerumque ab adolescentia sua. Qui eos ad sacram Ordinationem adduxerunt et ipsi maiorem paenitentiam agere deberent. Non videtur ergo obiective aequum iudicium saepe severum in hominem morbo affectum. Potius quam poena, sit medicina; et, si necessarium sit, exemplum salutare, sed et aequitas et caritas semper serventur.

Liberalitas in concedendis facultatibus ad ministerium exercendum, ut solacium praestaret animo paenitentis, ita Superioribus et hospitibus praeberet opportunitatem et celandi extraneos poenam Sacerdoti irrogatam, et impediendi pessimum vitiorum, quod otium est.

Gravis difficultas in adiuvandis sacerdotibus foedifragis exstat ignorantia termini temporalis poenae irrogatae. Si poena est, terminum habeat oportet, sicut omnis poena a iudice irrogata; si autem medicina, sciat Sacerdos se esse aegrotum iudicatum, ut efficacior et celerior, quod ad eum pertineat, cura medicinalis evadat. Poena diutius producta non modo non proficit, sed graviorem plagam inducit.

Animus Patris nostri Fundatoris alia cura graviter angebatur: sc. grandi numero Sacerdotum praevaricatorum; et intimo corde suo studebat nodum expedire.

Utique humillime, nobis videtur opportunum propositum — *iniziativa,* ut italice dicam — quod hodie prae oculis fertur, promovendi ad Diaconatum laicos etiam matrimonii nodo iam coniunctos. Quod propositum, si revera ad effectum ducatur, nobis suggerit novam quaestionem: possetne aliquis iam sacerdotio auctus, ad munus diaconale reduci, et ita — saltem in casibus extraordinariis — solvi ab obligatione caelibatus? Audax consilium. Ponimus tamen humiliter.

De re cinematographica et televisiva

Utinam Concilium Oecumenicum sit bona occasio coadunandi catholicas — vel potius christianas — vires ad opponendum validum aggerem contra propagationem spectaculorum turpium! Ad hunc finem uniantur aedes paroeciales cinematographicae.

Ultima et extrema ratio ad solvendum grave problema: unio omnium bonorum ut bonum imponant ceteris.

De emendatione historiae Sanctorum in Breviario etc.

Tempus est bene distinguendi fabulas et traditiones ab historia. Tempus est abolendi quasdam adulterationes, quae Ecclesiam dedecorant, et veritatem offendunt.

Periculum ne homines scandalizentur veri patefactione, multo minus est quam periculum scandali, quod provenit a veritate silentio praetermissa. Sensus criticus iam multum crevit, et magis magisque crescit in dies. Necessaria igitur est severa revisio Reliquiarum, et omnis earum mercatura vitanda est. Emendatio partis historicae Breviarii et Martyrologii quam citius absolvatur. Quidam Hymni, et Antiphonae, quae fabulas vel nimiam veri repraesentationem redolent, auferantur.

De indulgentiis

Indulgentiae vilescunt ob nimiam facilitatem eas lucrandi. — Quaedam preces, et forma et spiritu veteres, recitantur iuxta priscam for-

mam ne Indulgentia amittatur. Nonne proderit eas ad praesentem consuetudinem loquendi accommodari?

De instrumentis ad Sanctitatem comparandam

Pro Sacerdotibus videtur maxime favenda Unio Ap. Cleri, quippe quae est utilissima ad memoranda officia pietatis Codice Iuris Canonici imposita aut saltem suggesta.

Omnis Paroecia evadat una familia: familia Dei. Servus Dei I. Calabria large favit Associationi cui nomen F. A. C. (Fraterno Aiuto Cristiano) a Paulo Arnaboldi, Soc. Salesianae presbytero, conditae, quippe quae ordinat singulas familias et associationes paroeciales ita ut mutuam sibi operam praestent, et egentibus *omnibus fraternum* — ergo sufficiens — auxilium afferatur. Quod iam expertum est, demonstrat multum posse ab hac Associatione effici ad sanctificationem fidelium et ad reditum ad praxim christianae vitae, adversariorum aut neglegentium.

De re liturgica

Dies Paschae constituatur, v. g. prima Dominica aprilis, dum exoptatum Kalendarium civile fixum constituatur.

b) Vehementer optatur Christi Natalis dies propria Octava donari, quae excludat festa Sanctorum, sicut est Octava Paschae et Pentecostes; insuper unusquisque dies habeat propriam Missam.

c) Valde optatur Praefatio propria pro festo Corporis Christi; itemque pro Martyribus, et pro heroibus christianae caritatis.

d) Liturgia Dominicalis magis magisque extollatur, ita ut praevaleat ceteris officiis.

e) In Dominicis Adventus, praesertim quarta, opportunum videretur referri sermones Iohannis Baptistae. Liturgia vero septem dierum a 17 ad 23 decembris quae iam habent perpulchras Antiphonas proprias, propriis Missis possetne frui?

f) Caeremoniae Pontificales longiores (Consecrationes Clericorum et Presbyterorum, Consecratio Ecclesiarum et Altarium) nonne possunt ad breviorem formam reduci, ita ut facilius et libentius populus christianus adsistere possit?

g) Pluribus diebus data est facultas Sacerdotibus seligere Missam pro sua devotione; possetne, in privata recitatione officii, pari facultate frui?

Clausula

Inexpolitis verbis, sed magno amore haec scripsimus.

Spiritus S. illuminet, ducat, renovet Ecclesiam, et per eam adunare dignetur miserum genus humanum, Satan profligando, et universos eius adiutores; ut adveniat Christi aetas et Regnum Dei in terra, quod est regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, caritatis et pacis.

P. ALOYSIUS PEDROLLO
Superior Generalis
Congregationis Pauperum Servorum Divinae Providentiae

46

REV.MI P. IOSEPHI A. BERGERON
Superioris Generalis Congregationis a Fraternitate Sacerdotali

Die 30 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Ad proxime futurum Oecumenicum Concilium mihi pergratum est his meis litteris obsequens dare responsum epistulae quam curasti ad me mitti die 18 iunii u. e., nonnulla Tibi subiiciens examinanda, Animadversiones quidem et Vota, vitam Ecclesiae intimam potissimum respicientia.

ANIMADVERSIO I

Videtur generatim in Ecclesia non satis ac debite dirigi *devotio fidelium ad Sacrosanctum Altaris Sacramentum.* Cum « vere, realiter, substantialiter » secundum Tridentinum (cf. etiam can. 801 *C.I.C.*) in hoc augustissimo Sacramento contineatur Ipsemet Deus et Dominus Noster Iesus Christus, summe deceret fideles magis explicite, clarius, et frequentius de hoc mysterio edoceri, ut debitum cultum Deo Viventi magis conscii reddant, et uberiores fructus inde carpiant vitae vere christianae, *deposita superficiali qua laborant multi pietate.*

Recte a catechismo edocentur fideles sacramenta instituta esse ad gratiam communicandam. Augustissimum vero Sacramentum, Auctorem Ipsum gratiae continens, utrum satis in praxi extollatur supra omnia alia sacramenta, sane non constat; ideoque cum non ita ut conveniret illud aestiment, *divino nutrimento divinaque familiaritate non satis refi-*

ciuntur, neque « gratiam cum gaudio de fontibus Salvatoris satis hauriunt ».

Opera multa et varia hodie vigentia in Ecclesia, optime certe excogitata pro necessitudinibus temporum, omnino necessaria et laudanda apparent. Haec vero, etsi optima, sacramenta supplere non possunt, sed e contrario a *sacramentis sunt alenda et fovenda* ut « vitam abundantius habeant », et ne mirabilia cum sint, vacua quidem et inania forte eveniant, prout aliquando fortasse videre est.

VOTA

Ad Divinum Convivium, cuius aditum Sanctus Pontifex ven. mem. Pius X tam late tamque feliciter aperuit, Oecumenicum Concilium turbas christianorum compellat intrare, quam frequentius populo Dei opportunitatem praebens ad sacramenta accedendi Paenitentiae et praesertim Eucharistiae. Ad hoc, praeter alia quae sapientius excogitabuntur media, haec sequentia in votis teneo, ut:

1. *Multiplicentur Missae Vespertinae* in feriis hebdomadae; hae enim in praesenti rerum conditione, iam visae sunt facilius a fidelibus frequentari, et faciliorem dare accessum ad mensam eucharisticam, adiuvante felici ratione ieiunii eucharistici.

2. Defectu Missae, *multiplicentur pariter Benedictiones Sanctissimi Sacramenti* cum usualibus precibus adnexis, ut christifidelibus detur occasio et invitatio frequentius immo quotidie ad ecclesiam accedendi et Dominum Nostrum Eucharisticum visitandi.

3. Valde bona et fructuosa res appareret si fidelibus *frequens* daretur *occasio renovationis spiritus;* si, v. g. semel in mense et quidem ipso initio mensis Missae Vespertinae celebrarentur recursu:

— primae feriae V, pro Missa Votiva Domini Nostri Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis;

— primae feriae VI, pro Missa Votiva Sacratissimi Cordis Iesu;

— primi Sabbati, pro Missa Votiva Immaculati Cordis Mariae;

— primae Dominicae, pro Missa communionis generalis.

4. Ante et post omnes fidelium conventus semper *pateat aditus ad sacrum poenitentiae tribunal.*

5. Facultas amplietur fidelibus (vel clarius declaretur) *Sacram Communionem qualibet hora diei* sine ulla restrictione *recipiendi,* etiam extra Missae sollemnia, servata lege ieiunii eucharistici.

6. Omni modo apud fideles commendetur atque propagetur associatio dicta « Legio Eucharistica », ad quotidianam Sanctissimi Sacramenti adorationem promovendam nuper instituta, ut quam plures emanent tanti Mysterii *adoratores voluntarii.*

Non omnes quidem fideles opportunitatibus istis, vel aliis huiusmodi praestantioribus, libenter utentur, nam « non omnes obediunt Evangelio ». Attamen, nucleus aliquis fidelium electus, vitam ducens vere christianam, ut « modicum fermentum totam massam forse pervadet », eodem fere modo ac, ardentissimo quo flagrabat spiritu, primorum christianorum pusillus grex mundum universum pervasit qui illi paruit. *Mundo* enim *est ostendenda vera Ecclesiae species.*

Animadversio II

Quae de populo christiano dicentur, haec de Sacerdotibus quibusdam dicenda videntur, nempe praesentiam Domini Nostri Iesu Christi in Eucharistia, cultumque Ei summe debitum, ab ipsis Ministris Altaris et Dispensatoribus Mysteriorum Dei aliquando quasi ignorari vel saltem parvi pendi. Unde forsan evenit quod, quamvis numero ultra 350.000 exstant in Ecclesia Catholica Sacerdotes, populus Dei non semper et ubique ubere pascitur. Deo quidem gratias! non potest non videri Sacerdotes vere sanctos multos inveniri; sed si aliquando multo plures fuerint, tunc facilius « renovabitur facies terrae ».

Votum

Sacerdos, cum ipsa sua Ordinatione Sacerdotali ad hoc primo destinetur ut Sanctissimum Sacramentum conficiat, custodiat, sumat ipse et aliis distribuat, cumque nullo alio modo orationis studium efficacius colere possit quam frequenti cum Domino Iesu commercio, valde optandum esset ut *a Concilio Clero* Catholico *imponatur obligatio* quaedam *standi quotidie coram Sanctissimo Sacramento per aliquod temporis spatium* extra Missae Sollemnia, secundum spiritum et praxim Associationis dictae « Adoratio Quotidiana et Perpetua Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti inter Sacerdotes Cleri Saecularis » — eodem fere modo ac ei imponitur obligatio Divini Officii recitandi.

Nonne consonum videtur votum Encyclicis Litteris quas Dominus Noster Papa Ioannes XXIII feliciter regnans de sancto Sacerdote Ioanne Maria Vianney recenter scribebat? Et quantum proficerent fideles de exemplo Pastorum! si tandem eos frequentius viderent in sacrario orantes!

Vota aliqua de re liturgica

1. *Instituatur in universa Ecclesia Festum Domini Nostri Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis,* unde quae decet laus et gloria Domino Nostro sub hoc essentiali titulo tribuantur, simul et Sacerdotii Catholici

dignitas et sanctitas magis proclamentur, et vocationi ad statum sacerdotalem momentum detur.

2. *Urgeatur ratio pro fidelibus* in Missis et aliis actibus cultus *participandi in cantu et responsis,* secundum mentem et assiduas exhortationes feliciter regnantis Domini Nostri Papae Ioannis XXIII, sicque gaudio spirituali recreati recedant a conventibus in ecclesia, non vero muti, tristes et quasi indifferentes et alieni.

3. In concionibus ad populum *dogma magis praedicetur et veritates nostrae fidei;* his enim populus christianus esurit et ea audiendo delectatur et proficit. Nam quamvis multa videantur opportune quidem populo tradenda, temporibus nostris accommodata, attamen praeceptum Domini non ideo evanescit « *Evangelium* praedicare omni creaturae ».

Haec sunt praecipua quae Eminentiae Tuae mihi visa sunt manifestanda et vota significanda, « omni cum libertate et sinceritate », ab epistula Tua inductus. Qua vero decet reverentia et oboedientia omnia ista Tibi submittens, et Sacram Purpuram prostratus deosculans, Eminentiae Tuae meipsum ex corde profiteor

Humillimum et observantissimum in Domino servum

P. IOSEPHUS A. BERGERON
Superior Generalis
Congregationis a Fraternitate Sacerdotali

47

REV.MI P. ANGELI DELAHUNT

Superioris Generalis Congregationis Religiosorum
Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci Assisiensis « of the Atonement »

Eminentissime Pater,

Cum grato animo epistolae vestrae recenter a nobis receptae (nempe: Prot. N. 1 C/59-2082) requirens a nobis notitiam de nostris ideis circa Concilium Oecumenicum brevi tempore convocandum respondemus. Aliquas considerationes quidem habemus quas credimus forsitan utiliter perpendendas et eas offerimus Commissioni cum omni debita reverentia erga Sacrum Magisterium a Spiritu Sancto ductum.

Reconciliatio cum Ecclesia Catholica ex parte dissidentium a sua fide et communione multum interest nostra. Societas nostra notissima est pro

origine et diffusione *Cathedrae Unitatis Octavarii* (ianuarius 18-25) quae explicite et sine ambiguitate requirit fideles ut coelum supplicent pro reditu omnium dissidentium ad unionem cum Cathedra Petri. Noster Fundator et originator huius Octavarii, Reverendus Paulus Iacobus Franciscus Wattson S. A., venerabilis memoriae, et Societas ab eo fundata semper secuti sunt instructiones et doctrinas Sanctae Sedis in hac materia.

In re reconciliationis dissidentium

Primo, respectu termini ad quem, id est, communio cum Cathedra Petri restauranda: sollicitum habemus de quibusdam tendentiis, in nostra opinione, erroneis quae circumferuntur praesertim visae in praxi supprimendi hunc finem sub pretextu ne acatholici abhorreantur ab Ecclesia. Exempli gratia, motus orationis (non confundendus cum nostro Octavario) qui urget supplicationem pro unitate sine specificatione finis in eius intentionibus abstrahens complete a veritate divinitus revelata de primatu Petri. Requiritur ut nobis videtur reaffirmatio doctrinae Sancti Officii, « Apostolicae Sedi » 16 septembris 1864 et « Quod vos » 8 novembris 1865 (vide *A.S.S.* II, 657-668). In his documentis inveniri potest proscriptio quorumdam errorum qui adhuc circumferuntur in nostris diebus in novis formis.

Secundo, respectu termini a quo, id est, status separationis ab Ecclesia: errores in hac materia impliciti sunt magis quam expliciti, sed tendunt ad obnubilandam unicitatem Ecclesiae in facie societatum separatarum. Hi eveniunt in obscuris modis loquendi qui implicant Ecclesiam ipsam divisionem passam esse. Exempli gratia: « Ecclesia est in statu dissidentiae » « Traditiones vulneratae in coetis dissidentium reparandae sunt » sunt locutiones quae interpretari possunt: societates separatae partes imperfectae Ecclesiae sunt.

Conceptus membri Ecclesiae in obscuro modo adhuc exprimitur etiam post clarissimam declarationem Pii Papae XII in Encyclica *Mystici Corporis*.

Quaestio de « vestigiis Ecclesiae » nobis videtur utilissime perpendenda. Exempli gratia, quaedam veritates revelatae (effectus contingentes Ecclesiae) recte intellectae et supernaturali modo tentae ab acatholicis in statu ignorantiae invincibilis verae Ecclesiae per quas fundamentum habetur pro voto implicito intrandi Ecclesiam animata caritate in virtute cuius salutem possint attingere. Aliquando nobis videtur haec exaggerari ac si substituere possint statum membri Ecclesiae ignorando

necessitatem medii Ecclesiae, sed possibilitas talium vestigiorum non in dubio ponenda est.[1]

Doctrina de necessitate Ecclesiae contenta in epistola Sancti Officii ad Cardinalem Cushing, « Suprema hac Sacra » debet incorporari in schemate de Ecclesia.

Tertio, quoad viam ad unitatem, nempe, actum unionis cum Sancta Sede: respectu Protestantium reconciliatio per modum conversionis et professionis individualis fidei nobis videtur requirenda. Hoc oritur ex natura protestantismi et ex natura Catholicae fidei. Protestantes consuescunt efficere uniones inter se per modum suffragii membrorum post tractationes conditionum ex parte agentium aequalium. Unio cum Ecclesia Catholica non ita perficitur. Immo, signum per manum ministri non per se exprimit fidem totius coetus. Necesse est pro utroque adulto acatholico ut cognoscat adaequate et profitetur ex corde totalem fidem Catholicam et libere accipiat omnes obligationes quae consequentur vitam catholicam. Ratio huius emphasis est factum quod in Anglia sunt multi Anglicani qui se appellant « Papalisti » et qui, manentibus Anglicanis, praedicant unionem corporativam totius eorum communionis cum Sancta Sede. Alii verbis, si sumimus verba eorum litteraliter (abstrahendo a conscientia erronea, et utrum ex fide divina proprie dicta procedat vel non) virtualiter intendunt remanere in statu formalis schismatis donec ceteri eadem sacra colentes convertantur, quae est notio quidem periculosa. Hoc problema ortus est in tempore Pii Papae IX (vide « Apostolicae Sedi » supra indicata), et iterum in tempore Leonis XIII Papae. Implicite tractatum est ab ultimo in encyclicis: *Amantissimae voluntatis; Apostolicae curae* et *Religioni apud Anglos*. Leo XIII direxit argumenta ad conscientiam individualem et non ad societatem ut sic. Altera ratio huius emphasis est notio mira quae circumfertur scilicet quod non debemus laborare pro conversione Protestantium ad Catholicam Fidem ne eos in loco paganorum ponamus (Proselytismus est, ut aiunt). Malunt fovere elementa Catholica in statu dissidentiae et reparare eorum vulneratas traditiones. Non nobis dicunt quomodo redituri sint ad unum ovilem sub uno pastore. In mentibus acatholicorum effectus talium theoriarum est falsus sensus securitatis in statu separationis ab Ecclesia; effectus in mentibus Catholicorum minus formatorum in rebus theologicis est quidam indifferentismus, ita saltem nobis videtur.

Relate ad relationem Protestantium cum Concilio utilissimum erit legere epistolas missas ad Cardinalem Manning a Pio IX (*Acta et decreta*

---

[1] E. F. Hanahoe S. A., *Catholic Ecumenism*, Washington, Catholic University of America-Press 1953.

Concilii Vaticani apud « Collectio Lacensis » VII, 1144-1146). Multum interest possibilitas erectionis commissionis theologorum a Concilio designatae ut fons informationis pro acatholicis quaerentibus cognitionem doctrinae catholicae quam secunda epistola, iam indicata, polliceri videbatur.

Aliqua dispositio pro ministris maritis conversis ad Catholicam fidem videtur necessaria. Multo adiuvabuntur tales conversiones si promittetur aliqua functio in operibus ecclesiasticis et adaequata sustentatio. Forsitan antiqua praxis diaconatus potest reviviscì saltem pro tempore.

Extra rem reconciliationis videtur nobis etiam utilissime perpendendae:

Plenior expositio doctrinae de sacra Divino-Apostolica traditione in facie Catholicorum qui dicunt omnem revelationem in Sacra Scriptura contineri.

Definitio dogmatica de obiecto indirecto infallibilitatis Papae; etiam in magisterio ordinario et universali (ut distincto a sollemni iudicio).

Definitio dogmatica doctrinae de Maria Mediatrice omnium gratiarum.

Videtur etiam nobis aliqua definitio de analogia fidei praesertim in re exegetica Scripturistica requiri.

Iura religiosorum clericorum in vita ecclesiastica utiliter considerentur.

Ideae supra scriptae offeruntur Commissioni a nobis sine praesumptione et cum omni debita reverentia et humilitate sperantes ut forsitan utiles inveniantur in praeparatione schematum Concilii.

Semper servus tuus in Christo

P. Angelus Delahunt
Superior Generalis
Congregationis Religiosorum Tertii Ordinis Regularis S. Francisci Assisiensis « of the Atonement »

48

REV.MI P. THOMAE O'KEEFFE

Superioris Generalis Congregationis Missionariorum Servorum Sanctissimae Trinitatis

26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

In responsione invitationi Eminentiae Tuae, 18 iunii 1959, propositiones adnexas ad deliberationem in Oecumenici Concilii preparatione humiliter submittimus. Hac occasione intimam animam nostram cooperandi in omnibus de Oecumenico Concilio tractandis affirmamus atque orationes ad Spiritum Sanctum omnium membrorum nostrae Congregationis pigneramus pro felice Concilii eventu ad gloriam Dei et sanctificationem fidelium in Sanctae Matris Ecclesiae sinu unitorum.

Eo par est obsequio Eminentiam Tuam Reverendissimam prosequitur seque profitetur

Addictissimum

P. THOMAS O'KEEFFE

Custos Generalis Congregationis Missionariorum Servorum Sanctissimae Trinitatis

Programma orationis publicae et assiduae per universum mundum ad Spiritum Sanctum instituatur ut omnes Christiani sub auctoritate et regno Summi Pontificis uniantur.

Ad tuendam ac promovendam familiarum sanctitatem contra insidia mala saeculi, praesertim spiritum saecularismi, proponimus renovationem vitae liturgicae in paroeciis, concessionem pleniorem usus vernaculi in liturgia, usum frequentiorem permissionis celebrandi Missam post meridiem, revocationem fidelium ad spiritum paenitentiae ac mortificationis.

De Statibus Perfectionis:

Ad promovendum spiritum renovationis in statibus perfectionis, iam feliciter inceptae, sequentia proponuntur:

Congressus internationales et nationales de statibus perfectionis, et concilia superiorum religionum regionalia continuentur et amplificentur.

Legislationes, decisiones ac instructiones Sanctae Sedis praesertim de renovatione spiritus et institutione religiosorum codificentur.

Provisiones universales de institutione et formatione religiosarum

iuniorum promulgentur, ut istae religiosae ad apostolatum melius praeparentur et sub vigilantia et directione religiosarum competentium vitam interiorem cum apostolica activitate coniungere edoceantur.

Ex iure codicis, vi can. 585, omnes religiosi etiam iuris dioecesani per professionem dioecesim quam in saeculo habebant, ipso iure amittunt. Praeterea tota religiosorum formatio, iudicium de vocatione ecclesiastica, et receptio iurisiurandi praescripti a superioribus religiosis dependent. Videretur ergo omnino congruum ut omnes in statibus perfectionis, etiam iuris dioecesani uno eodemque iure regerentur quoad Episcopum proprium ordinationis, ut scilicet superior maior ex ipso iure gaudeat facultate dandi litteras dimissorias suis subditis ad nomam can. 965 et 966.

Ad ostendendum locum vitae religiosae in Ecclesiae hierarchia, ad maiorem firmitatem ipsius, expediret clare declarare relationes religiosorum in specie cum ordinariis locorum.

Ad plenissimam libertatem conscientiae religiosarum, ad ipsam tranquillitatem animi plurimorum confessorum, ad veram utilitatem communitatum, quae, in quibusdam regionibus, non possunt regulariter ordinario confessario se confiteri, quaestio de iurisdictione speciali pro religiosis mulieribus utiliter posset de integro retractari.

Periculum grave et constans est penuria sacerdotum et vocationum ecclesiasticarum et religiosorum. Instructiones Sanctae Sedis iam latae ad vocationes fovendas ac colligendas reiterari oportet, praesertim de mediis et remediis aptis, praesertim de oratione assidua, de cooperatione activa omnium fidelium, praeprimis parentum, pastorum in suo ministerio, in directione spirituali, in praedicatione, in docenda doctrina Christiana, in privatis colloquis.

Considerationes dare oportet de utilitate et necessitate formationis pastoralis sacerdotum saecularium per cursum pastoralem post absolutum curriculum theologicum et de eorum intima spirituali formatione per ultimam probationem post ordinationem.

Ad christianam singulorum populique universi institutionem, Summo Pontifice testante, plurimum interest ut Actionis Catholicae Associationes ubique instituantur, vigeant, floreant ac necessaria Sacerdotum cura sedulo regantur et tueantur. Praeterea desideria missionaria fidelium foveantur et iuventur ita ut idonei doctique fideles, etiam familiae, saltem ad tempus offerant operam suam episcopis et sacerdotibus in regionibus missionariis.

Conclusiones Commissionis Pontificalis pro America Latina studeantur ut hic coetus celeber Catholicorum fons potestatis spiritualis ac zeli missionarii fiat.

Provisiones Decreti « Spiritus Sancti munera » die 14 septembris 1946 a S. Congregatione de Sacramentis edito amplientur ut cappellani in nosocomiis valide ac licite sacramentum confirmationis conferre valeant his ibi receptis qui in adiunctis ab eodem Decreto recensitis reperiantur, propter difficultatem multis in casibus pro parocho loci confirmationem conferendi.

P. THOMAS O'KEEFFE
Custos Generalis Congregationis Missionariorum Servorum Sanctissimae Trinitatis

SOCIETATES VITAE COMMUNIS SINE VOTIS

1

Rev.mi P. HUGONIS OGGÈ

Visitatoris Generalis Instituti Oratorii S. Philippi Neri

Romae, die 22 augusti 1959

Reverendissime Domine,

Proximi Oecumenici Concilii momentum necnon felix eiusdem exitus auctoritatem in Ecclesia detinentes sollicitant, ideoque Augusti Pontificis voluntatem cognoscendi cogitata eorum qui lectissimo Consessui intererunt nemo est qui praetermittat.

Quod ad Oratorium S. Philippi Neri spectat, pro quo auctoritatem Sanctae Sedis infrascriptus repraesentat ut Delegatus eiusdem pro Congregationibus et Officiis Generalibus, omnibus perpensis, qua peculiari est forma quo et regimine uniuscuiusque Congregationis Oratorii, bene visum est sibi summam Praepositis tribuere libertatem ad hoc directe cum Dioecesibus collaborandi, quibus non tantum cura ministeriali adstringuntur, sed et etiam ipsa incardinatione.

Isti Ven. Commissioni Antipraeparatoriae ad Concilium Oecumenicum gratias agendo de facta fide Instituto Oratorii, devotionem et deditionem pro omnibus Apostolicae Sedi confirmando, gaudeo me profiteri

humil.mum et dev.mum

P. Hugo Oggè

Visitator Generalis Instituti S. Philippi Neri

2

Rev.mi P. FELICIS CONTASSOT

Assistentis Generalis Congregationis Missionis

Paris, 28 augusti 1959

Reverendissime Princeps,

Submisse acceptis litteris Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico die 18 iunii 1959 datis (Prot. N. 1 C/59-1636) haec inter alia nobis proponenda videntur:

De re biblica

1. Denuo ac praecise exponatur doctrina catholica de Inspiratione ac Inerrantia Librorum Sacrorum.

Quae docentur hanc circa rem in Encyclicis « Providentissimus » et « Spiritus Paraclitus » debent eumdem valorem servare, etiam post recentiora Magisterii documenta, iuxta quae maior libertas exegetis catholicis concedi videtur?

2. In specie, utrum admitti potest, sicuti exponitur interdum in ephemeridibus de re biblica, quod quaedam mutationes nonnulli momenti allatae fuerunt in Evangeliorum textu ad illum adaptandum doctrinis vel exigentiis primae christianae ecclesiae?

3. Qui rebus biblicis applicantur magis curent ne imprudenter agant, sive legendo rationalistarum scripta, sive in suis relationibus cum « scholars » atheistis.

De doctrina

1. De mediatione universali B. M. Virginis. Utrum oporteat quaestionem proponere de possibilitate ac opportunitate definitionis mediationis universalis B. M. Virginis?

2. De apostolatu in Ecclesia. Accuratissime stabiliantur relationes inter sacram Hierarchiam et omnes qui quoquo modo apostolatum exercent.

In specie:

a) relationes sacrae Hierarchiae cum communitatibus religiosis, sive virorum, sive praesertim monialium ac sororum. Quaenam sint iura Ordinariorum hanc circa rem, ne detrimentum afferatur religiosae observantiae;

b) interventus laicorum in apostolatu, et de eorum praesertim subiectione sacrae Hierarchiae, ne in quaestionibus doctrinalibus sese immisceant.

De disciplina

1. Instanter moneantur fideles ut a frequentatione sectarum schismaticarum vel haereticarum se abstineant, quae hodie magis adversus catholicam fidem adversantur; item, quoad lectionem opusculorum, librorum istarum sectarum etc.

2. Caveant omnes, praesertim qui curam animarum habent, ne detrimento traditionis moveantur a quodam novitatis spiritu, etiam sub praetextu progressus vel adaptationis cum huius temporis exigentiis: in

specie in materia sacrae Liturgiae (liturgiae proprie dictae ut artis sacrae, ecclesiarum, oratoriorum, altarium, picturarum ac sculpturarum, etc.).

3. Quoad Sacramentorum administrationem maior habeatur uniformitas in diversis eiusdem regionis dioecesibus, v. g. quoad admissionem ad sacramenta, quoad Ritualis bilinguis usum.

De clero

1. De breviario. Quam celerrime habeatur emendatio ac reformatio breviarii et magis accommodetur cum huius temporis ministerio pastorali.

2. De vita interiore et exteriore. Hodie, ut videtur, nonnulli sacerdotes, praesertim iuniores, et quidem non sine damno, sive pro seipsis, sive pro animabus, imprudenter agunt vel activismo indulgent.

Opportunum videtur ut praescriptiones Tituli III, libri II *C.I.C.* « De obligationibus clericorum » firmentur, praesertim quoad necessitatem exercitiorum pietatis (oratio, breviarium, confessio frequens, etc.); et, quoad vitam exteriorem (vestimenta, locutio, relationes cum feminis, etc.).

3. De reverentia erga auctoritatem. Magis servetur a clero necnon a laicis in omnibus suis relationibus, sive cum superioribus ecclesiasticis, sive cum religiosis, debita aeque supernaturalis reverentia, quae ubique in dies minuit vel omnino desideratur.

4. De iustitia:

a) Magis observentur praescriptiones can. 1524.

b) Quod sacerdotes, sive saeculares, sive religiosi, melius observent regulas iustitiae relate ad stipendia functionum, Missarum, etc., et quoad religiosos, quorum interest, regulas de intuitu personae.

Haec sunt fere quae nobis, Assistentibus Congregationis Missionis, absente Superiore Generali, suggerenda visa sunt circa materias in proximo Concilio Oecumenico tractandas.

Praesentem nacti occasionem, ad pedes Eminentiae Vestrae provoluti illius benedictionem humillime imploramus.

Absente Superiore Generali,

P. FELIX CONTASSOT
Assistens Generalis Congregationis Missionis

3

REV.MI P. PETRI GIRARD

Superioris Generalis Societatis Presbyterorum a S. Sulpitio

Paris, 25 août 1959

Eminence Révérendissime,

Je passe quelques jours de vacances dans une campagne d'Auvergne, où je suis dépourvu de Bibliothèque et de machine à écrire.

Je vous adresse, écrites à la main, les quelques réflexions que me suggère la circulaire relative au Concile, que vous m'avez adressée. Je vous prie de vouloir bien m'excuser. Je n'ai pu faire autrement, tenant à vous envoyer ces quelques lignes avant le 1er septembre.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage de mon très profond et filial respect en N.-S. et N.-D.

P. PIERRE GIRARD
Supérieur Général
de la Compagnie de Saint-Sulpice

Ad animi intentionem Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio futuro Oecumenico, pauca mihi videntur proponenda de quibusdam quaestionibus ad *Sacrum Sacerdotium* relativis.

I - *De natura sacerdotii*

1. Character sacerdotalis importat

— indelebilem animae consecrationem qua homo Deo rebusque divinis perpetuo dicatur;

— potestatem quamdam ad sacra peragenda.

Multi non sat distinguunt characterem Baptismi et characterem Ordinis, quoad respectum sub quo nos Christo configurant.

Ille modus agendi tendentiam importat « à laïciser le sacerdoce, à sacerdotaliser le laïcat ».

Ad incommoda vitanda, utilis esset explanatio characteris sacerdotalis, non tantum quoad potestatem quam confert sed praesertim quoad *ontologicam* cum Christo conformationem quam producit. Paucis verbis necessaria esset sacerdotii et laicatus expressa theologia.

II. *De formatione clericorum*

Revocandae sunt normae generales ab omnibus Summis Pontificibus revocatae:

1) De primatu vitae interioris in educatione clericali;

2) de fidelitate tam consiliis quam iussis Ecclesiae, in disciplinis ecclesiasticis exponendis;

3) de inquisitione serio facienda relative ad signa vocationis sacerdotalis exploranda.

III - *De quibusdam periculosis erroribus*

1. In ordine *intellectuali*:

a) Studetur Biblia sine iusto recursu ad Traditionem.

b) Viget magis traditio patristica quam Traditio conciliaria.

c) In demonstratione theologica saepe minuitur valor intellectus.

d) In moralitate « situationis » dicta, magis ac magis evanescit *sensus peccati.*

2. In ordine *actionis apostolicae*:

a) Mediis supernaturalibus media naturalia anteponunt etiam diligentes apostoli.

b) Pro pluribus sacerdotibus prudentiae regulae tam in ordine intellectuali, quam in ordine morali *deridendae* apparent, necnon ea virtus rusticis reservata.

P. Petrus Girard
Superior Generalis
Societatis Presbyterorum a S. Sulpitio

4

Exc.mi P. D. CAROLI I. LEMAIRE

Episcopi tit. Otroeni, Superioris Generalis
Societatis Parisiensis Missionum ad exteras gentes [1]

[1] Cf. vol. II, part. I, pp. 525-527.

5

Rev.mi P. GULIELMI MÖHLER

Rectoris Generalis Societatis Apostolatus Catholici

8 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Eminentiae Tuae Reverendissimae humanissime ex me sciscitanti, quasnam res in futuro Concilio Oecumenico tractandas esse iudicem, opportunum duco, ut sequentes animadversiones communicem.

1. Desiderabile esse reor, quod Codex Iuris Canonici, suo tempore cura S. Sedis et excellentissimorum virorum opera magna cum diligentia et perfectione exaratus, indigentiis, quae interim sunt exortae, adaptetur. Haec adaptatio mihi postulare videtur:

1) ut terminologia, quae in opere tam grandi, vasto et arduo non iam ab initio stabilis et uniformis evadere potuit, ex iurisperitorum experientia unificetur;

2) ut illa pars, quae agitur de religiosis, ratione habita Institutorum Saecularium et eorum, quae S. Sedi quoad statum religiosum innovanda placuerint, novo examini subiiciantur;

3) ut illa pars, quae laicos respicit, ad tramitem eorum, quae S. Sedes interim de statu, momento et officio laicorum variis in occasionibus docuerit, perficiatur;

4) ut definiantur accuratius partes, quas laici in Actione Catholica agere debeant, et ut circumscribatur libertas, quae ex voluntate S. Sedis laicis in exsequendis operibus concedenda sit;

5) ut denique omnes leges, instructiones et interpretationes authenticae a S. Sede latae colligantur et suo loco in Codice inserantur.

II - Haud negligendae mihi videntur indigentiae, quae per studium liturgiae novissimis temporibus succreverunt: in specie:

1) ut ritibus liturgicis et etiam in istis Missae partibus, quae canonem praecedunt et sequuntur, usus linguae vernaculae foveatur, eo fine, ut fideles ad cultum divinum participandum efficacius adducantur;

2) ut ritus consecrationis Ecclesiae, qui longior est, quam ut simplices fideles, praesertim linguam latinam non callentes, cum fructu et intelligentia ipsi interesse possint, in breviorem formam et quidem in lingua patria exsequendam redigatur.

III - Quod sacerdotium attinet plura perpendenda occurrunt:

1) utrumne expediat, ut diaconatus, qui nunc in disciplina ecclesiastica solummodo tamquam transitus ad dignitatem presbyteratus

habetur, etiam, si quis ulterius progredi noluerit, tamquam terminus concedatur, sine obligatione ad coelibatum, sed cum facultate dispensandi corpus Domini Eucharisticum, praedicandi Verbum Dei, administrandi bona ecclesiastica, exsequendi denique omnia illa varia ministeria, quae hodie in emolumentum Ecclesiae cedunt, vel immo maxime necessaria sunt, sed ordinem presbyteratus minime requirunt;

2) utrumne ad instructionem sacerdotalem melius conferat, si cultura spiritualis, intellectualis et practica, qua Ecclesia ministros Dei instructos esse vult, non uno ininterrupto tractu alumnis impertiatur, sed prudenti consilio ita dividatur, ut alumni, quadrennio curriculo theologico expleto, sacerdotio quidem augeantur et ministerium sacrum subeant, sed post aliquot tempus ad sedem studiorum revocentur, ut, praxi et experientia aliqua edocti, profundius instruantur ratione vitae sacerdotalis et theologiae practicae.

IV - Quantum ad propagationem Fidei in partibus infidelium utile erit, ut quaeratur, num revera sufficiat, si quaedam familiae religiosae curam « Missionum exterarum » agant, utrumque potius insuper valde urgeat, ut etiam singulae dioeceses stabile munus in se suscipiant curandi de propagatione Fidei in quadam determinata regione pagana.

V - Res Fidei quod attinet, haud inutile duco, ut quaestiones, quas tetigerit Epistola Encyclica *Humani Generis,* etiam ex auctoritate Concilii Oecumenici discutiantur et dirimantur.

VI - Moveatur denique quaestio oecumenica de reunione omnium Ecclesiarum, quae Christiano nomine censentur, immo forse de cooperatione practica omnium religionum quae unum Deum profitentur, ut eo efficacius cum communismo atheo decertari possit.

VII - Moveantur et doceantur fideles, ut sese abstineant a variis superstitionis formis: ab astrologia, a spiritismo, a feticismo.

Sperans me desideriis Tuis aliquomodo satisfecisse, atque deosculans Sacram Purpuram, Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimum me profiteor

P. Gulielmus Möhler
Rector Generalis Societatis Apostolatus Catholici

6

Rev.mi P. THOMAE McLAUGHLIN

Superioris Generalis Societatis Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill

London, 4 augusti 1959

Eminentissime et Illustrissime Princeps,

Me rite accepisse confirmo Vestrae Eminentiae litteras, die 18 mensis iunii datas, quibus admoneor, ut suggeram materias utiliter disceptandas in Concilio Oecumenico, convocato a Summo Pontifice cum tanta fortitudine et zelo admirabili.

Honori mihi quidem est haec benigna invitatio, quamvis praesumere videor suggerendo aliquid tam sanctis et doctis patribus. Porro tempore vacationum clausa est nostra facultas theologica, quod doleo, quia consulere nequeo viros, qui plus quam ego perspectos habent errores aevi nostri. Omni tamen cum humilitate propono sequentia.

1. *De de dogmatica*

Spero Concilium Oecumenicum, omni qua potitur auctoritate, condemnaturum esse recrudescentem modernismum, reaffirmando veritates antiquas et aeternas, et reiecturum esse errores:

a) quoad inspirationem Sacrae Scripturae, quae oppugnatur, a catholicis etiam theologis, ut videtur, ita ut multi ex cleris et laicis perturbentur nec quid sit credendum sciant,

b) quoad divinam constitutionem Ecclesiae eiusque infallibile magisterium, Summi Pontificis et Ecclesiae, ut reaffirmentur dogmata de novissimis, de existentia inferni et purgatorii, de necessitate medii baptismi etiam pro infantibus,

c) ut denuo enuncientur valor et sanctitas exercitiorum pietatis, e. g. indulgentiarum, viae crucis, Ss. Rosarii, venerationis imaginum, aquae benedictae — quae omnes vel vilipenduntur vel plane reiiciuntur a multis, etiam a clericis in aliquibus orbis partibus,

d) ut magis stabilirentur leges moralitatis, praecipue quoad sextum praeceptum, quae infirmantur et flectuntur a certis theologis catholicis, qui extenuant peccatorum carnis gravitatem, commissorum a viris et feminis, etiam religiosis,

e) ut iterum memoriae inculcentur leges de habitu ecclesiastico ferendo; ut condemnentur, qui has leges habitualiter negligunt; ii quo-

que censura plectantur qui visitant scenica theatra, kinetica et publica spectacula,

f) ut reiiciatur sententia eorum, qui audacius affirmant, iam non esse ullius valoris seminaria minora; ut in seminariis maioribus redintegretur pristina disciplina, spiritus oboedientiae et debitae reverentiae erga auctoritatem; ut a foribus repellantur, qui proclamant absolutam libertatem conversationis in seminariis.

De re liturgica

In aspectum proferat Concilium Oecumenicum, iam ample fuisse provisum legibus iam latis in rationabile obsequium cleri et fidelium, sed resistendum esse iis, qui obstinate extrema prosequuntur, quae externae tantum pompae favent et divina mysteria obscurant potius quam illuminant.

De re morali

In multis praeclaris allocutionibus Papae Pii XII f. m. ad medicos, obstetrices variosque alios, inveniuntur responsa, declarationes, solutiones, quae tangunt quaestiones tanti momenti temporis praesentis, e. g. de officiis medicorum, de usu temporis ageneseos, de voluntate matrimoniali ad prolem, de inseminatione artificiali et huiusmodi varia.

a) Desiderabile nobis videtur, ut istae et similes enunciationes a corpore allocutionum disiunctae colligantur et in forma brevi et succincta iterum a Concilio Oecumenico auctoritative affirmentur, quia multi ex clero et laicis ipsa documenta prolixa perlegere nec tempus nec occasionem habent.

b) In lege matrimoniali Ecclesiae inveniuntur obscuritates, quae partim per varia decreta S. Congregationum sunt soluta, partim in varietate opinionum versantur, e. g. de natura impedimenti publici et occulti eiusque applicatione; de diversis modis assistendi matrimonio, de delegatione et subdelegatione (cann. 474-476), de collatione (can. 1046 et can. 1098), quae, si fieri potest, enucleentur.

c) Desiderabile videtur, ut Constitutiones Ap. Altitudo, Romani Pontificis etc. codificentur, quae missionariis multas creant vexationes, e. g. de iure primae legitimae etc., de impedimentis civilibus inter infideles, de matrimoniis dubiis propter dubium baptismum haereticum.

d) Lex poenalis Ecclesiae abundat implicationibus, quae tantum a peritis solvi et memoria teneri possunt, e. g. varii modi ignorantiae (can. 2229), de metu, de modo reservationum et absolutionis, et aliae. Maior simplicitas est optanda.

Timentes, ne praesumptionis simus rei et in omni humilitate sententiam nostram aperimus, idque solummodo, quia ab Eminentia Vestra postulamur.

Omni, qua par est, reverentia, et obsecrans, ut Spiritus Sanctus illuminet et dirigat patres et ipsum Concilium,

Vestrae Eminentiae
humillimus in Christo servus

P. THOMAS McLAUGHLIN
Superior Generalis Societatis Missionariorum
S. Ioseph de Mill Hill

7

EXC.MI P. D. IOANNIS G. COMBER

Episcopi tit. Foratianensis, Superioris Generalis
Societatis de Maryknoll pro missionibus exteris

New York, 1 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratum mihi est respondere litteris Eminentiae Vestrae de futuro Concilio Oecumenico, Prot. N. 1 C/59-2097, die 18 iunii datis.

Consilio membrorum Societatis nostrae prudentum obtento, quasdam animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari valeant Pontificiae Commissioni, omni cum humilitate atque obedientia, communicare audeo, in foliis separatis heic inclusis.

Interim omnia bona ac fausta a Deo Tibi et Commissioni Antepraeparatoriae adprecans, permaneo

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus servus

✠ IOANNES G. GOMBER
Episcopus tit. Foratianensis
Superior Generalis Societatis de Maryknoll
pro missionibus exteris

I. *De Codice Iuris Canonici*

1. Impedimenta matrimonialia publicae honestatis et cognationis spiritualis abrogentur.

2. Categoriae censurarum quae Apostolicae Sedi reservantur in unam reducantur.

3. Liber V, De Delictis et Poenis, recenseatur.

4. Irregularitates ad sacros ordines recipiendos recenseantur ac praesertim illegitimitas et quando unus parens acatholicus est.

5. Tribunal nationalis Rotae in magnis nationibus sicuti Statibus Foederatis Americae Septentrionalis constituatur.

6. His temporibus, non videtur opportunum erigere Praefecturas vel Vicariatus Apostolicos; melius videtur erigere statim praelaturas nullius.

7. Quoad facultates audiendi confessiones, permittatur ut sacerdotes, facultate in sui dioecesibus audiendi confessiones praediti, excipiant confessiones in aliis dioecesibus ubique terrarum per unum mensem, quando itinera faciunt. Sufficiat permissio, saltem praesumpta, parochi vel, in casu religiosorum, Superioris domus religiosae, sine necessitate obtinendi facultates speciales.

II. *De ordinibus sacris*

1. Ordines minores Ostiariatus et Exorcistatus omittantur, cum significatio eorum non iam adsit.

2. Facultas concedatur ut Diaconi Sacram Communionem tradant atque etiam in Ecclesiis praedicent cum permissu tantummodo Parochi.

III. *De Congregationibus Romanis*

Videtur quod distinctio inter territoria sub iurisdictione Sacrae Congregationis Consistorialis et illa sub Congregatione de Propaganda Fide recenseri debeat. Prius considerandae sunt regiones quae sacerdotibus egent atque etiam necessitates fidelium in illis regionibus quam competentia cuiusdam Congregationis.

IV. *De Seminariis*

1. Seminaria regionalia, tam maiora quam minora, pro pluribus dioecesibus vel regionibus ecclesiasticis constituantur. Hodie unusquisque Ordinarius seminarium proprium erigere urgetur. Attamen, seminarium exigit multos sacerdotes et impensa multa. Seminaria autem regionalia

professores ex pluribus dioecesibus facilius trahere et melius instrui possunt. Dioeceses singulae cursum prae-seminaristicum unius vel duorum annorum proprium ad vocationes probandas erigere possunt.

2. Cursus academicus seminariorum nimis extendi videtur ita ut melior vitae pars studentis in seminario degatur. Liceatne ut neophytus in vitam sacerdotalem activam citius intret ac postea studia continuet?

In America Latina, sectae Protestantes cotidie augentur adhibendo clero indigeno, qui post cursum in scholis ordinarium, alios duos vel tres annos in scholis sectarum specialibus amplius edocentur.

In multis regionibus difficile est attrahere candidatos ad sacerdotium eo quod cursus plurium annorum nimis vel fere impossibilis esse videtur.

3. Clarum est quod cursus seminarii finem habet ut sacerdotes bene docti efficiantur. Necesse autem non est ut omnes singuli sint periti vel magistri in S. Scriptura vel S. Theologia. Omnes certe Theologiam et S. Scripturam bene cognoscere debent in quantum possunt sed scientia profundior pro quibusdam tantum alumnis est.

4. Plurimi libri in Seminariis hodie adhibiti scripti fuerunt contra errores Modernistarum, qui non sicut antea iam praevalent. De errore autem Communismi atheistici, qui hodie fusius disseminatur, pauci libri ex professo tractant.

Multi libri errores temporis peracti Protestantium oppugnant. His vero diebus, Protestantes plurimi, profitentes se esse Christianos, doctrinas Christi fundamentales omnino negant, sed in libris nostris de hoc aliquando paulum dicitur.

Doctrina Corporis Mystici in libris seminarii fusius ac amplius tractari debet.

V. *De Theologia morali*

1. Non iam videtur opportunum tractare tam fuse de theoriis Probabilismi, Aequiprobabilismi, etc. in Theologia morali. Inimici nostri discussionem huiusmodi derident.

2. Doctrina de communicatione in sacris emendari debet. Permittatur ut medici et nutrices Catholicae ministros Protestantes vel Iudaeos vocare possint, quando infirmi non-Catholici illos rogant.

Itemque permittatur ut artifices Catholici in construendis aedificiis sectarum Protestantium laborare possint. Fideles vetare in his casibus quominus laborent locum discordiae, odio et dissensioni praebet.

VI. *De Episcopis*

1. Episcopis concedatur facultas generalis celebrandi modo simplici Missam Cantatam. Saepe saepius in paroecibus parvis vel in domibus religiosis difficile est celebrare Missam Pontificalem.
2. Ceremoniae Missae Pontificalis simplificentur.
3. Vestimenta Episcoporum simpliciora reddantur.

VII. *De honorificentiis ecclesiasticis*

Sacerdotes omnes de titulo « Patris » gloriari debent. Nunc autem plurimi sacerdotes titulum « Monsignoratus » obtinent et ex eo evenit ut alii qui honorem istum non recipiunt minoris habeantur. Numerus Praelatorum huiusmodi atque ostentatio vestimentorum eorum efficiunt ut fideles a sacerdotibus suis paulatim avertant.

VIII. *De vestitu religiosarum*

Quamvis Summus Pontifex imperavit ut Communitates religiosae femineae vestitum religiosum suum simplificent, plures nihil de illo consilio adhuc fecerunt. Necesse est imperare ut quaedam Communitates vestitum statim mutent.

IX. *De parochis infirmis vel inhabilibus*

In nonnullis paroeciis, saepe accidit ut, parocho infirmo vel inhabili, vicarii cooperatores activitates paroeciales bene ordinare nequeant quia parochus non consentit. Aliquando vita paroecialis decem vel quindecim annos paulatim tali modo diminuitur vel parum de ea agitur. Nonne via subtrahendi modo benevolente huiusmodi parochos a cura eorum inveniri potest?

X. *De sacerdotibus vel religiosis infelicibus*

Examinari oportet status sacerdotum vel religiosorum illorum qui post quinque vel decem annos in sacerdotio vel vita religiosa reperiunt sese esse infelices et nihil vel fere nihil pro seipsis aut pro dioecesi vel communitate religiosa conficere ac deinde se onus dioecesi vel communitati factos esse. Sacerdotes isti damnum multum infligunt sed via recedendi vel resignandi a sacerdotio eis non datur.

XI. *De legibus liturgicis*

Cum mutationes Sacrae Liturgiae plurimae recenter factae sint, videtur opportunum omnes leges liturgicae cum omnibus mutationibus in corpus unicum colligere.

XII. *De Missionibus*

1. Proponitur ut in Sinis facultas a S. P. Paulo V anno 1615 concessa renovetur, scilicet celebrandi Missam et alia officia divina in lingua Sinica erudita.

Rationes sunt: Multitudo populorum Sinicorum est maxima in terra ac quotidie crescens. Deinde lingua latina et lingua sinica inter sese tam magnopere differunt ut laici sinici linguam latinam vix comprehendant. Propterea Missa et Sacramenta ab eis facile intelligi nequeunt sine liturgia sinica.

2. Nuntii et Delegati Apostolici Sanctae Sedis linguae ac moribus indigenis studeant.

3. Missionarii methodis sociologicis studere exhortentur, e. g. Credit Unions, Cooperatives, Community Development Plans.

✠ IOANNES G. GOMBER
Episcopus tit. Foratianensis
Superior Generalis Societatis de Maryknoll
pro missionibus exteris

8

EXC.MI P. D. IOSEPHI LECUONA LABANDIBAR

Episcopi tit. Vagadensis,
Superioris Generalis Instituti Hispanici Sancti Francisci Xaverii
pro Missionibus Exteris

Burgos, die 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Infrascriptus Episcopus tit. Vagadensis, hucusque Vicarius Apostolicus « San Jorge » (Colombia), nunc vero Superior Generalis Instituti Hispanici pro Missionibus Exteris, Eminentiae Vestrae Litteris, ex Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico (Prot. N. 1 C/59-1865)), die 18 iunii n. e. datis respondere valde honorificum habet, et Summo Pontifici Ioanni XXIII feliciter regnanti pro hac magna sua dignatione humiles ac fervidas refert grates.

Ex plurimis quae ut vota et desideria Concilio Oecumenico possent proponi, sequentia duxi notanda:

1. *De doctrina*: Schema circa Episcopatum, quod in Concilio Vaticano fuit propositum, studio et definitivae resolutioni subiciatur.

2. *De disciplina*: Patriarchae Orientalis Ecclesiae, si fieri potest, Collegio Cardinalium incorporentur.

3. *De re liturgica*: Ut fideles active participent in celebratione Missae, partes huius, extra Canonem, lingua vernacula dicantur et canantur.

4. In Sacramentorum administratione lingua vernacula unice adhibeatur.

5. *De disciplina Sacramentorum*: Diaconatus, cum vel sine obligatione caelibatus, instituatur non ad Presbyteratum, ad iuvandos sacerdotes in apostolatu.

6. Licentia Parochi vel Ordinarii, ex canone 1095 § 2, ad matrimonium, non ad valorem sed tantum ad liceitatem sit necessaria.

7. Abbrevientur preces quae formam Sacramenti Poenitentiae praecedunt et sequuntur in Rituali.

8. *De Religiosis*: Religiosae solidius et diutius edoceantur in cognitione veritatum Fidei, in doctrina morali, ascetica et liturgica, post novitiatum.

Quae dum humiliter communico, Eminentiae Vestrae Purpuram deosculor.

Humillimus E. V. servus in Domino

✠ IOSEPHUS LECUONA
Episcopus tit. Vagadensis
Superior Generalis Instituti Hispanici
S. Francisci Xaverii pro Missionibus Exteris

9

REV.MI P. TIMOTHEI CONNOLLY

Superioris Generalis Societatis S. Columbani pro missionibus apud Sinenses

Navan, 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Grato sane animo litteras Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959 accepi (Prot. N. 1 C/59-2099) in quibus postulantur sententiae meae super his quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possint.

Quamquam ut Superior Generalis Societatis non exemptae, ne quidem ad normam iuris conditionis religiosae (can. 673), mihi nullum ius competit adesse Concilio Oecumenico (can. 223), censeo tamen prae-

dictas egregias litteras dirigi non tantum ad eos qui dicto iure fruantur, sed etiam ad omnes qui forsan sententias seu opiniones utiles habeant. Quamobrem, humili iudicio, haec vota et argumenta velim subiicere:

1. Ut ex germana investigatione clarius, si vis, eluceant et doctrina Ecclesiae et errores fautorum gravissimi nostrae aetatis mali, Communismi scilicet atheistici.

2. Ut viae et methodi proponantur et considerentur speciatim in campo sociali et oeconomico quibus dictus communismi error oppugnaretur et vinceretur. Quia periculum Communismi minatur evertere fundamenta universae Societatis convenit ut Ecclesia ignorans sectas ac divisiones invitet pro hac pugna auxilium et cooperationem omnium hominum bonae voluntatis. Episcopi ac sacerdotes ipsi soli fere nihil perficere possunt, ideoque summopere indigent actuoso adiutorio laicorum catholicorum bene instructorum ac organizatorum quibus concedenda est maxima libertas agendi iuxta principia catholicae doctrinae ita ut nimiis restrictionibus et regulis non impediti, sint imbuti spiritu reportandi victoriam

3. Ut in clara luce proponatur doctrina Apostolatus Laici ad oppugnandum materialismum et incredulitatem huius temporis. Apostolatus laicus, mea sententia, potest, immo debet esse remedium pro malis irreligionis hodie grassantibus.

4. Ut investigentur absentia ac penuria sensus missionis quae videntur grassari quasdam partes Ecclesiae a primitivis saeculis fundatas. In iisdem locis hierarchia et clerus contenti manent administrare bona Ecclesiae et impertire sacramenta fidelibus, et praeterea nihil, sed ad praedicandum Evangelium et veram doctrinam numerosis non-Catholicis qui ubique circum iacent, tentamen vel consilium numquam initur. Hoc elementum essentiale Mystici Corporis Christi nempe ut sit vivens, crescens et semper expandens quasi ignoratum existit.

5. Item ut mature ponderentur problemata et obstacula quae militant adversus expansionem Ecclesiae quoad suas Missiones ad exteras gentes. Nunc temporis quaedam territoria Missionum facta sunt occlusa contra ingressum missionariorum. In quibusdam aliis ingressus et opera eorumdem severe restringuntur. Missionarii sunt nimis pauci atque eorum opes et necessaria ad dilatandum regnum Christi sunt vere tenuia. Verumtamen, quando Societates et Congregationes missionariae volunt necessitudines Missionum facere notas fidelibus domi, saepe experiuntur multas difficultates immo nonnumquam ab Episcopis ipsis positas ita ut periodici missionarii ne quidem possint distribui. Clara enunciatio obligationis omnes fideles astringentis adiuvandi Missiones extendendique Ecclesiam ut Evangelium praedicetur omni creaturae, videtur necessaria et tempestiva.

In finem, precor Eminentiam Vestram accipere sensus profundae venerationis una cum promissione suffragiorum ut Concilium a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. providenti consilio institutum maxime prosit Ecclesiae Christi.

Summa qua par est devotione, sacram purpuram deosculans, permaneo

Eminentiae Vestrae humillimus famulus

P. Timotheus Connolly
Superior Generalis Societatis S. Columbani
pro missionibus apud Sinenses

10

Rev.mi P. GULIELMI MICHELL

Superioris Generalis Societatis Sacerdotum Missionariorum a S. Paulo Apostolo

1. Petitur ut ius commune de Prohibitione Librorum provisionem includat qua confessarii ordinarii facultate fruantur permittendi singillatim suis poenitentibus usum librorum de quibus in canone 1399, dummodo eorum lectio sit necessaria, salvis semper lege naturali et aliis cautionibus a Sancta Sede vel loci ordinario impositis.

Ratio petitionis. Ex experientia constat quod lex vigens de prohibitione librorum in sua observantia laborat pluribus difficultatibus. Multi fideles, praesertim iuvenes et praeceptores in scholis saecularibus, etiam ii qui optimam voluntatem erga legem Ecclesiae habent, onus grave portant in servandis quibusdam praescriptionibus canonis 1399. Quo melius lex observetur, pro iis oportet rationabiliter providere ut gravamen ab observanda lege amoveatur. Recurrere ad ordinarium in singulis casibus perdifficile esse potest. Norma heic proposita difficultatem solveret et fideliorem observantiam legis promoveret.

2. Petitur ut legislatio vigens de poenis ecclesiasticis ad formam simpliciorem redigatur.

Ratio petitionis. In nostro tempore philosophiae saecularismi impulso, plures poenae, v.g., excommunicatio, vi deterrendi quam olim possederunt iam destitutae sunt. Ac praeterea modus absolutionis obtinendae ab istis censuris implicatus est et onus potius in confessario quam in poenitente ponit.

3. Petitur ut lex vigens de prohibitione librorum retinendorum et legendorum abrogetur, et res integra iudicio loci ordinariorum relinquatur.

Ratio petitionis. In praxi impossibile est iudicare quinam libri a lege prohibeantur. Provisiones in canone 1399 enumeratae criteria adaequata non provident pro decernendo libros prohibitos. Plures libri qui ex littera canonis prohibiti esse apparent, revera innocui sunt. Praeterea in nostris circumstantiis fideles sub accusatione laborant quod Ecclesia eis non permittat ut totam veritatem cognoscant quia, ut dicitur, Sancta Mater Ecclesia veritatem timet ac proinde fit intellectualiter inhonesta.

4. Petitur ut leges abstinentiae et ieiunii sic temperentur:

a) Abstinentia diei Veneris et ieiunium quadragesimale retineantur sicut sunt. Leges ieiunii et abstinentiae in quattuor temporibus et in vigiliis abrogentur.

b) Lex abstinentiae, quo clarius intelligant fideles simplificetur: e. g., vetetur solum carnem manducare, non autem escas quae ex carne derivantur vel cum carne identificari nequeunt, v. g., ius ex minore quantitate carnis et ossium confectum (angl.: « soup with meat stock »).

Ratio primi. Difficile est fidelibus in mente retinere huiusmodi dies seiunctos. Variae species abstinentiae, sc. abstinentia totalis et abstinentia partialis, sine necessitate legem nimis complicant.

Ratio secundi. Quo intelligibilior sit lex, eo facilius servatur.

5. Petitur ut benedictiones et alias caeremonias baptismales antiquitus catechumenis gradatim datas, ut sunt signum crucis, impositio manuum, salis usus, scrutinium, exorcismi, orationes, quae nunc in Baptismi caeremonia per saltum dantur, Concilium restituat in formam priorem prout circumstantiae hodiernae sinant, et permittat ut illae paulatim durante periodo instructionis neoconversorum adultorum administrentur.

Ratio petitionis. Praxis vigens, sc. instructio intellectualis et moralis pro tempore praeparationis Baptismi adultorum, laborat ex defectu quod sacram liturgiam ut medium formationis spiritualis negligit. Catechumenatus primaevus, coniungens instructioni participationem in divinis Ecclesiae officiis, mentem formavit simul ac quasdam gratias pro catechumeno obtinuit. Uti bene scitur, conatus recentes sunt in variis regionibus Europae pro constituenda forma hodierna catechumenatus antiqui. Experientia demonstrat istos conatus habere exitum felicem. Ergo humiliter proponitur quod tempus adsit applicandi, saltem experimentaliter, hanc methodum instructionis liturgicae ad usum universalem.

6. Petitur ut Sancta Sedes vel Concilium Oecumenicum hortentur episcopos Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis ut praeparent

formulam Professionis Fidei pro recipiendis neoconversis quae universim in regione adhiberi possit et quae in sua terminologia agnoscat quod acatholici istius nationis generaliter sumpti non sunt formaliter haeretici.

Ratio petitionis. Acatholici Statuum Foederatorum multis generationibus amoventur ab eis qui fidem Catholicam contumaciter reiecerunt. Sacerdotes qui eos instruunt pro receptione in Ecclesiam eos inveniunt versari in bona fide et promptos esse accipere doctrinas Ecclesiae quando illae eis clarificantur. Ipse Codex Iuris Canonici (in canone 1350, § 1) tales vocat « acatholicos » et non « haereticos ». Causa unitatis omnium christianorum nomine adiuvaretur et via pro acatholicis in Ecclesiam planior evaderet si formula Professionis Fidei huic conditioni accommodaretur.

Verum est quod in aliquibus locis benignior et intelligibilior formula habetur, quam *A Catechism for Converts* (auctore J. Malloy, pag. 92) memorat. Sed quidam dubitant utrum haec formula in omnibus dioecesibus Stat. Foed. permittatur.

7. Petitur ut Concilium declaret totam Ecclesiam esse ponendam in conditione missionaria.

Ratio petitionis. Ubi Ecclesia adaequate constituitur, ibi inclinatur maioris momenti facere suum officium administrativum. Haud dubium est quam necesse sit bona administratio in Ecclesia. Sed nunc in omni natione Ecclesia coram stat problemati immani haereseos, infidelitatis et saecularismi. Haec consideratio Em.mum Cardinalem Feltin ad scribendum coegit, « Tota Ecclesia debet missionarie procedere ». Si Concilium tale principium sustineat, impetum maximum operae missionariae praebebit quae in nationibus praesertim occidentalibus perficitur.

8. Petitur ut Concilium Oecumenicum consideret et decernat pro usu linguae vernaculae in Missa catechumenorum ex parte sacerdotis sacrosanctum sacrificium celebrantis.

Ratio petitionis. Illos qui in nationibus lingua anglica utentibus laborant pro conversione populi acatholici, v. g. Patres Paulistas, valde impedit quod vocatur « aliena indoles Catholicismi ». Exemplum fortasse primarium huius impedimenti est praeiudicium acatholicorum propter usum linguae latinae in sacrosancta Missa. Si Missa catechumenorum in lingua patria recitari posset, non solum christifideles aedificarentur sed etiam plures acatholici ultro adstarent quibus haec pars praeparatoria intelligibilior evaderet et suum valorem instructivum ostenderet.

9. Si in schemate Concilii includatur capitulum de relationibus Ecclesiae et Status, rogatur ut examen habeatur de iuribus religiosis perso-

nalibus (quae vocantur iura conscientiae) illorum qui, licet errant, extra Ecclesiam in bona fide versantur.

Animadversio. Haec rogatio primarie ad acatholicos in nationibus Catholicis viventes se refert, ac deinde ad possibilitatem quod aliae nationes, e. g. nostra Statuum Foederatorum America Septemtrionalis, Catholicae fiant.

10. Petitur ut dignitas quae tribuitur missionibus in terris exteris aeque concedatur apostolatui domestico pro conversione acatholicorum, et proinde ut Sancta Sedes vel Concilium Oecumenicum studiose commendent Ordinariis et parochis illas societates religiosas ac pias uniones fidelium quarum finis peculiaris est obtinere conversionem proximorum acatholicorum.

Ratio petitionis. Causa unitatis omnium christianorum, quam Summus Pontifex annuntians Concilium Generale vehementer propugnavit, magnum impetum recipiet si apostolatus pro conversione « fratrum separatorum » idem pondus, et canonicum et missionale, in consiliis Ecclesiae habeat ac missiones sacrae ad infideles. Hanc aequalitatem indicant constitutiones revisae Piae Unionis Cleri, ubi legitur: « Insuper studet ut acatholicorum omnium ad unitatem Ecclesiae reditus foveatur », et rationem adiungit: « cum unio omnium christianorum conditio sit magni momenti ad ethnicorum conversionem obtinendam ».

P. Gulielmus Michell
Superior Generalis Societatis Sacerdotum Missionariorum a S. Paulo Apostolo

11

Rev.mi P. MAXIMILIANI BLÖCHLIGER

Superioris Generalis Societatis Missionum Exterarum de Bethlehem in Helvetia

Immensee, die 21 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Nobilissimo desiderio et amabilissimae invitationi Summi Pontificis ex corde respondere cupiens, collato quantum angustia temporis patiebatur consilio cum Assistentibus meis, cum Superioribus Societatis aliisque praesertim in theologicis disciplinis peritis confratribus de quaestione circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, debita cum sinceritate et submissione proponenda duco quae hic sequuntur:

I - Ex parte doctrinae

1. *De Ecclesia Christi*:

Valde desideranda videtur luculenta expositio doctrinae de natura Ecclesiae praesertim sub eius respectu magis interno et mystico, ne bonae voluntatis homines per illa quae magis externa et accidentia sunt, ab ovili boni pastoris arceantur. Talis expositio non solum coepta Concilii Vaticani feliciter perficere et ad optatum finem perducere, sed etiam pacem et unitatem totius mundi christiani, quae Summo Pontifici maxime cordi sunt, optime fovere posset.

Desideratur etiam ut speciali studio doctrina de laicis eorumque participatione in universali sacerdotio exponatur.

2. *De iustitia sociali inter nationes*:

Cum per multiformes progressus technicos populi et nationes orbis terrarum sibi invicem prope propiusque fiant, vehementius in annos apparet inaequalitas conditionum vivendi et existendi. Iam urgenter optandum videtur, ut Sancta Ecclesia Mater et Magistra omnium gentium populis omnibus in memoriam revocet quid non tantum caritas christiana sed etiam iustitia socialis exigat in relationibus nationum, e. g. quoad ius in spatium vivendi, in bona terrae et culturae vel quoad aequalem dignitatem humanam sine discrimine propter sanguinem vel colorem cuiusvis generis vel originis.

3. *De re liturgica*:

Desideratur expositio doctrinae de uno sacrificio Christi imprimis in relatione ad multas Missas, ut clare appareat mens Ecclesiae quoad Missas privatas quotidianas et simultaneas.

Desideratur insuper, praesertim a missionariis, ut vota et desiderata Congressuum liturgicorum (e. g. Assisii et Neomagi) serio considerentur et praesertim ea, quae ibi pro missionibus exteris postulantur benigne concedantur: e. g. Breviarium hodiernis sacerdotum laboribus magis adaptatum, lingua vernacula adhibenda in prima parte sacrificii Missae et in omnibus fere partibus Ritualis, concelebratio plurium sacerdotum in quibusdam circumstantiis, Ritus Baptismi per intervalla secundum progressum catechumenorum dispositus.

4. *De fontibus revelationis*:

Desideratur imprimis a confratribus sacram theologiam et philosophiam docentibus instructio lucida de fontibus revelationis, de mensura obligationis credendi tam magisterio Ecclesiae quam Sacrae Scripturae, insuper de vi et effectu inspirationis et de influxu humano in S. Scripturam, e. g. propter genus S. Librorum, propter defectus scientiae natu-

ralis temporibus in quibus S. Libri scripti sunt etc. Multum desiderantur normae clariores ut una ex parte removeantur inanes difficultates in interpretatione S. Scripturae, altera ex parte arceatur periculum interpretationis nimis liberalis et naturalisticae.

Allatum est etiam desideratum quoddam quoad mentionem auctoritatis S. Thomae, Ecclesiae Doctoris. Nemo quidem est, qui de eminenti utilitate doctrinae et methodi eius dubitet. Videtur autem, quod rationes, cur auctoritas Divi Thomae in directivis pro studiis ecclesiasticis per saecula passim urgebatur, nostris diebus iam non eiusdem momenti sint sicut in pristinis temporibus. Immo assertur opportunius ac dignius esse, si norma officiosa et obligatoria pro studiis ecclesiasticis non ex auctoritate cuiusvis tantum hominis sumatur, sed solum et immediate ex ambitu divinae revelationis et ex definitionibus magisterii Ecclesiae.

5. *De B. M. V. omnium gratiarum mediatrice*:

Multi confratres tam in missionibus exteris quam in Europa valde desiderant, ut doctrina de B. M. V. omnium gratiarum Mediatrice inter revelata fidei dogmata recenseatur, ut per maiorem devotionem erga matrem acceleretur adventus regni Filii Eius.

II - Ex parte disciplinae

1. Optant praesertim confratres in missionibus, ut ordines minores iterum in praxim inducantur, ita ut laici qui e. g. altari inserviunt, doctrinam christianam iuventuti tradunt etc. etiam respectivis ordinibus minoribus initientur.

2. Desiderant etiam ut accessus ad Subdiaconatum et Diaconatum viris nuptis permittatur, nempe ut hi ordines maiores non tantum tamquam praeparatio ad sacerdotium appareant, sed agnoscantur tamquam permanens gradus ecclesiasticus. Haud dubium quin per viros dignos etiam nuptos in sacris ordinibus infra gradum sacerdotalem constitutos ipsi sacerdotes in nimio suo labore, imprimis ubi numero et viribus deficiunt, feliciter compleantur et iuventur (cf. *Act. Apost.*, cap. 6).

3. Enixe etiam optandum videtur ut formatio cleri saecularis et regularis in seminariis maioribus et minoribus magis hodiernis necessitatibus adaptetur.

4. Desideratur etiam ut disciplina clericorum quoad habitum, vitam communem, mutuam cum laicis relationem, sive lege generali accuratius ordinetur, sive Episcopis pro regionum diversitate ordinanda committatur.

Vota et mentiones supra allata imprimis oriuntur ex sollicitudine de propaganda fide in missionibus et proponuntur omni qua par est submissione, ut Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecu-

menico liberrimo suo consilio decernat quid ex illis votis in Concilio Oecumenico tractari dignum et utile sit.

Invitationem Pontificiae Commissionis ad modestam hanc collaborationem magni honoris ducens laborem et operam eiusdem Commissionis Pontificiae ad praeparandum Concilium Oecumenicum corde et animo una cum omnibus sodalibus Societatis votis et precibus prosequor.

Ad finem tam laetum ac enixe sperandum feliciter assequendum optima quaeque a Deo impense adprecans maneo qua dignum est reverentia religiosa

Eminentiae Vestrae Illustrissimae
add.mus in Domino

P. Maximilianus Blöchlinger
Superior Generalis Societatis Missionum exterarum
de Bethlehem in Helvetia

12

Exc.mi P. D. ALFONSI E. ESCALANTE

Episcopi tit. Sorani, Vicarii Ap. Pandoënsis
Superioris Generalis Instituti a S. Maria de Guadalupe
pro exteris missionibus

Qui responsum dedit una cum Conferentia Episcopali Mexicana.[1]

13

Rev.mi P. IOSEPHI GILMARTIN

Superioris Generalis Societatis Sancti Patritii
pro Missionibus ad Exteros

Kiltegan, 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Pro litteris, Prot. N. 1 C/59-2108 receptis gratias tibi referre satago. Quae sequuntur exponere faveo:

1. De unione ecclesiarum omnium cum Sede Romana.

2. De salubriori distributione sacerdotum, sive regularium sive saecularium, in favorem animarum ubique terrarum.

---

[1] Cf. vol. II, part. VI, pp. 262-263.

3. De formatione apostolica laicorum ad apostolatum hierarchiae adiuvandum ut plures sacerdotes ad missiones progredi possint.

4. De cooperatione Ecclesiae universalis in auxilium Americae Meridionalis (Latinae).

5. De formatione cleri ad novissimas temporis exigentias accommodanda.

6. De definibilitate doctrinae Mediationis Universalis B. V. Mariae.

7. De momento Caritatis et animarum zeli in mundo sacerdotali.

8. De usu linguae vernaculae in Sacra Liturgia, praesertim in Sacramentorum administratione necnon in recitatione Breviarii.

Eminentiae Vestrae Rev.mae manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione, permaneo

P. IOSEPHUS GILMARTIN
Superior Generalis Societatis Sancti Patritii pro Missionibus ad Exteros

INDEX

CANONICI REGULARES ET MONACHI

ORDINES MENDICANTES

CLERICI REGULARES

CONGREGATIONES RELIGIOSAE CLERICALES

PAGG.

SOCIETATES VITAE COMMUNIS SINE VOTIS